This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

878
P8
H57
v.1-2

SEX. AURELII PROPERTII

ELEGIARUM

LIBRI QUATTUOR.

CODICIBUS PARTIM DENUO COLLATIS, PARTIM NUNC PRIMUM EXCUSSIS RECENSUIT, LIBRORUM MSS. GRONINGANI, GUELFERBYTANI, HAMBURGENSIS, DRESDENSIS, VOSSIANI, HEINSIANI, EDITIONIS REGIENSIS, EXCERPTORUM PUCCII, EXEMPLARIS PERREIANI DISCREPANTIAS INTEGRAS

ADDIDIT,

QUAESTIONUM PROPERTIANARUM LIBRIS TRIBUS

ET COMMENTARIIS

ILLUSTRAVIT

GUIL. AD. B. HERTZBERG,

PH. DR.

TOMUS I.

QUAESTIONES CONTINENS.

HALIS,

SUMPTIBUS I. F. LIPPERTI.

MDCCCXLIII.

SEX. AURELII PROPERTII

ELEGIARUM

LIBRI QUATTUOR.

CODICIBUS PARTIM DENUO COLLATIS, PARTIM NUNC PRIMUM EXCUSSIS RECENSUIT, LIBRORUM MSS. GRONINGANI, GUELFERBYTANI, HAMBURGENSIS, DRESDENSIS, VOSSIANI, HEINSIANI, EDITIONIS REGIENSIS, EXCERPTORUM PUCCII, EXEMPLARIS PERREIANI DISCREPANTIAS INTEGRAS

ADDIDIT,

QUAESTIONUM PROPERTIANARUM LIBRIS TRIBUS ET COMMENTARIIS

ILLUSTRAVIT

GUIL. AD. B. HERTZBERG,

PH. DR.

TOMUS I.

QUAESTIONES CONTINENS.

HALIS,

SUMPTIBUS I. F. LIPPERTI.

MDCCCXLIII.

878
P8
H57
V.1-2

Praefatio.

Novae huic Sex. Aurelii editioni pauca praefari non magis mos traditus me iubet, quam libri ipsius ratio. Neque enim tempore tantum novum intelligi eum velim. Nam ex quo primum illustrandi poetae mei consilium inii — iam in nonum illum annum Horatianum variis fatis protractum —, considerandum ante omnia visum est, qui esset ultimus interpretationis finis, et cui bono illud negotium susciperetur. Atque in eo quidem omnes consentientes video, ut scriptor et quam emendatissimus exhibeatur, et ut penitus, quoad eius fieri possit, intelligatur. Ego vero neque expletum his duabus partibus vices interpretis existimo, neque ipsas eas partes recte posse expleri, nisi altior etiam quaestio accesserit. Etenim cum magna ingenia, quibus historia populi alicuius decoratur, non temere nasci et occidere, sed velut patrio stipiti, id est populo suo vitam et animum et mores et habitum debere, rursusque virtutibus aut etiam vitiis suis et ipsum, quo vivunt, saeculum, et insequentia exinde tempora variis modis afficere censeamus: idem, fortasse etiam maiore iure, in artium litterarumque profectu valere, et cum in alios scriptores, tum in poetas cadere confitendum est. Itaque sic demum munere nostro digne functuros esse nos

*

credidimus, si quem locum poeta inter aequales obtinuisset, quam quodammodo artis suae provinciam sortitus esset, quomodo eam administravisset, quousque excultam a maioribus accepisset, quid additum ab ipso, quid futuris temporibus relictum esset, summa cum accuratione perscrutaremur.

Qua in re non equidem nunc vereor, ne cui supervacuum videatur, quod de patria, de genere, de aetate, de reliquis vitae conditionibus, quantum vel ex carminibus ipsis confici possent, vel aliunde innotuissent, quaerere institui. Haec enim omnia quam arte et paene necessario vinculo cum studiis, quae quis professus est, contineantur, iam nemo tam caecus est, quin perspiciat. Nec rursus de minutis quibusdam quaestiunculis nimis sollicitum fuisse me quisquam insimulet. Nam cum omnino in veri investigatione discrimina parvi et magni valde sunt ambigua, tum in eiusmodi disquisitione, qua argumentum aliquod funditus quodammodo est exhauriendum. Atqui nos nostris laboribus ita excultum hunc agellum voluimus, ut litterarum Romanorum historiam compositurо integra huius partis non modo parata esset, sed disposita etiam veluti materies. Quamquam summam utique harum quaestionum in ingenio et arte poetae illustrandis positam esse, tantum abest ut infitiemur, ut si hanc operis particulam viris doctis approbaverim, sat magnum lucubrationum mearum fructum percepisse me visum iri lubens fatear. Neque enim hoc solum eruendum esse duximus, quibus poeta vel studiorum vel ingenii subsidiis fretus ad id, qualecunque obtinuit, fastigium sit evectus, aut quid suae aetati, suisve civibus fuerit: sed num quod in eius carminibus insit κτῆμα

εἰς ἀεί, quod non saeculo excusetur, sed quod aeterna laude dignum omnium temporum ingenia alere atque delectare possit. Hunc enim summum philologiae finem qui non agnoverunt, docentibus honestissimum, discentibus autem et oblectationis, et verae utilitatis plenum, sed qui circa singula solum curiosi, quid suis laboribus enitantur, ipsi ignorant: nae illi primi commiserunt, ut perennis ille omnis cultus humanioris fons et caput, antiquitas, ab impiis nepotibus sensim fastidiri coepisset, utque haud procul absit, quin professio nostra multis deridiculo, mox etiam contemptui vulgo habeatur: si pervicerit opinio, barbarie manifesta. Quamquam quis nisi philologi auctores persuasionis illius extiterunt magis in dies gliscentis, quasi disciplina sua ab arte pulchri impune posset divelli. Atqui hinc crimina, hinc calumniae, hinc obtrectationes.

Hinc denique levis illa natio novam artem auspicata est, qua cum philologorum nomen tamquam dedecus respuentes solos aestheticos se haberi velint, inania sua de antiquis scriptoribus oracula, nullo sudore quaesita, confidenter venditant, aut certe memoria saepissime fallaci sensuque nescio quo naturali, fallaciore etiam freti, orationis fucatae lenociniis stuporem vulgi demerentur.

His simul ut obviam iremus, utque artes sola verae rationis oblivione contra naturam divulsas optime consociari posse demonstraremus, nulla alia re melius nos procuraturos duximus, quam si, quae solito interpretum more per omnes commentarios dispersae forent observationes in unum quasi corpus redactas et per certos locos digestas oratione continua persequeremur. Ita animum, qui seorsim singulis tractatis per contraria

saepe errat et quasi fluctuat, perpetuis poeticae et grammaticae normis, ad quas quaeque exigeret, ipsum se erecturum confidebamus, non, quo casus fortuitus duceret, secutum, sed via et ratione progressum. Hoc autem modo non solum fore, ut omnis poetae ingenii et artis natura optime illustraretur et uno quodammodo obtuitu contineretur, sed, quod supra significavimus, singulorum etiam locorum interpretationem, et, si res tulisset, emendationem sic demum recte cessuram esse. Poeta enim ipse sui optimus interpres, tantoque rectius dicendi genus proprium illius et tueberis, et explicabis, quanto id pluribus quantoque similioribus locis ex ipso repetitis illustraveris. Quod ut in solita commentariorum perpetuorum, q. d., forma aequabile illud annotationum quodammodo pondus saepe turbat, magis tamen iidem ac frustra laborabunt, cum insolens aliquod dictum, et cui par alterum frustra quaeras, ea proportione explicandum est, qua a facilioribus et in medio positis ad difficiliora semper et audaciora quasi per gradus ascenditur. Talia enim saepe non uno alterove exemplo decernuntur, sed ingenio et oratione poetae omni intime et penitus exploratis. Quinimmo spatii et verborum compendium nostra ratione effici, quamvis fortasse quibusdam contra videatur, certum est. Nam quae coniunctim tractes, brevius absolvi consentaneum est, quam quae per varios locos dissipata. At ne illud quidem, ut iustum ambitum commentarii explerent, verendum erat. Ea enim, quorum explanatio ex ipsa potissimum locorum, quibus leguntur, natura et sententiarum nexu pendebat, in quaestionibus tantum velut digito indicata sigillatim deinceps exsecuti sumus. Porro, quoniam non id egimus, ut in universum artem

poeticam aut grammaticam Latinam scriberemus, omnem eam partem, qua extrinsecus et ab aliis scriptoribus poetae verbis auctoritas esset repetenda, commentariis reservavimus; item quae fabularum et historiarum doctrina recondita et paullo obscuriore continentur — quae est pars nostri haud exigua. Huc accedunt argumentationes omnes eae, quibus in codicum mss. discrepantia electio veri vel emendatio ex litterarum ductu et rationibus diplomaticis aestimatur. De his autem simul et de libris editis quod sepositam libro quaestionum tertio censuram egimus, non est, quod cuiquam nos excusemus. Nam cum doctis potissimum haec editio sit destinata, non pueris et tironibus, sic veros commentariorum fines atque modum constituere videbamur, ut eos duntaxat locos, qui ab aliquo superiorum interpretum non satis intellecti essent, de integro retractaremus. Nam ne quid omnino praeteriretur, carminibus ipsis in recentiores linguas varie translatis provisum est.

Sed haec de libri nostri consilio et ratione satis dicta sunto. Restat, ut acceptissimo defungar officio testificandi publice gratias viris summis, qui partim exemplarium rarorum tum impressorum tum manu scriptorum copiam mihi ultro fecerunt, partim etiam mea gratia comparatorum excerpta per litteras mecum communicaverunt, inter quos honoris causa nomino Eichhornium virum Excellentissimum, supremum imperii ministrum, qui edicto cavit, ut bibliothecae regiae thesauri absenti mihi aperirentur, tum Spikerum, bibliothecae illi praefectum, Bernhardyum, praeceptorem meum dilectissimum, qui primus ad haec studia me exhortatus egentem consilio nunquam destituit, Hasselbachium Sedinensem, Cornelium Muellerum et

Henningium Hamburgenses, Schoenemannum Guelferbytanum, Schneidewinum Gottingensem, Schmidium Halberstadiensem, triplici amici, praeceptoris, praesidis officio mihi coniunctissimum, Wernerum denique Servestanum. Quibus, si quid laboribus meis praestiterim, non exiguam hercle eius partem acceptam me referre, palam nunc profiteor.

D. Elbingae Borussorum, a. d. VII. Kal. Mart. MDCCCXLIII.

VIRO ILLUSTRISSIMO

IOANNI SCHULZIO,

REGIS BORUSSORUM A CONSILIIS REIPUBLICAE INTIMIS,
AQUILAE RUBRAE EQUITI SPLENDIDO, PHILOSOPHIAE
DOCTORI ETC.

ANTIQUARUM ARTIUM
ASSIDUO PER TOTUM IMPERIUM FAUTORI,
PATRONO SUO OPTIMO,

HANC POETAE UMBRI EDITIONEM, CUM VARIA FATA DIU VETUERINT,
TANDEM PIO ANIMO DEDICAT

AUCTOR.

In meinem Verlag sind noch nachstehende philologische und philosophische Schriften erschienen:

Hertzberg, G. A. B., de diis Romanorum patriis sive de Larum atque Penatium tam publicorum quam privatorum religione et cultu. C. 1 charta. 1840. 8. ⅓ Thlr. netto.

Erdmann, Grundriss der Logik u. Metaphysik. (2) 1843.

Unger, R., Thebana paradoxa. Vol. I. (cont. lib. 1—3.) 1839. 8. 2⅓ Thlr.

Ulrici, H., über Prinzip u. Methode der Hegel'schen Philosophie, Beitrag zur Kritik derselben. 1841. br. 8. 1⅓ Thlr.

Αἰσώπου μῦθοι, m. Einl., Anmerkk. u. vollst. Wörterb. f. Schulen herausgeg. v. Büchling, neu bearb. v. Grosse. 1821. 8. $\frac{5}{6}$ Thlr.

Alcaei poetae lyrici fragmenta ed. Stange. 1810. 8. $\frac{5}{6}$ Thlr.

Anleitung z. Uebersetzen aus d. Deutschen in das Griechische, Uebersetzung des v. Krebs herausgegeb. Griechisch. Lesebuchs. 1820. 8. ⅓ Thlr.

Aristophanis Acharnenses Graece. Animadversionib. instrux. Hoepfner. P. I. 1799. 8. maj. $\frac{5}{12}$ Thlr.

— — Nubes. Brunckii, Hermanni, Reisigii animadversionib. instrux. Schütz. Editio quarta. 1827. 8. $\frac{5}{12}$ Thlr.

Ciceronis orationes selectae XIV. Notis substratis et indice nomm. adiecto illustr. Wetzel. Editio secunda. 1820. 8. mai. 1⅓ Thlr.

Cicero's Reden f. d. Archias, Milo und gegen den Catilina, übers. m. Erläuterungen von Grosse. 1821. 8. 1 Thlr.

— — Tuskulanische Untersuchungen, übers. m. Anmerkungen von Büchling. 1799. 8. 1⅓ Thlr.

— — Dialog üb. d. Alter, übers. m. Anmerkk. v. Schreiber. 1799. gr. 8. $\frac{5}{12}$ Thlr.

— — Lälius m. Anmerkungen übers. v. Schreiber. 2. Aufl., umgearb. v. Grosse. 1827. 8. $\frac{5}{12}$ Thlr.

— — Paradoxien, übers. m. Anmerkungen von Schreiber. 1799. gr. 8. ⅓ Thlr.

— — für d. T. A. Milo übers. u. erläut. von (Moz). 1794. ⅓ Thlr.

Demosthenes, Philippische Reden, übers. erläut. m. Abhandlungen v. Becker, neue Bearbeitung. 2 Thle. (nebst d. Litteratur der Philippischen Reden). 1824—26. 1⅓ Thlr.

Euripidis Iphigenia in Aulide Graece. Commentario illustravit indicemq. verborum adiec. Hoepfner. 1795. 8. mai. 1⅓ Thlr.

— — tragoedia Phoenissae, c. scholiis Graecis in usum lectionum iter. ed. adhibit. Valckenarii, Brunckii et Porsoni recensionibus, Hugonis Grotii versionem Latinam indicemq. verborum adiec. Schütz. 1821. 8. mai. 1⅓ Thlr.

Eutropii breviarium historiae Romanae, m. Erläuterungen von Grosse. 1813. 8. 1⅛ Thlr.

Ibn al Vardi Aegyptus, illustrav. Fraehn. 1804. 8. ⅛ Thlr.

Leibniz, G. W., sämmtliche Werke a. d. Französisch. v. Ulrich. 2 Bde. 1778—80. 2⅝ Thlr.

Malebranche sechs Bücher von der Wahrheit, übersetzt. 4 Bde. 1776—80. gr. 8. 4 Thlr.

Palaephatus von unglaubl. Begebenheiten, m. Anmerkk. u. Griech.-Deutsch. Wortregister von Büchling. 3. Aufl. 1809. 8. $\frac{5}{12}$ Thlr.

— — von unglaublichen Begebenheiten, übers. m. Anmerkk. von Büchling. 2. Aufl. umgearb. v. Grosse. 1821. gr. 8. ⅝ Thlr.

Petronii, T., sämmtliche Werke metrisch u. prosaisch übers. m. Commentar v. Schlüter. 2 Bde. 1796. gr. 8. ⅚ Thlr.

Platons Phaedon m. kritisch. u. erklärend. Anmerkungen v. Grosse. 1828. 8. 1⅛ Thlr.

Plinian'sche Anthologie m. Anmerkungen von Grosse. 1798. 8. ⅝ Thlr.

Sallust, C. C., Catilina übertr. von Grosse. 1817. gr. 8. ¼ Thlr.

de Schnurrer, Chr. F., bibliotheca Arabica, auctam nunc atq. integr. edid. 1811. 8. 2⅓ Thlr.

Schütz, Chr. Gdfr., Chrestomathia. 2 Prts. 1772—74. 1⅓ Thlr.

Tacitus Germania, erläut. von Schwedler. 2 Thle. 1795. 8. $\frac{7}{12}$ Thlr.

Terenz Lustspiele metrisch verdeutscht m. Anmerkk. v. Schmieder. 6 Thle. 1790—93. 8. (2⅚ Thlr.)

Theophrast moralische Charaktere m. Anmerkungen u. griechisch-deutsch. Wortregister herausgeg. von Büchling. 1792. gr. 8. ⅔ Thlr.

Auszüge aus Xenophons Schriften, herausgeg. m. Anmerkungen u. Griech.-Deutsch. Wortregister von Becker. 1794. 8. $\frac{7}{12}$ Thlr.

Xenophons Gastmahl u. Oeconomicus, übers. m. Anmerkk. von Becker. 1795. 8. $\frac{7}{12}$ Thlr.

— — Feldzug des Cyrus u. Rückzug der Hellenen übers. u. erläutert von Becker, nebst 1 Karte. 1802. gr. 8. 1⅓ Thlr.

J. F. Lippert.

Halle, im April 1843.

Quaestionum Propertianarum

Libri tres.

Quaestionum Propertianarum

Liber primus.

De Sex. Aurelii Propertii vita.

Caput I.

De patria Propertii.

Sex. Aurelii Propertii patriam, quamvis Umbriam fuisse ab ipso poeta doceamur (El. I, 22, 9. IV, 1, 63. 64. IV, 1, 121. IV, 1, 124.) tamen quia oppidi nomen nusquam aut ipse affert aut alii veterum commemorant: factum est, ut septem vel plures etiam urbes quasi alterum Homerum civem eum sibi vindicarent. Inter quas Ameriae patrocinio suscepto Iosephus Scaliger, ea quam in magno viro quamvis errante semper admirari solemus confidentia, se Transalpinum Italos atque adeo ipsos Umbros Propertii patriam docuisse gloriatur (Castigg. in Prop. p. 229.). At omnes has rixas, non sine aliqua acrimonia gestas, Donnola solvere sibi visus est Hispellas, qui libro satis insulso (S. Aurelii Propertii Patria ed. Donnola. Fulgin. 1629, 4. iterum ed. a Schurzfleisch. Viteberg. 1713.) veri investigationi plus nocuit quam profuit. Hic enim intempestivo patriae amore ductus Italorum malae sollertiae ansam praebuisse videtur, ut antiquitatis fide in suam gloriolam abusi monumento cuidam sepulcrali, quod L. Cominii L. F. Lem. nomen cum imagine iuvenili exhibebat, Propertii nomen superadderent. Cuius lapidis Hispelli in impluvio Pamphyliorum principum inventi et a Passarinio descripti (in libello apud Burmannum recuso ad El. I, 1, p. 3.) non modo antiquitatem, sed etiam utramque inscriptionem ut ingenuam defendere, caput vero illud ipsius esse Propertii demonstrare conati sunt Fontaninus, Montefalconius (Antiqq. Supplemm. T. III, L. I, c. 4. p. 171. sqq. cf. Muratorii N. Th. p. MCDLV. Orell. C. I. n. 1166.), Barthius (vit. Propert. p. LXXIV. sqq.), Burmannus (ad Propert. I, 1, 1.).

Quos specie deceptos iam solius capilli passi et per colla sparsi consideratio redarguere possit, qualem mori Romano prorsus alienum nonnisi in deorum signis conspici E. Q. Visconti us declarat, Icon. Rom. T. I, p. 338. Unde vel Montefalconium, qui ad similem Virgilii imaginem provocaret, frustra fuisse patet. Non minus enim haec quam illa subditicia. Neque vero iam antea defuerant, qui fraudem hic subesse aliis argumentis evincerent, inter quos Fr. Car. Conradus (Actis Erudd. Lips. ann. 1725. Aug. p. 363.). At ne dignam quidem tanta contentione causam esse apertissimis argumentis docuit Fabius Albertus Mevanas. Hic enim postquam libello De patria Propertii collectioni opusculorum philologicorum, quam tum Calogeratus Venetiis curabat (*Nuova raccolta d'opuscoli scientifici e filologici. Ven.* 1760. Tom. VII, p. 62—280.) inserto patriam Propertio Mevaniam asserere studuit, mox additamenta dissertationi suae pag. 268. post vocem Osservazione subiungere destinavit, sed Villoisonio petente (anno 1782.) in Santenii usum ea concessit. Ex illis autem paginis, quae nunquam publici iuris factae etiamnunc in bibliotheca regia Berolinensi inter thesauros Diezianos asservantur, hoc apparet, lapidem, quem anno 1722. ex herbis et ruderibus erutum esse Passarinius narrat, multo iam tempore ante Donnolae librum et extitisse et visum esse. Sed cum Ludovicus Iacobillius I. C. Fulginas (in additamentis mss. ad „Inscriptiones antiquas existentes in Urbibus et locis Provinciae Umbriae una cum earum declarationibus“ cett. Fulgin. ap. Alter. 1661. 4. p. 383.) lapidem eodem loco quo Passarinii (i. e. in domo Pamphiliorum, quae tum fuit Dominorum de Urbanis) a Fausto quodam repertum ita describat, ut quin idem sit cum illo dubitari non possit: hanc tamen solam inscriptionem commemorat: L. COMINIVS L. F. LEM., alteram, quamvis multo maiore fuisset momento, omittit. Unde iure suo Albertus colligit, illam veram et ingenuam, hanc post Donnolae librum a falsario additam esse. Quem Donnolam ipsum fuisse Io. Dom. Coletius litteris IV. id. Iul. 1781. ad Santenium datis asseverat, Fr. Ant. Zachariae testimonio nisus, qui (Institut. Lapidaria p. 497.) eum ut hominem fraudium et nugarum talium plenum notat. Haec de lapide. A quo multum diversa altera quaestio, num, quod Albertus evicisse sibi visus sit, Mevania vera Propertii patria fuerit. Plaudit illi et assentatur is, quem modo commemoravimus Coletius, qui cum litteris illis magis etiam eam opinionem futurum omnemque dubitandi viam interclusurum se promittat, nihil aliud quam totum Alberti librum exscripsit. Quin immo tamquam amici

et hospitis opes semel compilasse non satis esset, iterum eadem repetiit in epistola De nova Ovarii voce et officio ipsi Alberto inscripta, edita vero Venetiis 1781. 4. Multo autem magis admiramur, quod et Lachmannus (ap. Iacob. ad Propert. V (IV), 1, 125.) et Paldamus (in libello de Eroticis Romanis. Gryphisw. 1833. p. 59.) eius argumentis tam parati cesserunt. Nam hallucinantium quales tot illa aetas tulit Italorum hunc quoque unum fuisse, quamvis doctiorem sane ceteris nec raro satis acutum, iam circulatoria eius libelli loquacitas, qua easdem res ter quaterque recoquere non veretur, satis potuit declarare. Accedit promta ad quodlibet pugnae genus levitas, quum modo huius modo illius scripturae, ut quaeque suae sententiae maxime favere videatur, causam suscipiat, nec dum alterum adversarium prosternat, alteri praevaricari dubitet. Hinc toties argumentis refutationem statim adnectit, cuius generis exemplum nobile, quoniam rarus est in his oris liber, infra subiecimus *). Sed quamvis rationibus quibusdam ita ridiculis utatur, ut interdum ioco serione agat dubites (cf. vel ad El. II, 34, 56.), tamen quod et primus accuratam omnis eius regionis descriptionem dedit, et quum omnia quaecunque sibi opponi possint argumenta elevare studeat, imprudenti doctrinae iactatione nolens saepe verum prodit, non sine commodo legetur. Neque hercle ego, quum tantum inter nostros homines patronum sit adeptus, destruendis illius opinionibus supersedere mihi licere existimavi. Quamquam inde haud dubie inquisitio sit ordienda, ut Propertii locos, quibus ipse patriae suae meminit, cum vera earum regionum natura et situ comparemus. Atqui primum ille ex ea Umbriae parte oriundum se narrat, quae loco edito posita proxime contingat campum Perusinum. Sic enim El. I, 22, 9.: Proxima supposito contingens Umbria campo — me genuit — interpretandum, nec supposito pro ablativo (quod I. H. Vossius mavult) sed pro dativo e voce proxima pendente accipiendum esse duo reliqui loci (IV, 1, 65. et 125.) docent, qui-

*) P. 111. *E per verità se si rifletta, che nella vasta pianura, di cui parlò Properzio, anzi in tutta la valle Spoletana — non si vede lago di sorte alcuna, tosto ne siegue di non aver giammai potuto scrivere il Properzio lacus Umber.* P. 129. *Che se poi piacesse a taluni di ritener nel verso accennato l'altra lezione più volgare con leggere: lacus Umber — ciò non incontra presso di me grave difficoltà. L'Imbersato di cui ò fin' ora discorso pare a me, che poss' anche propriamente chiamarsi lago.* P. 131. *Ma se questo mio discorso non piacesse ad ognuno, tenterò di soddisfarlo in altro maniero.* — Sequitur deinde, ut iam ipse Clitumnum lacum interpretetur.

bus hoc certe evincitur, ut in vertice surgentis collis, non sub radicibus oppidum positum fuerit. Nam ex altero eorum:

Scandentisque Asis consurgit vertice murus —

sive, quod optimae membranae tuentur, Asis mecum probes, sive saxi malis vel arcis (nam axis profecto nihili est), tantum sine dubio apparet, murum aut vertici montis cuiusdam impositum esse aut, quod equidem haud dubie praefero, vertice pro ablativo q. d. instrumenti accepto murum vertice montis effici. Nam prisca Italiae oppida summis montibus inaedificata his ipsis natura validis pro moenibus utebantur, quum loca ascensu dubia arte praeruptiora essent reddita, humiliora molibus exaequata et propugnaculis cincta, ea denique, quae eminente cacumine ruinam minitarentur, substructionibus firmata. De quo cf. Niebuhr. Histor. Rom. T. III, p. 461. sqq. et Bunsen. in descriptione Urbis Romae T. I, p. 136. p. 617. sqq. T. III, p. 12. et 13. Hinc illud Propertii: Murus erant montes El. IV, 4, 13. Cf. ad El. III, 16, 3. IV, 1, 125. Hinc arces, quo nomine proprie montes significari notissimum est (cf. Prop. III, 15, 27. Drakenborch. ad Sil. Ital. XV, 305.), pro oppidis montibusque eo modo munitis dicuntur (Lucan. Phars. III, 83. Iuvenal. III, 192. XIV, 87. Sil. Ital. XII, 608. Virg. Ge. II, 534.), hinc arx Capitolium (Bunsen. l. l.), hinc quod interpretes fere fugit Horatii sacrae arces (Od. I, 2, 3.), hinc denique Propertius ipsa oppidorum munimenta, qualia modo descripsimus, nullo nisi nominis discrimine (l. l. v. 65.) murum appellat:

Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
ingenio muros aestimet ille meos.

Nam ut arces murum lateritium et in plano erectum significare posse Alberto concedam — quamquam quo exemplo eum usum defendam non habeo; cf. comment. ad e. l. —, tamen quoniam superiore loco scandens sive saxum sive Asis nisi de montis iugo accipi non poterat, hic quoque ut eiusdem participii in eadem re positi eadem sit voluntas necessario sequitur. Atqui cum scandendi verbum de monte per gradus sese extollente optime dici pateat, in muros ad perpendiculum eductos idem minime cadit. Itaque hic quoque scandentes arces non muros Mevaniae interpretemur, quae, si qua Alberto est fides, olim a ripa Clitumni sursum aliquanto ad latus collium pertinebant (l. l. p. 137.) — sed ea, de quibus supra exposuimus, naturae munimenta. Unde simul Arnam ex adversa Tiberis ripa

Perusiae oppositam non indicari colligitur. Ea enim in ipsa planitie est; nec si haec significasset, claro Tiberis nomine omisso, Clitumno fluvio ad constituendos ab altera parte patriae suae fines usus esset. Convalli autem illi, per quam Clitumnus fluens Mevaniam alluit, proxima et contigua moenia civitatis ex montis vertice imminuisse tam aperte dicit, ut ipsam Mevaniam hic nemo nisi falso proprii agelli amore occaecatus intelligere possit. Tangitur enim patriae ora (IV, 1, 123.), non ipsa patria est,

qua nebulosa cavo rorat Mevania campo
et lacus aestivis intepet Umber aquis.

Cf. ad e. l. comment. Lacus autem Umber ipse Clitumnus est, eodem modo a Philargyrio ad Virg. Ge. II, 147. lacus dictus. Nam aquosae ripae rivulis abundantibus proxime fontem celeriter auctus Plinio teste (Epist. VIII, 8.) „gurgitem facit, qui lato gremio patescit.“ — Quid vero Albertus? Ut magis proprie sua Mevania describatur, audax docti cuiusdam Itali inventum iam a Scioppio prolatum a Broukhusio autem merito explosum, sacer-imber iterum in ordinem recipere conatur, eumque imbrem Thermas veteres Mevaniae interpretatur, quae hodieque Inversato dictitentur. Sic quoque iam Scioppius. Sed Albertus, quo propius sonum vocis exprimat, crassius Imbersato pronuntiat. Rursus Coletius v. 125. nescio cuius Orelpedii, quem personatum esse Diomedem Montesperellium Perusinum ait, coniecturam assus murus recipit, quam per lateritium murum explicat, qualem Mevaniae fuisse Plinius auctor sit (Nat. Hist. XXXV, 14.). Sed quis unquam fando audivit, aut assum murum pro lateritio dici, aut Thermarum aquas sola aestate tepere? Itaque ne diutius talibus nugis tempus teramus: si verba ipsius Propertii optimo quoque librorum mss. servata sequimur, res ipsa cogit, ut oppidum in eo tractu montium quaeramus, quos ex Apennino devexos ab altera parte Tiberis ab altera Clitumnus praeterfluit. Hic autem inter duo solum optio conceditur, Hispellum et Asisium, quorum priori illud sane favere videatur, quod notis penatibus editum se esse Prop. dicit. Hoc enim si non de domo Propertiana, sed de publicis municipii penatibus dictum accipias (ut El. I, 22, 1.), aptius videatur Hispellum. Nam et colonia Iulia splendidum erat (cf. Gruter. C. I. p. 351. Orell. n. 3885. add. Murator. 155, 3. Orell. n. 2170.) et balneo hospitioque publico celebrabatur. Cf. Plin. epist. l. l. Praeterea vero etiam a Mevania et lacu Clitumni, de quo modo vidimus,

propius aberat. Nam superior pars fluminis ab Augusto Hispellatium ditioni addita (Plin.) eo aptius a Propertio ad definiendos agri patrii limites adhiberi potuit. Rursus poetam, ubi se cum amica rusticaturum esse promittit,

qua formosa suo Clitumnus flumina luco — Integit —

paterna rura intelligere veri simile est. Haec autem ea ipsa regio videtur esse, quam Plinius l. l. accuratius his verbis describit: „collis antiqua cupressu nemorosus et opacus“ et infra „ripae fraxino multa, multa populo vestiuntur.“ Sed hic Albertus (p. 257.) ceteris argumentis probabilius hoc obtendit, non posse Hispellum, coloniam a Divo Iulio deductam, ab Octaviano veteranis assignatum esse; atqui Propertii patriam fundumque ipsum funesta pertica esse circumscriptum (cf. cap. 3.). At, primo quidem, quis tandem demonstravit, coloniam illam Iuliam C. Caesaris nec ipsius Octaviani fuisse? Nam Frontini libro omnino non commemoratur. Sin Octaviani: et Plinii testimonium, quo Hispellates superiorem Clitumni cursum villis et templis conspicuum ab Augusto dono accepisse docemur, optime cum Suetonio (Octav. c. 46.) convenit, qui principem coloniam a se deductas publicis operibus et vectigalibus ad augendam earum dignitatem plurifariam instruxisse refert: neque imminutum poetae nostri patrimonium quisquam, puto, admirabitur. Sed ut etiam a Iulio Caesare deductam coloniam concedas, quid istis „duris Italiae temporibus“ aut pietas Octaviani aut possessorum innocentia ad arcendam militum vim et licentiam profuerit, palam loquuntur historiae. Cf. loci Cass. Dion. XLVII, 14. XLVIII, 6. 7. 8. Appian. Bell. Civ. V, p. 678. 679. 686. Omnes enim Italiae agri passim tunc diripiebantur. Praeterea Propertius neque ipse veteranus fuit neque coloni Caesariani filius. Atqui hos quidem, si modo tum Hispelli fuerint, ut partibus Triumvirorum favisse veri simile sit, veteres tamen eius coloniae municipes idem fecisse, minime sequitur. Itaque si forte a Triumviris augeretur colonia sive ad supplendas vicini oppidi sortes quibusdam certe militibus agri Hispellatis praecisurae assignarentur (cf. Cic. Phil. II, 40. Serv. ad Virg. Eclog. IX, 7, 28. Sicul. Flacc. de condit. agr. p. 21. 25. Hygin. de condit. agror. p. 208.), ut veteres possessores, non coloni plecterentur, consentaneum erat. Quare ne sic quidem Propertium bona patrimonii parte spoliatum esse, nec propinquum (El. I, 22, 7. cf. cap. 4.) ad L. Antonii partes transiisse, qui tunc oppressae Italiae patronum unicum se iactaret, cum temporum conditionibus pugnat. Atque his quidem causis adducti sumus, ut in interpretatione

poetae germanica Hispello oriundum Propertium paullo confidentius pronuntiaremus. Quamquam non negamus, maiorem eorum partem vel certe ea, quae contra Albertum protulerimus, etiam in Asisium valere, pro hoc ipso autem praeterea multa facere argumenta, quae tunc nondum invenissemus. Primum enim Asis montis commemoratio, unde Asisium nomen accepisse videatur, magis ad significandum hoc quam illud oppidum fuerit propria. Asim enim, quod nomen optimus quisque codd. mss. exhibet, et vel deteriores ipsis erroribus fuisse in veteribus exemplaribus clarius aut obscurius indicant, Asim autem iugum illud vocatum esse, in quo et Hispellum et Asisium situm esset, ex iis quae hucusque disputavimus satis credo apparuisse. Neque enim, quod in tota antiquitate hic solum occurat, hoc illi magis fraudi fuerit, quam cuilibet alii regioni, cuius propter obscuritatem bis semelve mentio fiat. Nisi forte ob eandem causam ipsum Asisium ante Ptolemaeum in rerum natura non fuisse, Alberto (p. 218. sqq.) credas. Quamquam hic non modo argutus est sed etiam mendax. Nam qui Asirinates a Plinio appellantur Umbriae oppidani (Nat. Hist. III, 19.), quin iidem sint atque Asisinates (C. I. Orell. n. 1250.), nemo doctior unquam dubitaverit. Nam litteras s et r quum ab aliis Italis tum ab Umbris frequentissime in nominibus confundi nimis est notum. Cf. Od. Müller. De Etrusc. I, p. 47. Nec, puto, Albertus dubitavit; nec vero alias omnia rimantem Plinii locus in medio positus fugit. Sed de industria catus abbas eum tacuit, quum illud ageret, ut Asisium Propertii aetate nusquam fuisse quovis pretio demonstraret. Nos vero si illud oppidum, quamvis neque a Strabone neque a Silio commemoratum neque adeo a Plinio nisi incolarum nomine appellatum, nihilominus fuisse eo tempore secure affirmamus: quid Asim montem? qui, quum veteres in enumerandis montium et regionum nominibus multo soleant socordiores esse quam in oppidorum gentiumve, vel a diligentissimo geographo sine crimine omitti potuit, nec certe a Propertio esset nominatus, nisi in paterni soli descriptione. At ne nunc quidem apud accolas eius tractus pristini nominis vestigia prorsus videntur evanuisse. Subasius enim saltus vocatur, nec ita pridem etiam Asius (Pasin. in vocabular. latin. in append. litt. As. citante Alberto l. l. p. 235.), quam formam proxime abesse ab Asi Propertii, quis praeter Albertum est quin sentiat? Illud vero festivi hominis dubito an suavissimum sit commentum, quo nisi sciens iocatus est, reconditam plane prodit rei diplomaticae doctrinam, quod p. 241. eos, qui Asis pro nomine q. d. proprio habeant,

contra notissimas orthographiae regulas offendere ait. Has enim, ut littera initiali maiori scribatur, flagitare; at vero in codd. mss. omnibus minuscula exaratum inveniri. Haec ille lepidissime. Nos vero quod de monte Asi Asisium appellatum esse coniecimus: ea si vera est suspicio, aliam fortasse causam, cur poeta nomen patriae non diserte nuncupaverit, hanc aliquis fuisse haud absurde divinet, quod etsi non prorsus iis sit adnumerandum, quae „versu dicere non est", tamen propter naturam ultimae non commode in elegis sedeat. Egregie praeterea cum Propertii locis II. concinit Asisii descriptio apud Dantem Aligierium, qui Paradis. cant. II, de Sto Francisco:

Fertile costa d'alto monte pende,
Di questa costa, là d'ove ella frange
Più sa rattezza nacque al mondo un sole.

Vides terram fertilem uberibus (El. I, 22. extr.), vides arces valli imminentes, vides denique scandentes arces. — At omnis lis iam diu composita fuisset, si viri docti inscriptionem aliquam a Muratorio, quod sciam, primo prolatam, de cuius integritate non modo Burmannus, sed ne ii quidem dubitarunt, qui in diversa tendentes obstantia omnia negando vincere solent, Donnola et Albertus, tantum quantum debebant attendissent. Asisii enim inventa extat in N. Th. Inscr. vett. MDCCXXIII, 4. hisce notis concepta:

C. PASSENNIO
C. F. SERG
PAVLLO
PROPERTIO
BLAESO

Propertius enim Blaesus, qui a C. Paullo adoptatus in gentem Passenniam et Sergiam tribum venit, quin idem fuerit, cuius nomen apud Plinium minorem bis commemoratum a librariis promptissimo errore Passienus Paullus scriptum est, dubitari non potest. Plinius enim cum Epist. VI, 15. elegorum illum scriptorem simul et equitem splendidum inter maiores suos Propertium numerare dicat, hoc ego olim minus proprie dictum sic interpretabar, quasi materni fortasse Paulli proavi Propertium poetam genere contigissent, unde et nomina diversa explicari, et meam, quam ex carminibus poetae conceperam, opinionem cum Plinii testimonio recte componi posse censebam, scilicet Propertium nunquam fuisse maritum. Iam vero quo accuratius illum locum excutiebam et alterum quoque in comparationem adhibebam, eo certius errasse me intellexi. Ita aperte enim Paullum recto stemmate

a Propertio descendisse Plinius declarat, ut qui contra interpretentur, omnem verborum proprietatem sublaturi esse videantur. Haec enim ille: „Passennius Paullus splendidus eques Romanus et imprimis eruditus scribit elegos. Gentilicium hoc illi: est enim municeps Propertii, atque etiam inter maiores suos Propertium numerat.“ Sed multo etiam magis perspicue IX, 22: „Praeterea (P. P.) in litteris veteres aemulatur, exprimit, reddit; Propertium imprimis, a quo genus ducit; vera soboles eoque simillima illi, in quo ille praecipuus. Si elegos eius in manum sumpseris, leges opus tersum, molle, iucundum, et plane in Propertii domo scriptum.“ Itaque, ut aut materno genere a poeta nostro Paullus originem duxerit, aut, quod extrema Plinii verba persuadent, novum nomen adoptione tantum invenerit, plane efficitur. Alteram vero hanc sententiam lapis confirmat, quem aut a vaferrimo simul et doctissimo impostore confictum aut ingenuum esse, ut qui maxime, confitendum est. Nam et viri et tribus nomina iusto ordine disposita praefert, et cognomen patris cum proprio ita adoptivis subiungit, ut illorum temporum usus, ne superiori quidem aetati alienus, postulabat. Cf. Paull. Manut. ad Cic. Epp. Famill. IV, 8. p. 361. Graev. G. I. Voss. A. Gr. III, 7. p. 121. et quos citat Goettling. Histor. Reip. Rom. p. 111. Eckhel. Doctr. Numm. II, 5. p. 59. coll. Sueton. Galb. 4. Praeterea Passeniorum nomen gentile, quod ex Passieno librorum Plinianorum defingere doctioris fuerit malitiae quam qualem in Italis ea tempestate fuisse iure suspiceris, Herenniis, Pescenniis, Caesenniis aptissime est conformatum. Quae omnia si recte a nobis sunt disputata, ut Passennius Asisinas, quem non modo progeniem Propertii sed etiam municipem fuisse cognovimus, eandem nostro poetae patriam vindicet, ultro sequitur. An tu forte malitioso fortunae ludibrio factum esse censes, ut ille lapis in obscurum alioquin Umbriae angulum coniectus futuros Propertii interpretes velut de industria ludificaretur? Quid quod alia quoque monumenta restant, quae Asisii Propertiorum familiam quondam floruisse testentur? Quorum ego unum tamen ingenuum spondere ausim, utpote quod a Muratorio receptum (p. MDCCXXXII.) nec Donnola nec Albertus impugnare conati sint, his verbis expressum:

C. PROPERTIVS
CRESCENS ET LIBER
BENEMEREN.

Possim ego, si numero vincere velim, plura etiam afferre. Nam Gammurrinus in Historia Genealogica nobilium Tusciae

et Umbriae familiarum (Florent. 1668. 3 voll. fol.), quem librum in ditissimo litterarum penu Gottingensi asservatum Odofr. Müllerus mihi indicavit (de Etruscis I, p. 419.), Schneidewinus humanissime mea causa contulit, duodecim universos lapides eruit, Propertiorum nomina in fronte gerentes. Sed quoniam et omnino ab Italorum fallaciis nunquam satis caveri posse existimo, et inscriptionum Gamurrinianarum novissimas duas suppositicias esse pro comperto habeo, ita eos hic transscribere tutissimum duxi, ut doctioribus liberum esset iudicium.

1. PROPERTI. T. F. A. L. SEX. TERTII. 2. T. PROPERTIVS. T. F. GRATVS.

3. C. PROPERTIVS. || HACCILIVS || MINERVE || D. D.

4. sequitur inscriptio e Muratorio supra relata, ordine verborum et litteris paullulum immutatis.

5. T. PROPERTIVS || R. GRATVS. 6. PROPERTI. A. SRX. L. || TERTIA. 7. PROPERTIVS. T. F. GRATVS. 8. PROPERTI. T. F. L. SEX. TER. 9. C. PROPERTIVS. C. F.

10. ....RONI. CONSVLAR.....
ET TITINIO PETRONIA.....
CVCO. C. PROPERTIO. CHISIO.....
AMENTIS ARBI.....
VN.... ET

11. PROP. DE ASI. Hanc statuae insculptam fuisse G. ait, cuius fragmentum pedibus solis servatis in domo Gangellorum Asisii sit repertum.

12. PRO. D. ASI. His quoque notis statuae fragmentum inscriptum dicitur, quod anno 1500, quum aquaeductus resarcirentur, circa moenia vetera Asisii sit detectum. Haec Gamurrinus. De cuius auctoritate nobis quoque plus quam dubia quidquid sentis, reliquis tamen testimoniis ita acquiescendum puto, ut, donec contrarium novis argumentis probetur, Asisinas Propertius habeatur.

Caput II.

De genere Propertii.

Gentem Aureliam Romae, quamvis plebeiam antiquissimam tamen et ex Sabinis oriundam, Auseliam antiquitus dictam a Sole esse, quod ei a P. R. locus publicus datus esset, in quo Solis sacra facerent, Festus s. v. tradit.

Aurelios, quibus varia praesertim sub principibus fuerunt cognomina (cf. Glandorp. Onomast. p. 140. Fulv. Ursin. et Anton. Augustin. in Graev. Thesaur. tom. VII.), florente re-

publica solos Cottas, Orestas, Scauros omnibus honoribus nobiles invenimus. De municipali autem familia, unde Propertius natus est, parum constat. Quamquam satis probabili coniectura huc Sex. illum Propertium rettuleris, de quo Rhetor pro Domo sua (c. 19.) meminit, et Sex. Propertium Epaphram, qui in inscriptione Nemausensi comparet (Gruter. C. I. p. 825, 9. Epapta ibi legitur). Etenim praenomina ita in familiis servari solebant, ut natu maximus patris praenomen acciperet, libertini autem cum nomine gentilicio simul praenomen patroni mutuarentur. Cf. Manut. ad Cic. Epp. Famill. V, 1. Casaubon. ad Pers. Sat. V, 78. Goettling. De Republ. Rom. p. 142. all. Certius videtur de Propertia, cuius nomine inscriptum lapidem satis mutilum — nihil enim praeter haec verba: PROPERTIA CVM .. comparet — prope Mevaniam in colle inventum esse Coletius in epistola ad Santenium Kal. Sext. 1781. scripta narrat. Nam si fides est homini ad Iacobillii testimonium provocanti (de cuius fraudibus cf. Murator. 1800, 1. 1806, 6.) aut collem illum quondam in ditione Asisii finitimi fuisse, aut a Mevanate in matrimonium ductam mulierem censemus. Frequens enim connubium inter tam propinqua oppida fuisse, satis est consentaneum. Neque igitur quidquam amplius ex nomine Sex. Caesii Sex. F. Propertiani colligas, modo recte id Coletius ex fragmentis marmoris litterati (ap. Murator. T. II, class. X, p. DCCLXV, n. 7.) elicuerit. Hic enim de familia Propertiorum in Caesium nomen adoptatus fuerit, quam Mevaniae floruisse duobus suae collectionis lapidibus n. 84. et 47, ubi Sex. Caesius Chresimus Sex. Libertus et Caesia Sex. liberta legatur, colligi, idem Coletius asseverat (l. l.). Num vero Propertius ille Celer, cuius Tacitus (Ann. I, 75.) mentionem facit, huc pertineat, non magis liquet, quam de Q. Propertio ap. Gruter. (C. I. p. 952, n. 4.), de C. Prop. Haegio apud Murator. (I, p. LIII, 2.), de Q. Prop. Q. F. Fab. et C. Prop. IIIviro ibid. (II, p. 788, 2.) obviis aut de iis omnibus, quorum nomina dubium vera an conficta in superiore capite ex lapidibus Asisinis excitavimus. Nec nos Vulpii nugas de Propertio Tusco rege (v. Caton. ap. Serv. ad Virg. Aen. VII, 697.) curamus, quem ille poetae proavum facit (cf. Barth. Praef. Prop. p. LXV. T. I, p. XVI. Kuinoel.), cum ne equestri quidem loco natum eum Barthii argumenta evincant. Nam nec Passennii exemplum (de quo vid. c. I.), utpote qui adoptione in aliam domum venerit, quidquam ad Propertii censum valet, multo vero minus inflexum in theatris collum (El. IV, 8, 77.), quod ad XIV. ordines referendum esse Barthius subridicule

existimat. Quamquam maiorem veri speciem ex El. IV, 1, 131. traxerunt, ubi Propertius

Mox, inquit, *ubi bulla rudi dimissa est aurea collo* cett.

Namque omnes hic interpretes in eo conspiraverunt, ut auream bullam equestris ordinis insigne dicerent, testimonio potissimum Plinii usi, qui (N. H. XXXIII, 4.) inde a Prisco Tarquinio morem bullae durasse ait, „ut eorum, qui equo meruissent filii, insigne id haberent, ceteri lorum.“ Sed obstat testium numerus haud spernendus (Festus s. v. auream bullam. Aurel. Victor. de virr. ill. c. 6. Macrob. Saturn. I, 6.), qui commune id omnium ingenuorum ornamentum fuisse significant. Luculentissimum autem imprimis testimonium, quo omnis lis dirimatur, apud Ciceronem extat (Act. II. in Verr. I, c. 58.), qui praetoris avaritiam ut summam demonstret, Iunio Rabirii pupillo, P. Iunii de plebe Romana hominis filio, bullam „ornamentum pueritiae, indicium atque insigne fortunae“ ab isto praedone ereptam esse queritur. Ad quem locum Asconius: „Simul cum praetexta etiam bulla suspendi in collo infantibus ingenuis solet aurea, libertinis scortea“ cett. Quid igitur? Pliniumne falsi accusemus? Minime vero. Namque usum illum, quo filii eorum, qui equo meruissent, bulla donati essent, durasse quidem, neque tamen ad sua tempora durasse ait, neque ubi paullo infra de insignibus equestris ordinis, qualia suo tempore fuerint, loquitur, bullam commemorat et disertis praeterea verbis longe aliam tum fuisse equitum et rationem et conditionem atque prioribus reipublicae temporibus exponit. Neque certo est, qui post Niebuhrium (H. R. I, p. 480. sq. 449. sq. ed. III. p. 450. 410. ed. II.) dubitet, quin duplicatae a Tarquinio Prisco equitum centuriae omnes optimi iuris ingenuos Romanos continuerint. Hos autem postquam cum plebe sui iuris facta omnes honores communicaverint, quid etiam puerorum ornamenta ei concessisse miremur? Quibus inopes et infima de gente natos paupertate coactos uti non potuisse, per se liquet. (Cf. Iuven. Sat. VI, 163. ubi v. interpp.). Quid multa? Cavendum est, ne poetae paupere lare contento divitias et honores ab ipso spretos falso studio ducti obtrudamus. Acquiescamus potius propriis Propertii testimoniis, qui ingenue profitetur, fortunam semper se iacere voluisse (I, 6, 25.), nec sanguine avito se nobilem neque ita divitem fuisse (II, 24, 36.), parvam domi fortunam relictam, nullum et antiquo Marte triumphum avi (II, 34, 56.). Ceterum de cognomine Nauta cf. commentar. ad inscript. lib. I.

Caput III.

De anno, quo Propertius natus sit.

Tempus, quo Propertius primum lucem diei vidisset, ita diversum Viri Docti definierunt, ut intra annos Urbis (Varronis ex computatione) 697. et 707. quasi vagi errarent. Et Vulpius quidem annum ipsum 697. (l. l. ap. Barth. p. LXV. LXVI. ap. Kuinoel. p. XVII.), Barthius 702. (p. LXXVII.) Crusius 701. (Vitt. Romm. poett. Vol. I, p. 104. interpr. Germ.) variis inveniebant coniecturis, quas melius apud ipsos videbis. Primus Lachmannus argumentis ex carminibus ipsis petitis annum statuit a. U. c. 706. aut 707. Sed cum totus hic locus ita cum Cynthiae amore et cum ipsa librorum editione cohaereat, ut vel secundi libri divisio, quae Lachmanno placuit, hinc aliquantum traxerit argumentorum, si quae fuerint in hac quam iam prolaturi sumus definitione, quae cum prioribus VV. DD. opinionibus pugnare videantur, ea quomodo se habeant suis locis pro virili exponere conabimur. Nam quod ex El. IV, 1, 127. sqq. particula „mox" seducti Vulpius aliique statim post agrorum distributionem ab Octaviano Caesare factam Propertium praetextam posuisse crediderunt, ideoque annum quo natus esset 697. aut 699. statuerunt: de huius particulae vi et usu ita ceteri interpretes disputaverunt (ad l. l. Barth. praef. l. l.), ut nobis iam pluribus supersedere liceat. Itaque iam reliqua videamus. Etenim eae elegiae, quas ultimo amoris tempore scriptas esse recte statuunt El. III, 4. et 5. annum sibi poscunt 732. In utraque enim expeditionis, quam Augustum, cum Sicilia et Graecia perlustratis ad res orientis componendas in Asiam proficisceretur, contra Parthos facturum esse suspicabantur, mentio fit. Hic autem, cum anno demum 734. M. Apuleio, P. Silio Coss. (Dio Cass. LIV, 7.) ex Graecia in Asiam traiiceret, etiamsi iam tum quum M. Lollio post Augusti recusationem solo cos. (Dio LIV, 6.) ineunte a. U. 733. in Siciliam transiret eam suspicionem fuisse concedimus, intra anni 731. limites recedere vetamur ab eodem Dione (LIII, 33.). Etenim sub huius anni finem legatis a Phraate Romam missis, ut Tiridatem fratrem exulem filiumque repeterent, Augustus Tiridatem quidem non dedidit, filium autem Phraati remisit, neque adversus Parthos Tiridati auxilium se laturum esse pollicitus est, dummodo captivi et signa Romana, quae ex Crassi et Antonii clade a Parthis usque adeo retinebantur, redderentur *).

*) Cf. Iustin. XLII, 5., qui paullo aliam atque Dio temporum rationem sequutus hanc novissimam legationem cum priore Tiridatis

Hoc igitur tempore, quo pax potius cum Parthis quam arma contra eos mota viderentur, duo illa carmina inferiora esse colligitur. Itaque anni demum 732. initio amorem Cynthiae desiisse et circa idem tempus El. III, 24. et 25. scriptas esse statuendum est. Quarum in altera cum vs. 3. dicat: Quinque tibi potui servire fideliter annos, huic si addideris, quod El. III, 16, 9. ait: Peccaram semel et totum sum pulsus in annum, computato discidio sex annos habemus amoris integros. Nam quod Lachmannus (praef. XXVI.) eos annos, qui illud discidium praecessissent, omissos esse dicit, id certe non quadrat cum animo irato et officia sua exprobrante: et hercle nobis quidem iam quinque anni talis servitii nimium videntur, nedum octo id durasse credamus. Nam triennium ante discidium iam Cynthiam amasse se ipse testis est El. III, 15, 9. sqq., ubi statim praetexta deposita in amorem Lycinnae venisse se ait. Ex quo:

Tertius, haud multo minus est, quum ducitur annus,
Vix memini nobis verba coisse decem.
Cuncta tuus sepelivit amor: nec femina post te
Ulla dedit collo dulcia vincla meo.

Quae post eum annum, quo pulsus fuisset, scribere eum non ausurum fuisse, Lachmannus recte iudicat (l. l.). Habemus igitur discidii annum 729., qui optime cum tempore El. II, 10. concinit, quam eo ipso anno necessario compositam esse infra demonstrabimus (Lib. III. Cap. II.). Triennium non biennium, sicut Lachmannus contra ipsius poëtae auctoritatem (l. l. v. 19.) vult, ut amorem ante discidium valuisse statuamus, praeterea El. II, 18, 13. suadet, ubi cum dicat:

Ergo, tam multos nimium temerarius annos,
Improba, qui tulerim teque tuamque domum
Ecquandone tibi liber sum visus? —

duos annos tam multos dicere vix potuerit.

Ita fit, ut initium amoris anno 726. idque aestivo tempori (coll. El. III, 20, 11. Libr. III. Cap. III.) tribuendum esse videatur. Ante quem si eum Lycinna per biennium usum esse

---

petitione, ut qui iam a. U. 724. ad Augustum in Syriam confugisset (cf. Dio LI, 18.), videtur confudisse. Nos certa Dionis testimonia quam oscitantem saepenumero Trogi epitomatorem sequi maluimus, praesertim cum reliqui rerum auctores, qui huius facti mentionem iniicientes praetereundo tantum rem commemorarunt (cf. Suet. Oct. 21. Vellei. Pat. II, 94. Ioseph. XVIII, 3. Tacit. Ann. II, 1. Epit. Liv. l. C.), ad varia commenta VV. DD. induxerint. Cf. Iani ad Horat. Od. I, 26. argum. Vaillant. Arsacidarum Imper. T. I, p. 170. sqq. Schmid. ad Hor. Epp. I, 12, 27. T. 9. Lindner de signorum militarium Augusto poscente facta restitutione. Amst. 1765. I. H. Voss. ad Virg. Georg. II, 107. III, 26.

ponamus*) annis XV. aut XVI. superadditis (nam anno aetatis XVI. togam virilem illo tempore sumere solebant idque Liberalibus a. d. XVI. Kal. Apr. cf. Ovid. Fast. III, 771. sqq. Cic. Ep. ad Att. VI, 1, 9.), ut natalis Propertii in annum Urbis fere 708, C. Iulio Caesare III, M. Aemilio Lepido Coss., inciderit, colligitur.

Qua cum ratione optime concinit, quod Ovidius anno U. 711. natus (cf. Masson. l. l.) Trist. IV, 10, 45:

Saepe, inquit, *suos solitus recitare Propertius ignes,*
Iure sodalitii qui mihi iunctus erat —

et, cum tam teneris annis, ut post eum Persius et Lucanus (Suet. in vitt. Pers. et Luc.), Propertius scribere incepisset, ea quae paullo infra addit (vs. 51.) amatoriorum carminum poëtas recensens:

nec avara Tibullo
Tempus amicitiae fata dedere meae.
Successor fuit hic, tibi, Galle; Propertius illi,
Quartus ab his serie temporis ipse fui,

et Trist. II, 465:

Invenies eadem blandi praecepta Properti,
Districtus minima nec tamen ille nota est.
His ego successi.

Ceterum nobiscum facere videtur Heynius, qui in vita Virg. ad a. U. 711. T. I, p. CXLVII: hoc anno, inquit, Ovidius natus est, nec multo ante Propertius.

Caput IV.

De pueritia Propertii.

In primos pueritiae annos incidit funesta agrorum distributio, qua a. U. 713. post Philippense proelium duodeviginti urbibus Italiae triumvirorum legionibus assignatis (cf. Heyn. vit. Virg. Ecl. I. Interpp. ad Tib. I, 1, 1.) etiam

*) Lachmannus unum annum tantummodo illi foederi concedit. At, quamvis certioribus argumentis destitutam esse nostram rationem aeque atque illius ingenue fateamur, pro amoris tamen illius indole, quo mulieres natu maiores iuvenes semel vinculis suis irretitos aegre sane dimittere notum est, plures annos id durasse iure suo fortasse aliquis coniiciat. Praeterea antiquitatis studia, cuius haud spernendam scientiam iam ante Cynthiae amorem comparasse sibi Propertium carmina libri quarti I, II, IV, IX, X. (de quibus cf. Cap. V. Lib. III. Cap. I. Cap. II. Lib. I. Cap. VI. — Lib. III. Cap. III.) testantur, ut longius aliquanto, quam anni tempus inter togam virilem et Cynthiae amicitiam intercessisse statuamus, persuadent.

Propertius patrimonii sui maxima parte privatus est, postquam paullo antea pater decessit. Namque Horologus (El. IV, 1, 128.) fata poëtae enarrans haec ait:

Ossaque legisti non illa aetate legenda
Patris, et in tenues cogeris ipse lares:
Nam tua cum multi versarent rura iuvenci,
Abstulit exultas pertica tristis opes,

et ipse II, 34—35:

Adspice me, cui parva domi fortuna relicta est.

Qua in re recte Barthius animadvertit (ad annum 713. vit. Prop.) longe aliter hac de clade Propertium, utpote qui tum infans adhuc fuisset, quam Tibullum, adultiorem iam eo tempore, loqui (coll. Tib. El. I, 1, 19—22. IV, 1, 183—190.). Quod autem ideo Propertium Augusti et Maecenatis liberalitatem maxime implorasse credendum esse dicit, id vellem argumentis probasset. Nihil enim tale quid ex iis, quae restant, poëmatis apparet. Neque, quomodo pater diem supremum obiisset, quamvis valde in eo se torquentes, indagare potuerunt VV. DD. Etenim, quem Perusina clade cecidisse propinquum suum narrat, patrem fuisse, vix quisquam demonstraverit. Hunc enim, quem ante agrorum diruptionem mortuum esse haud obscure poeta significat, Perusino bello, quod propter ipsas assignationum iniurias motum esse constat, interesse non potuisse colligitur. Rectius illum eundem cum Gallo eo credideris, de cuius morte breve poematium extat El. I, 21.

De studiorum autem ratione et modo, quantum ex ipsis poëtae scriptis et temporis ratione assequi licet, tantum est.

Praeformatis enim litteris Romam eum impuberem adhuc se contulisse, ut ad artium liberalium incumberet humanarumque studia (A. Gell. N. A. XIII, 16. Cic. de Or. I, 16. pro Murena c. 29. pro Arch. 3. Heindf. ad Horat. Sat. I, 6, 77.), quibus oppidanos ludos tum quidem nondum patuisse ex Horatii et Persii exemplo apparet, verisimile est (cf. Hor. Sat. I, 6, 76. Pers. Vit. ap. Suet.). Nam statim posita praetexta ad carmina pangenda se applicuisse ipse se refert (IV, 1, 131. sq.). Ad haec autem studiorum initia si iure quodam nostro priorem libri quarti eleg. 1. partem usque ad vs. 70. referamus, quam ante Cynthiae amorem scriptam esse eiusdem eleg. vs. 140. docet (vid. infra Lib. III. Cap. II.), iam tum Alexandrinorum poëtarum lectione ut imbutus fuerit, efficitur. In grammaticorum enim scholis (l. l.) sedulo et latini et graeci poëtae versabantur et explicabantur (Quintil. I, 8, 5. Burm. ad Petr. c. 5. el. 48. Plum. Pers. Sat. I, 28.

Plin. Ep. II, 14, 2. Schmid. ad Hor. Ep. l. l.). Hic igitur Propertius ad Alexandrinorum poëtarum exemplaria, quae cum libera republica diu despecta iacuissent tum iam unice expeti et adamari coepta erant, applicuisse se videtur (cf. Lib. II. Cap. VII.). Quo magistro autem usus sit, non facile quisquam dixerit. Neque magis liquet, a quo iuventutis suae rege sit institutus, quoniam pater iamdudum mortuus ipse, uti Horatio contigit, filii moribus adesse non potuit, neque adeo, utrum e grammatici disciplina in rhetorum scholas transierit, an eo statim magistro usus sit, qui utrumque doctrinae genus coniunxisset (cf. vel Sueton. l. l. et de illustrr. gramm. init.).

Hoc vero ut certum affirmare licet, multis celebratorum sui temporis poëtarum amicitiae vinculis aut tum aut paullo post coniunctum (cf. Cap. V.) otiosa vita carminibus pangendis operam dare, quam militiam aut forenses occupationes amplecti Propertium satius habuisse. Nam sumpta toga ad oratorem se non deductum esse (cf. Dial. de Orratt. 34. Plin. Ep. II, 14, 3. Quint. X, 5, 19. XII, 11, 5.) ipse profitetur (IV, 1, 134.): *Apollo-vetat insano verba tonare foro.*

Caput V.

De amicitiis Propertii.

(Cf. Quaestionum Propertianarum specimen. Hal. 1835. 8. p. 1—21.)

Itaque, quoniam pares paribus facillime consociantur, ad poëtas eius aevi illustres se applicuit. Cum his Horatii exemplum secutus (Sat. I, 4, 73. sq.) studiorum suorum primitias privatis recitationibus videtur communicasse, non grammaticas tribus ambiisse aut spissis audientium coronis laudem quaesiisse, nedum ab actoribus in theatris cantatum eum esse credamus. Neque enim prius, quam primus liber in lucem prodiisset, Maecenati cognitus est. Inter eos autem, quibus familiariter utebatur, praeter Ovidium (Trist. IV, 10, 45. v. supr. Cap. III.) ab ipso non commemoratum, Pontici nomen notissimum est, quem heroo versu clarum Ovidius vocat (Trist IV, 10, 47.), Thebaïdem fortasse ad Antimachi (de quo vid. Burm. ad Prop. El. II, 25, 45. p. 471. h. e. II, 34, 45.) exemplum scripsisse ab ipso Propertio docemur (El. I, 7, 1. I, 9, 10.). Huic enim amorem futurum vaticinatus (El. 7.), cui magnificis versibus frustra remedium esset quaesiturus, quod veras suas fuisse minas eventus docuerit, gaudet (9.). Vix autem monendum esse videtur, ne hic Ponticus cum eo confundatur, ad quem scripta egregia

Iuvenalis satira octava extat (ubi vid. interpp. ad vs. 1.) aut cuius ut praevaricatoris Icti et insani nepotis plurimis locis Martialis mentionem facit (cf. Mart. Ep. II, 32. II, 82. IV, 86. V, 64. VI, 60. IX, 20. IX, 42. XII, 29.). Etenim huius nostri Pontici, praeter Propertium et Ovidium, iis quos modo attulimus locis, neminem veterum auctorum meminisse credo. Neque iniuria Bernhardyus (Romm. litt. hist. p. 204. n. 368.) eius carmina nunquam publici iuris facta esse suspicatur. Quod idem de eo poëta statuendum esse videtur, cui sub Lyncei nomine latenti veterum scriptorum exemplaria rimantes personam eripere frustra tentarunt. Neque enim, ut quidam voluerunt, idem esse potest atque Ponticus. Nam fictis Romanos nominibus sic in carminibus usos esse, ut non solum numero verum etiam mora syllabarum cum veris convenirent, et Bentleius docuit (ad Hor. Od. II, 12, 13. coll. Schol. Acr. ad Hor. Sat. I, 2, 64. Burm. ad Prop. p. 2. Fabr. Bibl. L. I, p. 434. Ern. Buttm. comm. hist. phil. Acad. Berol. a. 1814 p. 49.) et Weichertus (de Hostio poëta §. 3. Poëtt. Latt. rell. p. 4.) contra Huschkium (Anall. Litt. p. 303.), ut ad serioris tantum aetatis poëtas, si quae contra observata essent, restringenda censeret. (Cf. eund. Weichert. libr. c. p. 230. 261. 412. 415. 418. 445. sqq. 469.) Omnis autem error non Propertii sed criticorum culpa natus est, qui Scaligerum secuti Aeschylum (v. 41.) inaudito quodam Achilleo cothurno ex editionibus eliminaverunt et (vs. 29.) pro „Erechthei", quam unice veram lectionem esse ad e. l. demonstrabimus, Cretaei vel aliud quid substituerunt.

Lynceus igitur ille non epicae, sed tragicae poësis studiis operam dedit et Aeschyli ad exemplum septem ducum ad Thebas caesorum memoriam celebravit. Etenim Propertius l. l. v. 39. sqq.

Amphiaraëae, inquit, *haud prosunt fata quadrigae*
Aut Capanei magno grata ruina Iovi.
Desine et Aeschyleo componere verba cothurno cett.

Verum huius poëtae scripta, ut tot aliorum et doctorum et indoctorum, quibus tum Roma affluebat (Hor. Ep. II, 1, 117.), saeculis succubuerunt.

Neque aliud quidquam de Basso videtur dicendum esse (El. I, 4.), cuius nominis viri variis e gentibus orti sub principum potissimum imperiis, aut scriptis aut rebus gestis insignes floruerunt, quos singulos enumerare et longum est, et acta agere. Enumeratos enim iam invenis a Broukhus. ad Prop. l. l. et ab interpretibus ad Pers. Sat. VI. Hunc autem Bassum eundem esse, quem Ovidius (Trist. IV, 10, 47.) ut nobilem suae aetatis iamborum scriptorem commemorat, facili

quis coniectura assequatur. Certe multo hoc verisimilius, quam si cum Io. Bapt. Fonteio (de prisca Caesiorum gente I, c. 19.) Ovidii sodalem (quocum Romae coniunctus vixit) eundem credamus atque Caesium illum Bassum, qui Persii amicus (cf. Pers. Sat. VI, 1. Sueton. vit. Pers.) sub Nerone et Vespasiano vixit, quique Quintiliani iudicio (X, 1.) Romanorum lyricorum secundus Vesuvio ardente (cf. Schol. ad Pers. l. l.) in praediis suis exstinctus est. Hunc enim etiamsi ante exilium Ovidii XX. annos non superasse sumamus — quod ipsum ne veri simile quidem est —, ut plus quam sexagenarius in amicitiam Persii venerit, nonaginta autem fere annos natus vita excesserit, sequitur.

Necessitudinis vinculis Gallus quidam Propertio videtur coniunctus fuisse, non confundendus ille cum Cornelio Gallo Foroiuliensi (cf. Fontanini Hist. Litt. I, 1. Io. Ios. Liruti: *Notizie delle Vite ed Opere scritte da' Letterati del Friuli* T. I. pr. contra Peregrin. Moserium, Sigism. Marchesium in Supplementt. Histor. Foroliviensis II, c. 5. p. 227. sqq. Morgagnum in Opuscc. Miscc. P. III, Ep. I. El. 10. — Burm. ad Anthol. L. T. I, p. 353. Bernhardy. Romm. Litt. hist. p. 232. n. 434.), notissimo elegorum scriptore (Prop. I, 34, 91. Ov. Trist. IV, 10, 53.), Euphorionis Chalcidensis interprete (Serv. ad Virg. Ecl. VI, 72. coll. Ecl. X, 50.), Hesiodeorum carminum imitatore (Virg. Ecl. VI, 64. sqq. ubi v. Heyn. et Voss.), qui Aegypto praefectus partim stolida superbia, partim detrectatorum invidia Augusto suspectus ipse se interemit a. U. 728. (Cf. Dion. Cass. LIII, 23. Suet. Octavian. 66. Propert. l. l. Plin. Nat. hist. VII, 54.) Hic enim teste Suetonio ex humili ad praefecturam Aegypti ab Augusto provectus erat, cum nostrum Gallum, non modo ipsum Romanis in oribus notissimum (Prop. I, 5, 26: „Quam cito de tanto nomine rumor eris"), verum nobili loco natum fuisse ipse Propertius auctor sit. Etenim (El. I, 5, 23. sq.):

Nec tibi, inquit, *nobilitas poterit succurrere amanti:*
Nescit amor priscis cedere imaginibus.

Praeterea ne ratio quidem temporum concinit, cum Cornelius ille Gallus statim post expugnatam Alexandriam cum exercitu in Aegypto relictus esset (Dio Cass LI, 17.), postquam iam pridem Octaviani res in Cyrenaica et ad Paraetonium prospere contra Antonium gessit (Dio LI, 9.). Barthio autem, qui Galli nomen haud dubie fictum esse autumat (Clav. Prop. p. 374.), cur assentiamur, nulla certe idonea caussa est, praesertim cum Gallorum cognomen vulgatissimum iis temporibus fuisse Onomastic. Glandorp. et Corp. Inscr. Gru-

teriani indices doceant. Rectius fortasse Aelium intellexeris Gallum (de quo vid. Strabon. XVI, 5. Cass. LIII, 29. Zonar. Annall. X, 33. Plin. Nat. Hist. VI, 32. 35. et infra Lib. III, Cap. II. sqq.), qui item Aegypto praefectus (ideoque haud raro cum Cornelio confusus) Arabiam initio anni 730. ab U. c. primus Romanorum ingressus peste aliisque calamitatibus confectum exercitum perdidit. Huic enim coniecturae id praeterea favet, quod, cum in primo libro multas elegias (I, 5. I, 10. I, 13. I, 20.) ad Gallum scriptas easque amicissimi animi testimonia prae se ferentes videamus (cf. prae ceteris I, 10. I, 13, 15. sqq. I, 20, 1.), reliquis in libris omnibus nullam invenimus.

Nihil hoc mirum, si anno 728. post mortuum Gallum Cornelium in provinciam suam Aelium abiisse censeamus. Accedit ut genti Aeliae Propertium coniunctissimum fuisse ex El. III, 12. ad absentem Postumum de Aelia Galla uxore, quam eximiis extollit muliebrium virtutum laudibus, scripta appareat. Hunc autem Gallum eundem esse atque personatum illum Lycotam, de quo poëticae epistolae sub forma El. IV, 3. extat, non satis idoneis nixi argumentis Arethusa Aeliam Gallam significari rati, vulgo statuunt. Nam quid eosdem homines, quos antea nominare non dubitasset, in plane simili argumento, ficto nuncuparet nomine? Praeterea obstat ipsa syllabarum mensura, de qua vid. supr. p. 20. Aeliam autem gentem plebeiam illam quidem, sed iam libera republica omnibus honoribus auctam fuisse, Tuberonum et Catorum clara nomina docent (cf. Glandorp. Onom.), quanquam Gallorum cognomen, primum quod sciam in eo, de quo commemoravimus, Aegypti praefecto obvium, illis demum temporibus familiae proprium factum esse iure quis coniecerit. Ad quam quin monumentum sepulcrale, quod apud Gruterum C. I. p. DCCCLIV. extat, pertineat, non dubitamus.

L. AELIVS L. FILIVS GAL. AELIANVS
H. S. E.
L. AELIVS SEX. F. GAL. SENECA.
PATER H. S. E.
ET Q. S.

Necessitudinis autem, ut diximus, vinculis hos Gallos Propertio coniunctos fuisse inde colligimus, quod sic et crebra huius nominis commemoratio facillime declaratur, et Gallum eum, quem post Perusinam cladem praedonum manibus periisse narrat (Eleg. I, 22. ad Tullum script. v. 6—8. coll. El. I, 21.), propinquum suum aperte dicit El. 22. v. 7.

Horum igitur virorum usu familiari dum ingenium alit

et artem colit, potentioribus quoque se applicavit. Primum a Tullo in amicitiam receptus est, eximiae spei iuvene, cuius patruus primis reipublicae muneribus functus erat. Tullorum autem cognomen antiquitus genti Iuliae proprium erat, cuius gentis qui primi commemorantur viri, Gaius et Vopiscus, hi ipsi Tulli audiunt. Quoniam vero neque haec familia, nobilis olim et multis imaginibus insignis ultra saeculum sextum Urbis pertinuit (cf. Glandorpii Onomastic. p. 417. sqq.), nec de M. aut M'. Manlii Tulli nomine saltem constat, quem anno post exactos reges decimo consulem fuisse dissidente codd. mss. fide et Ciceronis auctoritate (Brut. c. 16.) Livius narrat (II, 19.): ad Volcatios confugiendum est, quorum de gente primi L. Volcatii Tulli mentio fit, qui anno U. 688. cum M'. Aemilio Lepido consul fuit (Dio Cass. XXXVI, 25. Cic. Cat. I, 6. ad Att. VIII, 15.), quamvis antea in petenda aedilitate offensionem accepisset (Cicero pro Plancio. 21.). Huius Tulli filius L. Volcatius Tullus videtur fuisse (Lucii enim filius dicitur in fastis Campanis, quos a Pighio descriptos Gruterus exhibet C. I. p. CCIC.), qui cum Caesare Octaviano iterum consul fuit (Dio Cass. XLIX, 43.) anno vini fertili (Hor. Od. IV, 8, 12.) ab U. c. 721. Hunc autem L. Volcatium Tullum L. F. patruum nostri Tulli fuisse, facili coniectura assequimur. Quae ab omni dubitatione remota erit, si El. I, 6, 19.

Tu patrui meritas conare anteire secures

de amicis, qui stipato agmine magistratus et patronos aut in forum deducere aut peregre profectis latus tegere et praecedere solebant, mecum intelligas*). Quam solam veram

*) Alii enim alium quaerunt ducem, cui Tullum comitem adiungant. Et Barthius quidem (Vit. Prop. ad a. 724. p. LXXVI.) non inepte, nisi cetera obstarent, Messalam, qui ad gladiatorias turbas componendas cum singulari imperio a. U. 724. in Asiam abierat. Nobbii autem, qui (Specim. Obss. in Prop. carmm. Lips. 1817.) de anno 725. cogitat, insignem hoc in loco negligentiam satis admirari non possum. Qui cum expeditionis, qua Moesia Romano imperio M. Crasso duce adderetur, mentionem hic fieri opinatus sit, duplici falsus est errore, primum quod communi graeco *Μυσῶν* nomine seductus (cf. Strab. VII, c. 3. p. 295. *ᾤχουν δ' ἐφ' ἑκάτερα τοῦ Ἴστρου — καὶ οἱ Μυσοὶ, Θρᾷκες ὄντες καὶ αὐτοὶ, καὶ οὓς νῦν Μοισοὺς καλοῦσιν*) Mysiam, Asiae regionem, cum Moesia Thraciae finitima foede confudit, deinde pro Crasso illo Bastarnarum, Thracum, Getarum, ipsorum Moesorum victore Augustum, qui tum Romae ludos edens secure degebat (Dio LI, 22.), substitutum contra Artacios militasse ait, ementito aut certe interpolato Dionis testimonio. Cf. de toto hoc loco Dion. Cass. LI, 23—27. quo extremo libri capite, eodem, unde Nobbius suum traxit argumentum, Moesorum fines accuratissime describuntur, et quae de hoc loco in censura libri Gruppiani scripsimus Annall. Hall. 1839. N. 130. p. 1039. sq.

esse interpretationem et ex proximo, qui sequitur versu, et v. 34. apparet. Cf. commentarios ad e. l.

Tum igitur statuendum erit, Tullum patruum Asiam provinciam sortitum, quae postquam Augustus imperii res anno 727. denuo constituit, sola cum Africa erat consularis (Dio Cass. LIII, 14. *Τῇ δὲ δὴ βουλῇ, ἰδίᾳ μὲν τοῖς τε ὑπατευκόσι τήν τε Ἀφρικὴν καὶ τὴν Ἀσίαν καὶ τοῖς ἐστρατηγηκόσι τὰ λοιπὰ πάντα ἀπένειμε*), nepotem Tullum legatum sibi assumpsisse, quos Dio rem potius quam nomen secutus *παρέδρους* vocat (l. l. *τοὺς δὲ δὴ παρέδρους αὐτὸς ἑαυτῷ ἕκαστος αἱρεῖται ἕνα μὲν οἱ ἐστρατηγηκότες, τρεῖς δὲ οἱ ὑπατευκότες ἐκ τῶν ὁμοτίμων*). Quo simul novum nanciscimur argumentum ad eorum rationem confutandam, qui ante annum 727. hanc elegiam scriptam esse contendunt. Etenim cum iam a. U. 701. lege cautum esset, ne quis nisi quinque annis integris interiectis post eum annum, quo munere defunctus esset, provinciam sortiretur — sin quid contra evenisset, a Dione identidem id adnotatum invenimus (Dio Cass. XL, 30. 46. 56.) — Augustus in provinciis S. P. Q. R., qualis Asia erat, antiquum probatum esse voluit institutum (Dio Cass. LIII, 14. *κοινῇ δὲ δὴ πᾶσιν αὐτοῖς* (*τοῖς ἀνθυπάτοις* cf. c. 13.) *ἀπηγόρευσε, μηδένα πρὸ πέντε ἐτῶν μετὰ τὸ ἐν τῇ πόλει ἄρξαι κληροῦσθαι.* Cf. Gronov. ad Tac. Ann. III, 32. 58.). Sic demum locum commode intelliges El. I, 6, 34.

Seu pedibus terras, seu pontum carpere remis
Ibis et accepti pars eris imperii —

accepti enim ibi est i. q. grati. Cf. commentar. ad e. l. Praeterea hae temporum rationes aptissime concinunt cum vers. 20.

Et vetera oblitis iura refer sociis.

Nam non modo eo anno Augustus omnes imperii res curiose ordinavit, sed orientem imprimis ex civilibus adhuc bellis et Antonianarum partium turbis laborantem composuit. Quae quamvis deinceps singula transire gestarum rerum copia vetari se Cassius Dio ipse confiteatur (LIII, 21.) — tamen, quae insequentibus duobus annis de Polemone Ponti rege in societatem et amicitiam P. R. recepto (c. 25.), de Galatia in provinciae formam redacta (c. 26.), de Pamphyliensibus denique sui iterum iuris factis narrat, tuto huc licet referre. Nam regulorum illorum et tetrarcharum potentiam intestinis tumultibus nimium et cum detrimento imperii Romani crevisse, iam unius Amyntae exemplo satis constat, qui temporum vicissitudinibus prudenter usus, alterno diversarum factionum obsequio usque ad Cilicum saltus fines

propagatos tenuit. Illorum igitur ditione liberatis civitatibus, sociis quondam P. R., quam recte vetera iura referri oblitis dicatur, apertum est. Obliti enim erant tanto iam civilium turbarum et dominationis alienae intervallo. Cf. Strab. XII, 6. 7. 8.

Ceterum hoc Barthius recte vidit (vit. Prop. p. LXXX.), iuvenem adhuc Tullum et aequalem fere Propertio fuisse, qui necdum magistratum gessisset, cuiusque fortuna, ut satis eleganter addit, adhuc in herba fuisset. Hoc enim et ex iis quae modo disputavimus apparet, et Propertius disertis ait verbis El. III, 22, 39.

Haec tibi, Tulle, parens, haec est pulcherrima sedes
Hic tibi pro digna gente (non pro egregie gestis, quibus iam inclaruerit) *petendus honor.*
Hic tibi ad eloquium cives, hic ampla nepotum
Spes et venturae coniugis aptus amor.

Hinc quoque (I, 6, 19.) „patrui conare anteire secures.“ Quibus vero argumentis ductus idem Barthius hunc Tullum diversum statuat (Barth. vit. Prop. p. LXXX. cf. Nobb. Spec. p. 32. n. 87.) ab illo Tullo, ad quem prima primi libri elegia scripta sit, quemque ipse Volcatium Tullum patrem esse censet, equidem perspicere non potui. Omnia enim haec carmina eundem, ut ita dicam, spirant amicitiae animum, quo sodalis cum sodali aut de fatorum suorum iniquitate conqueri remediumque malorum petere (El. I, 1.), aut parati ad ferendum, auxilium humaniter deprecari (I, 6.), aut gaudia sua enarrare (I, 14.), aut sciscitanti respondere (I, 22.), denique desidentem grata modestia ad oblita officia revocare soleat (III, 22.). Cum igitur Tullus patruum anno 727. in Asiam prosecuturus esset, Propertius, qui iam perenne Cynthiae servitium adversis diis tulerat, tandem fortuna desperata (aliter Lachm. praef. p. XXIV. sed vid. supr. Cap. III. coll. Cap. VI.), ut in patrui cohortem se recipiendum curet, amicum orat. Longinquis enim terris, quo nulla femina viam inveniat, amoris remedia se quaerere velle, quem superbae dominae praesentia novis identidem flammis suscitet (El. I, 1.). Paullo tamen postquam magis pro votis cessit amor (cf. El. I, 2—6.) promissi atque adeo precum immemor, se quamvis invitum retineri puellae vinculis et omnia potius quam discessum laturum esse candide profitetur. Quodsi, aliquanto, ut videtur, Tulli itinere prolato, qui El. 16. Tiberinam ad undam abiectus otium agit, nihilo tamen minus Propertium navi ascensa naufragio proximum videmus, quid est, quod desultoriam amantis animi inconstantiam miremur, qui omnibus temporibus absurdiora etiam sibique ma-

gis repugnantia commiserit? Eodem fortasse pertinet El. I, 15., qua perfidiae Propertius amicam arguit, quod magno periculo raptum se non conqueratur. Quamvis enim, quod illud periculum fuerit, disertis verbis non dicat, Calypsus tamen (v. 9.) et Hypsipylae exempla (v. 17. sq.), quae maritis per maria profectis amoris pristini nequaquam oblitae sint, de itinere quopiam hunc locum intelligendum esse, quod per longinquas terras poëta facturus fuerit, persuadent. Num autem ad idem hoc tempus carminis III, 21. scriptio referenda sit, ut Paldamo placet (Epist. dedicatoria in Prop. p. VIII.), non facile dixeris. Hoc saltem affirmaverim, mox consilii iterum poëtam poenituisse nec certe longius, quam in Illyricum progressum Italiam repetiisse. Nulla enim maioris itineris vestigia in ullo posterioris temporis carmine inveneris, quod, si revera loca Graeciae et Asiae tanta memoria insignia adiisset, non modo mirum esset, verum ne cogitari quidem posset, ne de ratione temporis dicam, de qua vid. infra Lib. III. Cap. III. Tullum autem in Asiam profectum, postquam munere defunctus esset (annuum enim solum eorum magistratuum imperium fuisse, qui senatus provincias administrarent, Dio docet (LIII, 13.)), more praetorum comitibus tunc solito (cf. Catull. 45.) diutius etiam in perlustrandis Asiae urbibus commoratum complures annos Cyzici delituisse El. III, 22. docemur.

Interim Propertius haud certe sine Tulli eiusque necessitudinum ope et Maecenati et paullo post Augusto gratiosus factus est. Maecenas enim post primi libri editionem in selectum amicorum doctorum numerum eum videtur recepisse, quorum tutela et otii tempora iucundiora sibi reddidit, et nomen sibi condidit in omnia saecula Musarum fautoris instar valiturum. Huius igitur viri adeundi occasionem lubens haud dubie Propertius arripuit, non sordida peculii cura aut praedioli, ut quidam volunt, desiderio (vid. Barth. Vit. Propert. a. 713. p. LXXVII.), sed quoniam ingenioso homini nihil gratius est, quam ut relicta communis vitae faece inter sui similes versans animi facultates quolibet modo excolat, praesertim si qui coetus tam candida morum sanctitate cultuque tam humano excellat, suum cuique locum concedens, quam grex ille Maecenatis. Cf. Hor. Sat. I, 9, 48. sqq. Quamquam ei hanc laudem hoc tempore extitit qui eripere studeret, cum ex impuro Pseudo-Donati fonte hauriens (Vit. Virg. §. 67.) Hesiodeum illud κεραμεὺς κεραμεῖ domui his malis alienissimae intrudere conaretur (Paldam. De Eroticis Romm. p. 40. not.). Neque tamen Propertius in intimam eam Maecenatis familiaritatem videtur receptus esse, qua et

Virgilius Variusque antea floruerant, et Venusinum Horatium usque ad extremum vitae spatium gavisum esse scimus. Nam ea Propertii carmina, quae ad nostra tempora ingenuam illam Romanorum hominum propriam loquendi libertatem produnt, tamen ubique certam testantur reverentiam, qua viros praepotentes, ut patronos nostrorumque operum fautores potius colendos, quam ut amicos familiaresve diligendos, amplecti solemus. Id quod satis caussae esse arbitror, cur nec Horatius Propertii, nec Propertius Horatii meminerit, ne quis ad Vulpii (Vit. Prop. ap. Barth. p. LXX. sqq.) absurda commenta recurrendum esse credat, quibus refutandis Barthius aeque supersedere poterat. Magis etiam illud in Tibullo valere, ut cui nullum fere negotium cum Maecenate eiusque cohorte fuerit, videre in proclivi est. Suspicor autem Propertium, cum tenuiori illi carminum genēri quam heroicae arti operam dare satius duxisset, non semel a potenti amico admonitum esse, ut maiora sibi celebranda sumeret, quod forsitan ille poëtam superioribus annis in imitandis Callimachi αἰτίοις versatum fuisse (cf. infra Lib. III, Cap. I. II. III.) comperisset. Hanc admonitionem inferioris ingenii sui culpa dum satis modeste declinat, urbana oratione eo deflectitur (El. II, 1, 27.), ut, si animo valeret ad tam grave onus suscipiendum, non antiquarum fabularum aut veteris historiae facta, sed proxima tempora et res Augusti domi bellique praeclare gestas digna laude prosecuturus esset, quoniam sic semper ad ipsum Maecenatem, fidelem Caesaris omni tempore socium canendum carminis argumento duceretur. Sic simul molestas sibi preces avertit, et Maecenati, cum eam, quam epico poëmate facilius se impetraturum esse fortasse speraverat, commemorationem, versibus vel optimo quoque poëta epico dignis summam impertiat, plus quam satis facit. Huius elegiae simili in argumento versatur eodem fortasse consilio scripta libri tertii tertia, qua in Helicone somniantem iam Ennii volumina imitaturum ab ipsa Calliopa ad elegias fingendas abductum se fingit. Eodem pertinet El. IV, 1. inde ab vs. 71., qua horoscopi sub persona latens relicta superioris temporis studia ipse iocose perstringit. Eodem El. III, 9., qua Maecenatis iussa faceto illo eoque gratissimo adulationis genere iterato eludit. Exemplum enim se ipsum domini sequi ait (v. 21. 22.), qui, quamvis Caesaris amicitia summos reipublicae honores adipiscendi facultas sibi praebeatur (23. 24.) summaeque ad res foris gerendas opes suppeditentur (24—26.), tamen in otium tutum recedere vellet (27. 28.), satis magnam sibi gloriam ratus, se Caesaris amicum nuncupari (38.). Hunc

igitur ita sequi se velle, ut relicto magnifico illo et glorioso scribendi genere (35—42.) a pueris puellisque laudetur amantibus (43—46.), licet Maecenate duce vires suas, quamvis per se exiguas, ita auctum iri confidat, ut vel difficillimis argumentis pares fiant (47—58.), hoc uno contentum et laetum, si ab illius partibus stetisse quondam dicatur. Acceptissimum autem hoc adulationis genus Maecenati quod diximus, quanti ipse fecerit, quod lato senatorum clavo equestris ordinis splendorem mutare noluisset, satis est pervulgatum. Cf. Schol. Acr. ad Hor. Serm. I, 6, 97. Hinc toties poëtae equitem eum alloquuntur. Cf. Hor. Od. I, 20, 5. III, 16, 20. Hinc Propertius in carminis illius initio: Maecenas, eques Hetrusco de sanguine regum, Intra fortunam qui cupis esse tuam.

Non multo tempore postquam in Maecenatis amicitiam venisset, Augusto poëtae nostri ingenium innotuisse, non est quod miremur. Hunc autem non parvi eius indolem fecisse, iam inde recte collegeris, quod, quamvis omni poëtarum generi faveret, tamen nemini nisi summi ingenii viris in suum nomen carmina componere Caesarem permisisse Suetonius auctor est. Elegia autem illa, quam ad Caesarem scripsit l. II, 10., cum eo tempore composita sit, quo tandem aliquando ex acerbis amoris vulneribus convalescere coeperat, maiora quam exilia lectuli bella et praeclariora se canturum esse minatur. Res enim Caesaris, quas tunc in provincias abiturus ille parabat, se celebraturum. Quamquam nisi laudis summam assequatur, ut in re ardua, iam voluisse satis ait esse ducendum. Neque postea destitit, quin pro temporum illorum ratione, ubicunque occasionem carmina ferrent, Augusti gloriam extolleret (cf. II, 7, 5. II, 1, 42. II, 16, 37. sqq.), in qua tota versatur El. IV, 6., quam Barthius (l. l. p. LXXXVI.) iure suo ad celebrandos quinquennales Apollinis ludos, in memoriam victoriae Actiacae institutos (cf. Dio Cass. LIII, 1. coll. LIV, 19. inf.) compositam esse censet. Qua in re quotiescunque tantis laudibus imperii principem ornat, quantas nostrorum temporum rationes secutus facile quis damnandae adulationis ingenuoque viro indignae iure suo sibi arguere videatur, id vero prae ceteris tenendum est, quod illo tempore Romanus populus e furiosis et sanguinolentis intestinorum bellorum turbis tandem aliquando servatus, cum gratissimum et securum otium (cf. infra Lib. III. Cap. I.), quale antea non modo speraverat, sed de quo ne cogitaverat quidem, repente et quasi divinitus immissum nactus esset, perditae reipublicae et libertatis optimo cuique iam diu desperatae libenter obli-

tus, cum virum, per quem illo otio atque illa publicae privataeque vitae securitate fruebatur, ex intima animi sui sententia summo amplexus est amore, numinibusque deorum parem habuit vel adeo superiorem. Cf. Libellum de Diis Roman. patriis I, c. 18. et 20. Hor. Ep. II, 1, 16. Dion. Cass. LI, 19. Suet. Oct. 52. 59. Broukhus. ad Prop. II, 1, 41. Mitscherl. ad Hor. Od. IV, 5, 33—36. Lips. ad Tac. Annall. I, 10. Appian. V, p. 746. Interpp. ad Hor. Ep. l. l.

Hinc iurandae per eius nomen positae arae; hinc illud (El. IV, 6, 12.):

Caesaris in nomen ducuntur carmina: Caesar
Dum canitur, quaeso, Iupiter ipse vaces.

et rursus (El. II, 7, 4.):

— — — — — — *quamvis diducere amantes*
Non queat invitos Iupiter ipse duos.
At magnus Caesar — — — —

Non minimum autem momentum ad Augusti animum poëtae conciliandum elegiae III, 18. scriptionem attulisse coniicimus, qua mortem M. Claudii Marcelli, Augusti ex Octavia sorore nepotis, eiusdemque Iuliae matrimonio generi, deflet. Hic enim iuvenis cum omnis populi laetissimas spes in se convertisset, in Baiano (v. Serv. ad Virg. Aen. VI, 885. sqq.) praedio ne vicesimum quidem annum emensus subito morbo exstinctus est. Hunc autem quantum Augustus dilexerit, non tam insignis luctus magnitudo, quo eius funera prosecutus est (Dio Cass. LIII, 30.), quam quod heredem imperii futurum eum designaverat (Tacit. Hist. I, 15. Vellei. Paterc. II, 93. Tac. Ann. VI, 51. Interpp. ad Virg. Ecl. IV.), et quod Virgilium pro notissimis illis Aeneïdis versibus: „Tu Marcellus eris“ cett. magnificis et vere regiis donis cumulavit (cf. Donat. vit. Virg. §. 47.), abunde demonstrat. Quam ob rem, ut ne veri quidem simile est, de Augusto ipso malos ob suspectum eius mortis genus circumlatos fuisse rumores, ita Lipsium (ad Tac. Ann. I, 3.), qui vel Plinium et Tacitum (Tac. Ann. II, 41. Plin. N. H. I, 3. collato Hist. I, 15. Annall. VI, 51.) talia suspicatos esse ait, falsa locorum quorundam interpretatione, quos multo minore molestia de Tiberio et Livia explicaveris, seductum esse patet. Recte tamen idem Lipsius Scaligerum (Castigg. in Prop. p. 220. sq.) refellit, qui nonnullis Servii grammatici (ad Virg. Aen. VI, l. l.) deterioris notae codicibus Stabiano pro Baiano exhibentibus fretus, et frigidarum aquarum commemoratione ductus — quorum usu ab Antonio Musa, Augusti medico, praescripto Marcellum necatum esse quidam suspicabantur —

quia Baiae calidis, Stabiae gelidis aquis excellerent, et Horatius (Hor. Epist. I, 15, 2. sqq.) eodem curationis genere adoptato Baias praetervectum se esse diceret: Propertium hic, ut omnem suspicionem a Livia averteret, humano quodam modo piam commisisse fraudem et qui Stabiis gelida aqua mortuus dicendus fuisset, eum Baiis aqua calida submersum dixisse accusat. (Sic enim eam, quam non novi εὐβλάβειαν interpretor. An forte voluit εὐλάβειαν scribere?) Quasi vero diviti et praepotenti Romano vel inter medios calidos fontes frigidarum aquarum infusionibus uti non licuisset, aut quasi in tanta illius vici celebritate Propertius tam male inventam fabulam fingere ausus fuisset. Verum tamen recentiores interpretes magni viri dictata sedulo recinunt, vel adeo, propter frigidae fortasse aquae commemorationem, in sinu Baiano submersum fuisse dixerunt (Kuinoel. ad III, 18. init.). Quos recta eius carminis interpretatione facile redargui commentarii nostri ad e. l. docebunt.

Nos potius cum vel ipso eo tempore mortem, cuius alii causam Liviam et Tiberium circumferebant, alii coeli gravitate eius anni insigni accidisse censerent, prudentissime et optime factum a Propertio censemus, quod horum sententiam sequi, quam vel levissimo verbo aut istorum suspicionem tangere, aut Antonii Musae, hominis de Augusto optime meriti (Dio Cass. LIII, 30. Suet. Oct. 59. 81. Plin. Nat. Hist. XIX, 8. XXIX, 1. Comment. Cruqu. ad Hor. Epist. I, 15, 3.), artem inculpare maluerit?

Eadem prudentia poëtam usum videmus in elegia omnium novissima, qua L. Aemilium Paullum, M. F. Lepidum, M. Lepidi triumviri fratrem (Dio Cass. LIV, 2. coll. XLVII, 5. Vell. Paterc. II, 67.), censorium virum Augusto probatissimum, et cuius filio L. Paullo postea neptem Iuliam collocaverit (Suet. Octav. 64.), de morte Corneliae uxoris, P. Cornelii Scipionis viri consularis filiae, consolatur. Corneliae enim matrem Scriboniam (Scribonii Libonis f.), quam Scipioni ereptam Augustus in matrimonium duxisset, postea, ut ipse scribebat, morum eius pertaesus perversitatem, iterum repudiavit, Liviae Drusillae vinculis irretitus (Suet. Oct. 63.). Huius autem, quoniam mentionem facere elegiae argumentum postulabat, ita meminit, ut neque Augustum laederet, nec Cornelia matris immemor contra piae filiae officia commisisse videretur. Statim enim postquam „dulce matris caput, lacrymasque maternas“ commemoravit, ad Caesarem filiamque eius Iuliam transit. Neque hanc quidem aliis laudibus, quam quas Caesarem ipsum proferentem fingit, extollit, ne, cuius mulieris mores, mox parenti senectutem tristissimam red-

dituri (Suet. Oct. 65.), in vulgus cogniti essent, hanc ipse probasse videretur.

Caput VI.

De Propertii amoribus.

Verumenimvero, quoniam de iis vitae conditionibus, quibus Propertii studia aut praeparata aut adiuta et provecta fuerint, satis videtur dictum esse: ad eas transeundum est, quae cum certam eum scribendi viam instituere iussissent, illam prae ceteris indolis partem foverunt, qua, dum fata manebant, dolorum remedium, aequalium admirationem, apud posteros autem nomen immortale sibi comparaverit. Etenim, vel si omnibus historiae testimoniis destituti essemus, sola id possemus ratione assequi, ut amor, dum legibus quasi reipublicae solutus ad suum arbitrium circumvagatur, viribusque omnibus excultis floret, aptam facilemque praeberet poëtis carminum componendorum materiam, rursus, dum legum civilium et morum severitate coartatus in tristes matrimonii fines aut propius aut longius imminentes quasi in unum alveum derivatur, sterili nuptialis carminis artificio solo relicto, elegiarum amatoriarum cantus obmutesceret. Et, si quaeris, res sic habet. Namque vigentibus civitatum institutis, florente casta morum disciplina, exulare Cupidinem apud Graecos et amatoria carmina a laxis solum Ionibus et dissolutis Aeoliis prae ceteris coli, medii denique quod aiunt aevi temporibus inter arma et bella, quamvis alia pro temporum ratione forma induta, reviviscere videmus. Itaque si Romanis, quo tempore rigida maiorum disciplina iam diu spreta, matrimonium non solum negligere, verum etiam odisse et tantum desultorium illud amandi genus expetere coepissent, idem contigisse animadvertimus, quid est quod miremur? Caelibis enim vitae conditio, quantopere extremis liberae reipublicae temporibus adamata fuerit, iam sola legis de maritandis ordinibus latae historia satis possit docere. Haec enim lex a Caesare Octaviano primum frustra tentata (vid. infr. Lib. III. Cap. I.), ut exhausto bellis civium numero subveniretur, ne iterum quidem rogata prae multitudine recusantium perferri potuit (Dio Cass. LIV, 16. LVI, 10.), neque tum, cum Papiae Poppaeae sub nomine iis obviam iret, qui immaturitate sponsarum vim legis eludere quaesiissent, abstinuernnt, quin crebros, quamvis intermortuos excitarent tumultus (Suet. Oct. c. 34.), Augusto autem defuncto maiore etiam vi, nec sine successu denuo eam sollicitarent (Tac. Ann. III, 25.), aut variis interpretationibus fallerent (Tac. l. l. XV, 19.).

Neque vero haec nuptiarum invidia Romae tum recens erat, aut illis demum temporibus nata. Etenim Metellus iam oratione, cuius fragmentum apud A. Gellium extat (Noct. Att. I, 6.) ita matrimonium civibus commendat, quasi illud duorum malorum minus eligendum esse censeat. Quid? nonne „lepidum illum senicem“ Plautinum (Plaut. Mil. Glor. III, 1, 91. sqq.), qui uxorem summum incommodum, caelibem vitam summum bonum esse satis diserto sermone demonstrat, Ephesii Periplectomenis sub persona Romanos mores nobis depingere dicamus? Hic autem simul edit cladis istius causam, perditam morum luxuriam, quae vel bona parte poeticae licentiae data, sanum hominem a talis consortii onere absterreret, nedum Augusti, vel adeo sequiore tempore (cf. Iuvenal. Sat. VI.), domina iam diu orbis terrarum Roma, externarum divitiarum undique affluentium copia et educandi officio a materno gremio ad corruptas nutrices ex alienis aequo saepius nationibus oriundas translato (A. Gellius XII, 1. Dialog. de Oratt. 28. 29.), in immensum eam auctam fuisse dicamus. Quamobrem noli mirari, quod e Mercurialium virorum turba, quibus, utpote aeternorum deorum commercio usis, hanc terrestrium legum exceptionem facilius etiam concedimus, quotquot laude dignos ad haec nostra usque tempora Musa mori vetuit, vix unum aut alterum maritum invenimus. Quanquam non minimum huc id quoque contulisse credimus, quod cohortibus potentiorum civium adscripti patronorum observantia domesticarum rerum curam gerere non aeque potuerunt.

Igitur Propertius, primo statim adolescentiae anno vix posita praetexta Lycinnam quandam adamare coepit, futurae ipsius dominae servam. Ab hac sacris Veneris, ut a perita sacerdote, initiatus est (El. III, 15, 5.). Sed mox ad durius servitium est delapsus, quo certe poëtae nostri miseri vicem doleremus, nisi dolorem vinceret voluptas, quam ex illius doloribus omnis aetas percepit et si fata siverint, semper percipiet. Cynthiae enim ocelli nisi Propertium cepissent, Romanorum Parnassus non infimae elegiarum partis laude esset orbatus.

Haec igitur Cynthia quae fuerit, aliquanto accuratius disquirere operae sane pretium videtur esse.

Proprio autem eam nomine Hostiam appellatam fuisse et ab vetere interprete Iuvenalis (Sat. VI, 7. cf. C. Barth. in Advv. l. 56. c. 3.) et ab Appuleio (Apolog. p. 279. Elm.) docemur, ubi Passeratium Hostiliam legendum esse censentem iam Bentleius refutavit (ad Hor. Od. II, 12, 1. cf. Burm. ad Prop. p. 2.), cuius argumentis a forma nominum fictorum sumptis (cf. supra Cap. V.) iure cedendum rati

VV. DD. Passeratii coniecturam reiecerunt (ad Appul. l. l. Vol. II, p. 418. Bosscha). Cynthiam autem nomen a Propertio amicae eadem de causa inditum, qua Deliam Planiae a Tibullo, ut Dianae cognominibus ornata puella castitatis simul et pulchritudinis laude ab aliis distingueretur, optime observat Huschkius (Anall. Litt. p. 305.).

Hostiam igitur, quam iam habemus, simul cum avo suo Hostio poëta regio stirpe prognatam vult Weichertus (De Hostio poëta §. 2. in Poett. Latt. rell. p. 2.). Scilicet longa avorum serie a forti illo Ramnium duce, Hosto Hostilio (de quo vid. Liv. I, 12.), illam descendere, Tulli Hostilii regis avo (Liv. I, 22.). Sic ergo si diis placet, regium habemus amantium par, Propertium a Lucumonibus (v. supr. Cap. II.), Hostiam a Romano rege originem ducentem. Verumenimvero gentes Romanas nequaquam communis sanguinis vinculis coniunctas sola locorum et regionum distributione, ad consanguinitatis tantum instar facta, ortas esse Niebuhrius tam validis et apertis evicit argumentis [Hist. Rom. I. p. 340. sq. ed. II. p. 327. sq. ed. III. coll. Cic. Top. 6. Cincio ap. Fest. v. Gentilis, quibus Walterus (Hist. Iur. Rom. I, p. 17.) recte addidit Dion. Halic. II, 21. Cf. praeterea Rein de iure Romm. civili p. 233. sqq.], ut commemorasse eum satis esse duceremus, nisi hoc quoque loco Goettlingius (De republ. Rom. p. 65.) ex immortali maximi viri corona laureolam decerpere conatus esset. Sed quum eadem levitate illic sit usus, qua per totum librum grassatum esse eum demonstravimus (Annall. Hall. 1841. Nro. 141—148.), neque hic singula refellendi locus sit, id solum diligentem lectorem monitum nunc volumus, ut quae Goettlingius de consilio dicat, quo Cicero definitionem gentilitatis eo loco (Top. 6.) proposuerit, cum ipsis Ciceronis verbis inde a: „tantum est dicendum — transferre possit“ — accurate committat. Quo facto ab isto interprete deceptum se ultro sentiet. Ad Cynthiam vero eiusque avum quod attinet, iocose sibi irridentem Tullium (Quaest. Tusc. I, 16.) lege, eundemque (Brut. 16.) privatorum fastorum fidem iure perstringentem, ut ex communi gentis nomine communem originem colligi nequaquam posse intelligas. Itaque, si quidquam commune habeat Hostus Hostilius cum gente Hostia, fictum eum proavum sive ἐπώνυμον, sicuti Iulum Iuliorum, Volesum Valeriorum, Mnestheum Memmiorum, Sergestum Sergiorum, Cloanthem Cluentiorum, sic Hostiorum fuisse, satis probabili aliquis assequatur coniectura. Neque tamen non modo ut Hostia gens, unde Propertii amica nata est, patricia fuerit (cf. Cic. Brut. l. l.), sed quoniam liberti libertaeque patroni nomen

acceperunt (cf. cap. 3.), ne id quidem sequitur, ut ingenuam fuisse Cynthiam demonstretur. At honesto certe ut loco nata fuerit, id omnes cupiunt interpretes, et demonstrare nonnulli conantur. Etenim Vulpius (proll. p. XVIII.) istam sententiam ex El. II, 13, 9. 10. extorquere studet, ubi poëta:

Non, inquit, *ego sum formae tantum mirator honestae,*
Nec si qua illustres femina iactat avos:

sed si ad eos, qui statim sequuntur versus, animum adverteris:

Me iuvat in gremio doctae legisse puellae
Auribus et puris scripta probasse mea —

tantum abesse intelliges, ut illustres avi ad Cynthiae genus referendi sint (id quod Weichertus concedere suo iure dubitat l. l.), ut docta puella a poeta honestae formae illustribusque avis opposita sit. De vi enim locutionis non tantum cf. comment. ad e. l. Ne uno autem quidem verbo significat, Cynthiam quoque suam nobilium feminarum numero contineri. At Weichertus (l. l. n. 8.): „neque Hostia“, inquit, „obscuro loco videtur nata esse, alioqui Propertius non ficto sed vero nomine eam cecinisset. Hoc enim ficti nominis usu poëtae procuraverunt, ut rebus nomen abesset nominibusque pudor, uti ait Ovid. Tristt. II, 434.“ Ego vero magnopere me velle profiteor, vir doctus hoc argumento abstinuisset. Quid enim? Nonne Plania Cynthiae nostrae et amore et more proxima, quam Tibullus sub Deliae nomine latere iussit, libertina fuit? Quid de Lesbia dicam, quae, quamvis Catulli chartis immortalis facta, in angiportis glupsit magnanimos Remi nepotes (cf. Cat. LVIII.), quid de Lycoride, Galli amica (Prop. El. II, 34, 91.), cuius verum nomen Cytheridem fuisse Servius docet (ad Virg. Bucc. X, 1.), Volumnii Eutrapeli liberta (de qua cf. Cic. Phil. II, 24. ad Attic. X, 10. 16. ad Div. IX, 26. Plut. vit. Ant. c. 9. Plin. Nat. Hist. VIII, 16.), mima simul et meretrice? (Cf. ad Eleg. II, 34, 91.) Cynthiam itidem, cui ut generis nobilitatem ipsis Propertii testimoniis vindicarent, frustra laborasse videmus viros doctos, ne posse quidem honesto loco natam esse coll. El. II, 7. apparet. Hic enim gavisam certe Cynthiam Propertius ait, quod lex Iulia de maritandis ordinibus non sit perlata (vid. infra Lib. III, Cap. III.). Hac enim ne dividerentur amantes timebant (v. 3.). Quid vero causae fuit, quin ipse uxorem duceret? Sterilis fuit, ait Kuinoelius, collato El. II, 18, 20. Quae sententia quam sit subridicula neque ulla egeat refutatione, e sequenti

potissimum disputatione apparebit. At marita, obiiciat aliquis, ipsa Hostia iam alius fuit. Verum ne hoc quidem concedendum. Quomodo enim tum poëta laesae, quam futurae uxori deberet, fidei vituperium tanquam crimen a se averteret? Nam quod vs. 9. 10. queritur:

Aut ego transirem tua limina clausa maritus,
Respiciens udis prodita luminibus —

profecto hoc non dixisset, si amica idem scelus quotidie fere in se admisisset. Quid porro? Nonne plus quam mulum maritum futurum fuisse dicamus, si talibus in nequitiis, quales Cynthia committere non dubitavit, conniveret? Nihil enim de reliquis dicam, qualia vel Corinna vel Lesbia et Delia ausae sunt: praetorem illum, quem pretiosum Cynthiae amatorem, pauperis Propertii felicem aemulum fuisse ex El. I, 8. II, 16. discimus, in Illyricum et castra comitari marita certe non conata esset. Hoc enim cum palam moechari fuisset, iudicii publici severitatem non effugisset. Nec, si quaeris, ullo loco mariti mentio fit, longe diversa ab Ovidio et Tibullo ratione, ne illic quidem, ubi primus ei, si unquam fuit, tribuendus erat locus, quum dolores suos e nimia levium puellae morum formidine conceptos describit. Hic enim (El. II, 6, 7—14.) pictas ille facies, deorum simulacra, tenerum et in cunis adhuc vagientem puerum, matrem, sororem, amicam timere se ait, mariti ne uno quidem verbo meminit. Nec certe obiici potest, quod El. II, 18, 33. ubi

Quum tibi, inquit, *nec frater nec sit tibi filius ullus,*
Frater ego et tibi sim filius unus ego —

fratrem potius, quam maritum esse se velle dicat. Hunc enim se iam esse intelligi vult, quum El. II, 6, 41. haec dicit:

Uxor nos nunquam, nunquam diducet amica,
Semper amica mihi, semper et uxor eris.

Et certa, si quaeris, pactus erat cum Cynthia sponsalia (El. III, 20, 15.), quae vel sacra marita appellare (v. 26.) non dubitat. Nam ea verba easque formulas, quae proprie pertinerent ad iustum matrimonium, etiam de inauspicatis nuptiis (Plaut. Casin. Prol. v. 84. sqq.) maiore minoreve cavillatione passim usurpata esse post Graevium (ad Suet. Oct. c. 69.) Huschkius docuit (l. l. p. 313.). His argumentis, si opus esse videatur, adde El. IV, 7. ubi Cynthiae funera describuntur. Nulla hic mortuae cura (v. 23.), pompa funebris nulla (27—30.), nulla pia rogi observantia (v. 31. 34.), qualem cognati et propinqui vel pauperrima de plebe

homini gerebant (cf. instar omnium Beckeri Gallum Exc. ad Sc. XII, p. 272. sqq.). Hinc simul maximum contra eos argumentum petendum est, qui generis honestatem Cynthiae vindicare unice student. Neque enim cultus sane honestus, quo mortua elata est. Nam de hoc interpretandi sunt vs. 25. 26.

Nec crepuit fissa me propter arundine custos,
Laesit et obiectum tegula curta caput —

quos Iacobus cum necessario, quo nunc leguntur ordine, ad rogum et urnam sepulcralem referendos esse perspiceret, quia sequentis versus particula „denique" adversaretur (cf. commentar. ad e. l.), ingeniosius quam verius in alium locum transmigrare iussit. Eadem autem, quae in funere faciendo, in vacua Cynthiae domo incuria. Diripuerunt tenue patrimonium servae et servi, testamento, ut videtur, manumissi (v. 40. sqq.). Propertio tanquam uni superstiti amico mandans Hostia fingitur, ut suprema exsequatur vota (72—75.).

At ne hae quidem rei familiaris angustiae, aut humilis vitae conditio impedire potuit, quin amatori suo illa nuberet. Nam ipsa illa lex Iulia praeter senatorii ordinis viros optimo cuique, ne privatis studiis obviam iretur, vel libertinas mulieres in matrimonium ducere permisit. Nam Dio LIV, 16.: *Ἐπέτρεψε (ὁ Καῖσαρ) καὶ ἐξελευθέρας τοῖς ἐθέλουσι πλὴν τῶν βουλευόντων ἄγεσθαι ἔννομον τὴν τεκνοποιΐαν αὐτῶν εἶναι κελεύσας.* Cf. Celsum Ictum Lib. XXX. L. 23. Dig. de ritu nuptiali: Lege Papia cavetur omnibus ingenuis praeter senatores eorumque liberos, libertinam uxorem habere licere. V. Heinecc. comm. de l. Pap. Poppaea L. II, c. 1. §. 10. Opp. ed. Gen. t. VII, p. 127.

Restat igitur id, quo omnis lis dissolvatur, ut meretricem, quidquid repugnetur, Cynthiam fuisse dicamus. Hae enim solae mulieres, quae palam quaestum corporis fecissent, ingenuis nubere eadem lege vetitae sunt. Etenim Ulpianus Lib. I, L. 43. §. 1. Dig. de ritu nuptiali „At, ne quis, inquit, ingenuus eam, quae palam quaestum corpore facit, fecerit, lenam, a lenone manumissam, aut iudicio publico damnatam — sponsam uxorem sciens dolo malo habeto." Sic enim haec verba restituit Heineccius (l. l. p. 130.). — Cynthiam igitur habemus meretriculam. Eat nunc aliquis et eandem, quoniam variis artibus ingenuis (apud plebeios homines raro obviis) excelluerit (I, 4, 13. II, 3, 19.), nam cantando (II, 33, 38. 26, 25.), carmina pangendo (El. I, 2, 27. coll. I, 1, 9. II, 3, 19—22. hinc docta toties appellatur I, 7, 11. II, 11, 6. II, 13, 11.), saltando (II, 3, 17.), texendo (I, 3, 41.), aequaliter prae-

pollebat, nobilem illam quidem fuisse puellam dicat, sed quae innupta desultoriae Veneri operam dare, quam iusto matrimonio frui maluisset (Paldam. Ep. Dedicatoria in ed. Prop. p. VII.). Scilicet tum eam apud praetorem nomen suum et quaestum professam esse dicendum erit (cf. Lipsium ad Tac. Annall. II, litt. C. Liv. X, 31.). Quod quam flagitiosum habitum et quam inauditum fuerit, testis est Tacitus (Annal. II, 85.), qui Vistiliae cuiusdam famosum exemplum causam novae legis ad libidinem feminarum coercendam latae fuisse narrat. Nos multo melius Cynthiae et Propertii famae consuluisse credimus, si illis artibus, quibus ad misericordiam permotus Broukhusius (ad El. I, 2, 17. p. 9.) assiduus Cynthiae patronus graviter dedignatur, quod Hostiae nomen inter Romanos vates nondum sit receptum, illis autem artibus si inde a primis vitae annis ad suum negotium instructam eam fuisse ponamus. Saltandi enim artem et dulcis citharae modos voce sequendi istas calluisse scimus. Cuius generis pleni sunt lyrici, pleni elegiacorum libri. Quid de comendi, in quibus gratam negligentiam simplicesque munditias plus saepius, quam splendidissimum cultum valere, nimis bene intellexerunt? (Cf. Hor. Od. I, 5, 5.) Ne igitur miremur, si in illo, qui tum Romae vigebat et ingenuas iam puellas attigerat, carminum pangendorum furore (cf. Ovid. Trist. III, 7, 32. Sallust. Cat. 25. Dissen. ad Tib. IV, 6, 2. I. H. Voss. in Praefatione ad interpretationem Tibulli Germanicam), una aut altera etiam ad hoc studium non sine profectu se applicuit?

Quis enim est, qui dubitet, quin Roma, tam dissolutis omnium ordinum moribus, non minus quam Graecia suas Laïdes, suas Thaïdes, suas denique Phrynas habuerit, vel quin Arbusculae istae et Lycorides et Origines has aut superare se crediderint, aut certe ut exempla sequenda sibi proposuerint? Nec si his potius, quam indoctis et incultis neque ideo minus impudicis, verum magno de consule natis Propertius uti voluit, hoc illi vitio vertendum erat, dummodo Aristippi illud: ἔχω οὐκ ἔχομαι servasset. Iure igitur suo illis Graeciae luminibus amicam suam comparat (II, 6. init.). Et si quaeris, iam antiquitus Romae has splendidas figuras ab abiecto isto prostibulorum genere acute discreverunt. Nam Nonius: „Inter meretricem“, ait, „et prostibulum hoc interest: Meretrix honestioris loci est, et quaestus. Nam meritrices a merendo dictae sunt, quod copiam sui tantummodo noctu facerent. Prostibula, quod ante stabulum stent quaestus diurni et nocturni causa. Plautus Cistellaria (leg. Clitellaria, collato

Scaligero ad frgm. Plaut. in ed. Gron. p. 476.) manifesto discernit: Intro ad bonam meretricem, astare in via solum (l. adstat ea in via sola Scal.) Prostibula sane est.“ Hoc igitur nomine etiam Cynthiam Propertius a vagis puellis (I, 5, 7.) vilibusque (II, 24, 9.) discernit, circa compita prostantibus (Plaut. Casin. prol. v. 84.), quas ne sic quidem omni tempore sprevisse se ipse nequitiae suae testis affirmat, utpote minus sumptuosas minoresque causas diffamationum. Sed equestris hic mulierum ordo (sic enim facetissime Plinius eum appellat Nat. Hist. XXXIII, 12. Cf. Huschk. Ann. litt. p. 302. Ferrar. de re vest. III, 17. p. 227.) iam tum maximo in honore esse Romae coeperat, ut tanquam verae uxores, haud certe peculii commodo domi regnarent, cum a nobilissimo quoque civitatis viro in coenam adhiberentur (cf. Cic. ad Famil. IX, 26.), amicos peregre vel adeo in castra sequerentur. Huc igitur pertinet praetor ille (I, 8. II, 16.), huc rivalis toties in libro secundo commemoratus, qui propria discidii fuisse videtur causa, huc, qui ipse lucri quaerendi causa relicta puella Propertio cessit. Hinc custodes additi (II, 23, 14.), hinc timores iniecti, hinc mille excubiae et signata limina, hinc Cynthiae audacter facta, quibus umbra adhuc gloriatur (II, 1, 146.). Huc denique referre non dubito El. III, 14, 29—32., quamvis matronalis cultus descriptionem, qualem Horatius profert (Sat. I, 2, 94.), paene ad verba exprimere videantur. (Negat tamen Paldamus in libro: Erott. Romm. p. 46.)

Attamen si amatorem ipsum in propria sua causa audiendum esse censeamus, Cynthia, quamvis a communi istarum mulierum lucri sudio nequaquam exemta esset (cf. El. II, 11. sqq.), satis pro earum ratione casta (cf. II, 1, 49.) et amico fida erat (cf. I, 8, 33.). Cui si formae praestantiam, ingenium cultum, annos aetatis superiores, quibus rebus alius quoque periret, addideris calidumque Italorum hominum sanguinem, amoris proclivitatem, cuius egregium et nostratibus vix intelligendum exemplum funestus Antonii triumviri exitus ante oculos quodammodo proponit, reputaveris, quod Propertius non modo meretricem aeternitati tradere non timuerit (hoc enim idem Gallus, Catullus, Tibullus, Horatius impune fecerunt) sed quinque integros annos foedissimum servitium patienter et vix viro digne pertulerit, non amplius mirum esse videbitur.

Quid autem tum de Hostio poëta fit, quem avum Cynthiae fuisse Weichertus *) coll. III, 20, 7.:

*) L. l. p. 7. contra Vossium, qui Hist. Poett. Latt. I, 16. p. 25. Vol. IV. opp. patrem fuisse dicit, et contra Baehrium, qui ita Vos-

Est tibi forma potens, sunt castae Palladis artes,
Splendidaque a docto fama refulget avo —

demonstravit? Nihil certo, nisi ut, quem Paldamus (Epist. Ded. p. VII.) potuisse libertinum esse dicit, libertinum aut libertinae conditioni proximum fuisse affirmemus. Uxor fortasse ad theatrales operas se applicavit, et mima simul et meretrix maiorum gentium facta est. Quae artes quam bene inter se conciliatae fuerint, ea quae supra attulimus nomina docent (cf. Hor. Sat. I, 3, 58.: verum est cum mimis, est cum meretricibus). Secutae matris exemplum filia, neptis. Nam hereditarium non raro fuisse hunc quaestum Plautus testis est, Graecis, ut solet, nominibus Romanum morem significans. Nam Cistell. I, 1, 40. sq. lena Melaenis Gymnasio meretrici:

Nos, inquit, *libertinae sumus, et ego et tua mater*
Meretrices fuimus: illa te, ego hanc mihi educavi.

Has autem meretrices cum communi libertinarum nomine vestium quoque cultum retinuisse et retinere coactas fuisse docent Ulpian. L. 15. §. 1. D. de iniur. Suet. Tib. c. 32. Schol. Acr. et Cruq. ad Hor. Sat. I, 2, 63. Interpp. ad Tibull. I, 6, 67. IV, 10, 3. Tac. Ann. II, 85. Interpp. ad Iuven. Sat. II, 70. Mart. Ep. II, 39. VI, 64, 4. Ferrar. de re vest. 1, 3, 23. Brisson. Antt. sell. I, 4. de iure connub. Thes. Antt. Graev. l. VIII, p. 1069. C. Laurent. de adulterr. et meretrr. c. 2. Neque hac coniectura Hostiae genti iniuriam fecisse nobis videmur, quum, quoscunque eius offendimus gentiles, criminibus eos potius, quam egregie factis notabiles comperimus. Sic, cuius Plutarchus vit. Rom. 22. meminit, L. Hostius, qui primus post bellum Punicum secundum narratur parricida fuisse, et quem Seneca (Nat. Quaest. I, 16.) commemorat, Hostius Quadra (sic enim ex Memnii membranis et Petri Pithoei edidit Ruhkopfius) homo dives, avarus et profligatissima libidine infamis. Itaque nec nepotem istum volsum (El. IV, 8, 23.),

Qui dabit immundae venalia fata saginae,
Vincit ubi erasas barba pudenda genas —

de vero Cynthiae nepote interpretari dubitamus, nec inscriptiones, Hostii aut Hostiae nomen prae se ferentes, a Weicherto (l. l. p. 3. 4.) ex Inscriptionibus Gruterianis p. DCLXXVII, 4. et DCCCLXXIII, 7. citatas exscribere operae pretium habuimus, utpote ex quibus parum commodi ad

sium secutus est, ut Hist. Litt. Romm. §. 33. p. 18. Varronem Atacinum Hostio exemplum praeivisse diceret.

cognoscendam tam ignobilem stirpem redundaret. Ceterum Tiburtinam Cynthiam fuisse testantur El. IV, 7, 85. sqq.

Tiburtina iacet hac aurea Cynthia terra:
Accessit ripae laus, Aniene, tuae.

Sic enim hos versus legendos esse suo loco demonstrabimus.

Atque haec ipsa fortasse causa fuit, cur Cynthia ad viam Tiburtinam neque alibi fuisset sepulta. Solebant enim ossa divitum in proprio solo componi, pauperum in eo, quod aut in hunc usum sibi emissent, aut patroni liberalitate concessum obtinuissent. Tiburtinam autem viam repletam fuisse sepulcrorum adiacentium multitudine et veterum loci testantur, et quae hodie adhuc effodiuntur monumentorum reliquiae (quo in genere plurima congessit Pitisc. Thesaur. Antt. Romm. t. III. s. v. Sepulchrum). Ceterum fuerunt, qui fortasse argumento El. III, 16. adducti Cynthiae domicilium eo loco fuisse coniicerent, qui hodie gentis Saborum fundus in finibus Tiburtinis situs Quintiliato appellatur. Cf. *Cabral. del Re, Ville di Tivoli*, p. 104. citante Ennio Quirino Visconti in Museo P. II. t. I, p. 74. interpretat. Gallic.

Haec fere sunt, quae probabilibus potius coniecturis, quam certis demonstrandi argumentis de Cynthiae genere atque moribus ex ipsius amatoris carminibus erui posse visa sunt. Iam ad explicanda istius servitii tempora atque rationes postquam pervenimus, id prae caeteris cavendum est, ne dum rem, quae nec modum habeat, neque consilium, ratione modoque tractare aggrediamur, peius etiam quam Terentianus ille Phaedria peccasse videamur. Huic enim, cum amoris furore ipse sit lymphatus, si causam suam perverse agit, quis est, quin insanum insanire aequo animo et humaniter condonet. Nobis interpretum sobrium munus aggressis si post saeculorum spatium aegroti morbo nos infici patiamur, eadem venia nequaquam est speranda. Quamobrem ne Lachmannus quidem, vir ceteroquin doctissimus, omni erroris nota eximi potest, qui, quum primus amore illo ad certorum annorum calculum revocato, hoc solo de carminum singulorum tempore, et de anno, quo Propertius natus sit, certa posse argumenta colligi acute perspexisset, in eo, si quid video, peccavit, quod ubicunque minus feliciter florentem aut per aliquod tempus interruptum vidit amorem, ex scruposis his interpretationis cotibus ad annuum illud discidium tanquam in tutum portum et stationem confugiendum esse existimavit (Praef. in Prop. XXIV. sqq.). Sic in El. I, 1., sic II, 2, 1., sic II, 3, 1. — Verum ut iterum catum nostrum veteratorem Parmenionem consulamus:

In amore haec omnia insunt vitia: iniuria,
Suspiciones, inimicitiae, induciae
Bellum, pax rursus: incerta haec si tu postules
Ratione certa fieri, nihilo plus ages,
Quam si des operam ut cum ratione insanias.

Itaque Propertius, simulatque Lycinnae vincula excussit, praeformatis quasi amoris litteris ab ancilla ad dominam transiit (El. III, 15, 5.), nam

Illa rudes animos per noctes conscia primas
Imbuit —

sed:

Cuncta tuus (Cynthiae) *sepelivit amor.*

Etenim prioris amatoris perfidia, qui lucri causa in Africam navigaverat, domus novis nuptiis vacua cum facta esset (huic enim primo amoris tempori elegiam III, 20. tribuendam esse VV. DD. recte adnotarunt. Cf. Barth. vit. Prop. ad a. U. c. 723. p. LXXVIII.), dubitantem adhuc Cynthiam, ut in suos sinus curreret, invitavit. Num autem ab hoc tempore usque ad primae primi libri elegiae scriptionem alia composuerit in Cynthiam carmina, aut num eorum ex numero quaedam sint, quae servatorum voluminibus contineantur, non facile est ad diiudicandum. Hoc certum est, scriptam esse primam, quam diximus, elegiam uno integro anno postquam Cynthia a Propertio adamari coepta est (v. 5—7.). Ita vero infelix et omni spe destitutus amabat, ut primum magorum et veneficarum ope implorata, quum de hac quoque desperasset, Tullum (cf. Cap. V.) amicum libenter, si inde remedium vulneribus inveniri posset, in longinquas terras sequi se velle profiteretur. Hunc enim sensum primi carminis esse neminem, qui nulla occupatus opinione id adierit, non videre, existimo. In omnia alia tamen abit Lachmannus (p. XXIV.), qui hoc carmen eo tempore scriptum esse censet, quo tempore a Cynthia relictus Propertius viles quaerere coepisset. De his furorem explicat vs. 7.: „Et mihi iam toto furor hic non defuit anno“, de his castarum puellarum odium: „donec me docuit castas odisse puellas“ (Amorem intell.), in his amoribus Venerem adversam fuisse (v. 8.) ait, Cynthiae desertae memoria animum assidue subeunte.

Verumenimvero, ut concedamus, infelicem amatorem, si nihil precibus assiduis rem expedire se videat, plane desperatum ad vagarum puellarum amores delabi posse: per tamen, hercle, mirum esset facinus, si his rebus amorem puellae sibi recuperaturum se esse credat. Nam identidem tum Propertium eius flammis maceratum esse vss. 19—24. testantur, quibus magicarum artium auxilium, quo puellae

animus sibi reconcilietur, non invocat, sed implorat. Prae ceteris autem obstat Milanionis exemplum, qui

— — nullos fugiendo — labores
Saevitiam durae contudit Iasidos.
Ergo velocem potuit domuisse puellam.
Tantum in amore preces et benefacta valent.

Nempe alienas puellas circa compita vagantes amplexibus fovere furtivis, hae sunt preces, haec benefacta, hi denique labores, quibus quis durae amicae servitium vincat? Tum certe maximo iure, quamvis sensu diverso, addere potuit: in me tardus Amor non ullas cogitat artes. Neque vero facile causas, quibus suam sententiam Lachmannus firmare studet, si accuratius excusseris, probabis. Movet hunc prae ceteris vs. 5.

Donec me docuit castas odisse puellas,

ubi interpretum priorum commenta iure suo reiicienda esse censet; nam nec de Musis aut Pallade (ut Vulpio placuit ad l. l.) Sibyllina hic iaci verba, nec Cynthiam hic impudicam apte nominari posse cum Barthio aut Kuinoel. arbitror. Lachmannus autem amica deserta viles quaerere Propertium ait. Ego vero nihil aliud his verbis poëtam significare credo, nisi „donec ardentius amare coepi.“ Neque enim dicit, in universum se odisse puellas, sed castas odisse, h. e. quatenus castae sint. Namque qui nullo aut modico amore est imbutus, ille perinde habet, castae puellae sint, necne. Tum primum, cum amare incipiunt, ipsas, quibus perditissime flagrant, propter castitatem nimiam rursus oderunt. En igitur perversam illam amantis animi inconstantiam et trepidationem, quae iterum comparet vs. 28. Hic enim, ubi amicorum auxilium invocat, ut se inhonestis vinculis, quibus excutiendis ipse vires suas impares habeat, liberent:

Aut vos, inquit, *qui sero lapsum revocatis amicum,*
Quaerite non sani pectoris auxilia.
Fortiter et ferrum, saevos patiamur et ignes,
Sit modo libertas, quae volet ira, loqui.

Vid. enim comment. ad h. l.

Iam videamus de altero loco, cui ad firmandam suam sententiam Lachmannus aliquod tribuit momentum. Sunt enim vss. 35. 36.

Hoc, monco, vitate malum, sua quemque moretur
Cura, neque assueto mutet amore locum —

quos vir ille doctus de deserenda puella, quomodo Propertius ipse suam reliquerit, interpretatur. Iam vero vide sis, quos his poëta verbis admoneat. Vos, inquit enim vs. 31.,

remanete, quibus facili deus annuit aure. Quid igitur? Hortatus eos, quibus felicior, quam sibi, contigerit amor, ne fida et facili domina relicta talem sibi evenire patiantur, qualis in ipsum se miserum ingruerit:

Sitis et in tuto semper amore pares.

Hoc enim et ceteri elegiacorum carminum scriptores et Propertius assidue prae se ferunt, se suis doloribus doctos alios docere velle. Sic El. I, 7, 13. sq.:

Me legat assidue post haec neglectus amator,
Et prosint illi cognita nostra mala.

Sic El. I, 15, 41.:

Quis (luminibus) *ego nunc pereo similes moniturus amantes.*

II, 11, 7. sqq.:

Ista ego praeterita tactavi verba iuventa:
Tu nunc exemplo disce timere meo.

Sic Lygdamus Tibull. III, 6, 43. sq.:

— — — *Felix, quicunque dolore*
Alterius disces posse carere tuo —

et uberius Tibullus de magisteriis suis exponens I, 4, 75.:

— — *Vos me celebrate magistrum,*
Quos male habet multa callidus arte puer.
Gloria cuique sua est; me qui sperneutur amantes
Consultent: cunctis ianua nostra patet.

His argumentis si addideris, mirum sane videri, elegiam, qua amori valedicatur (cf. similem rationem in El. II, 10. Lib. III. Cap. II.), praefationis loco ei volumini praemitti, in cuius ultimo, quo Cynthiae mentio fit, carmine (I, 19.) ipsum illum amorem vigere videamus, neque ullum in ullo versu dedicationis vestigium apparere, quid amplius est, quod dubitemus, quin hoc carmen sub finem eius anni scriptum, quem infelicem sibi fuisse vs. 7. significet, in editione huius voluminis pro temporis ratione iis elegiis a Propertio praefixum fuerit, quibus amoris sui temporum partem cecinisset. In hoc autem toto libro satis laetum esse amorem videmus, quamvis aemulorum timor non semel discidium minetur. Sic (El. 5.) vir ille nobilis (vs. 23.), quem amorem Cynthiae capessentem ab instituto deterrere Propertius conatur, sic praetor (El. 8.), qui num idem sit cum illo, pro certo quidem affirmari nequit, sic cum amicam, ut corruptas Baias quam citissime relinquat, admonet (El. 11.). Et iure quidem illud. Nam longa via mutatam puellam suam queritur (El. 12.), amicum Gallum lapsu suo gavisum vituperat, similem

ei minatus sortem. Rursus autem bellum et fuga (El. 15. 17.). Sed quum in Illyricum tendentem autumnalis aequinoctii procellae vexarent, propositi eum poenitet, lentum tamen in tantis amici periculis Cynthiae animum quin perstringat, non potest (El. 15.). Suam deinde quamvis deserti fidem laudat et constantiam (El. 18.). Pax denique composita (El. 19.). Haec sunt, quae primo libro continentur amoris fata. De secundo multo difficilius est iudicium ferre, quum non uno loco legitimum carminum ordinem aliena manu perturbatum esse pateat (Vid. Lib. III. Cap. II.). His autem, de quibus infra accuratius dicendum erit, omissis, post primum carmen, dedicationis causa ad Maecenatem praemissum, menstruo dissidio interposito reviviscentem videmus et iam acrius ardentem amorem (El. 2. 3.). Dubiae deinde fidei pax (El. 4—7.). Querelae (4.), minae (5.), suspiciones (6.), vota, promissa (El. 7.). Sed levis mulier amantis fide non movetur; nequitias nequitiis cumulat, donec toties ludificatus Propertius in insaniam et furorem actus, sibi (El. 8. 9.) atque adeo amicae (9. v. 25.) et aemulo (v. 52.) interitum minatur. His cum parum proficere se videt, tandem aliquando recta instituta via maiores sumit animos, abiectis servitii vinculis. Atque hoc annui illius, de quo toties dictum est, discidii tempus esse persuasum habemus. Hic Cynthiam cum amatoriis carminibus valere iubet, maius aggressus opus (El. 10.), hic vel aeternae oblivioni atque adeo contemptioni puellam tradit (El. 11.). Huc sine dubio pertinent El. 22. 23. 24., quibus iure suo Vulgivagae Veneris sacris se initiatum esse profitetur, relicto isto dispendiorum et molestiarum pleno genere. Et vicit tandem fortis ille animus puellae duritiem. Nempe si hoc est vincere, despectis iam blanditiis iterum irretiri se pati. Nam quidquid de gaudiis narrat, de victoria Parthorum tropaeis superiore, quam sola contemptione (El. 14.) reportaverit, quidquid noctem candidam sibi testatur (El. 15.): mox ex Illyria reversus praetor nova sereno coelo ciet nubila (El. 16.), quae cum exprobratis fidei suae officiis (El. 17.) frustra dispergere tentaverit, prudenter connivendo tam infestae rei memoriam secum oblitterare studet (El. 18.), non medriocriter gavisus, quod relicta Roma in Umbriam profecta Cynthia (El. 19. cf. vs. 24.) rusticari instituerit. Namque, quod (El. 18. inde a. vs. 21.) speraverat, fore ut ab illo viro mox desereretur, cui externo formae cultu novas illecebras parari necessarium crederet, id revera contigit, siquidem Eleg. 20., qua flenti Cynthiae fidem suam asseverat, septem menses benigne floruisse amorem testatur (vid. enim ad eius El. v. 23. et 24.). Quod si per-

ditus amator (v. 27.) incorruptae puellae fidem tribuit, nos aliis temporibus edocti non lupum illum quidem, sed vulpem videmus in fabula. Ecce enim iterum Panthum quempiam (El. 21.), quem, quod ludibrio solum Cynthiam habuerit, gloriatum esse discimus. Quanquam ne plures, quam opus sit, mulieri amatores finxisse videamur, si eundem eum atque illum, quem bene novisti, praetorem esse velis, haud equidem impediam. Certe extrema huius libri parte, ut semper, ambigua pugnatur fortuna, et „male sartum vulnus nequidquam coit et rescinditur!“ Sic El. 25. 26. 27. 28, 1—45. morbi periculo sub Sextilem mensem (cf. v. 3.) abreptam puellam dolet, servata gaudet (ibid. 46—62.), quem morbum eundem esse volunt, qui El. I, 9, 25. sqq. commemoretur (vid. Kuinoel. ad e. l.). Quasi vero eadem bis aegrotare non potuisset. Exiguae deinde rixae (El. 29.): sed in Asiam nescio quae castra sequuturus ab irrito consilio ultro desistit (El. 30.): novas deprimere studet suspiciones (33.). Isidi, Baccho, puellam ab amplexu suo retinentibus, mala imprecatur. Antea autem iam a Lynceo poëta, quem amicum sibi et seniorem iam aemulum paene nactus est, Propertio periculum minitabatur (El. 34. de qua cf. Lib. III. Cap. II.).

Libri tertii initio amorem stare videmus (El. 1—6.), incitatum potius, quam remissum Cynthiae perfidia (El. 8.). Idem animus El. 9., idem spirat El. 10., idem El. 11. Verum saevius iam urentibus vinculis, cum ne obsequio quidem promtissimo (El. 16.) incontinentes mulieris libidines compescere potuisset, ut, Bacchi (El. 19.) quoque auxilio invocato, vino curas pellere frustra tentasse videretur, tandem quum iam risui esse coepisset sodalibus (El. 25.), Cynthiae nuntium remisit, neque iniuria magnopere gavisus, quod ex tantis erroribus et insaniae tempestatibus servatus esset, Mentis Bonae, cuius auxilio salutem deberet, in tutelam se dedit (III, 24, 19.), vota superiora, quod reliqui dii respicere noluerint, nihil curans. Contemtioni diras addit, perlucentem iam formae ruinam mox velari amplius non posse vaticinatus. Hic igitur finis factus est foederis, quod meliore certe flamma dignum poëtam a celebrandis patriae originibus (cf. Lib. II. Cap. VII.; Lib. III. Cap. III. Cap. I.; Lib. I. Cap. V.) ad alia studia avocavit. Quibus quam aptum fuisset poetae ingenium, et quam totum se dedisset, nisi ipse toties profiteretur, id certe maximo esse posset testimonio, quod cum amore Musam ipsam videmus conticuisse. Nec certe quidquam, quod aeternitate dignum haberet, postea exaravitt praeter ea quae patronorum aut amicorum gratia componere,

(El. IV, 3. IV, 6. IV, 11.) carmina. Quamobrem eum amorem, cui mortua iam puella suprema debita non sertis aut infuso nardo, sed flebilibus elegiae modis Propertius solvere non dedignatus est (cf. El. IV, 7.), hunc autem amorem per singula tempora persequuti, ut operae pretium fecisse videamur, nequaquam veremur. Nam hoc quoque tenendum est, neque ulla in operum parte praetereundum, diversam diverso tempore fuisse amoris rationem, atque, ut ita dicam, ingenium. Etenim, expugnata primum Cynthia, iuvenili plane animo exsultat, tenuiores planctus iocosis lusibus miscet. Ubi perfidiorem videt in dies et superbiorem puellam, iracundius minacia verba iactat. Redintegrata autem post discidium gratia multo maturiores videntur affectus, flammae ardentiores, animus denique virilis potius, quam iuvenilis. Hinc rariores ludi iocique, hinc adversam fortunam experientia doctus moderatius fert, aut, ubi gravior instat, moestitia flebilis potius, quam desperata et effera ira versus obtinet, hinc verba minus exaggerata et ad veritatem sententiae et ad naturam accuratius expressae.

Ceterum exstinctis post amicae mortem pectoris incendiis, non modo elegiae eum valedixisse, sed mox etiam luxuriae fortasse taedio Romam antea carissimam fugisse, ut Asisium redux extremos vitae annos quiete perageret, veri simillimum est. Hic igitur fortasse iuxta patrios penates lectum genialem non sterilem futurum posuit (cf. Cap. I.). Hinc Romam per intervalla petiit, ubi amicos et patronos reviseret et gratam sui memoriam carminibus eorum causa compositis sustentaret. Nisi forte uxorem demum post immaturum mariti obitum cum parvulo patrimonium municipale recoluisse malis. Hoc certe monumento illo, de quo primo huius libri capite rettulimus, satis est patefactum, Asisii nepotum seriem esse eductam, unde unus is, cui cognomen Blaeso inditum erat, in splendidam Passennii equitis domum adoptione receptus nominis aviti famam felici artis veluti hereditariae successu redintegraret.

Quaestionum Propertianarum

Liber secundus.

Caput I.

Prooemium.

De causis elegiae Romanae.

Quemadmodum Urbs aeterna a Marte originem duxisse non sine ratione iusta traditur, ita Romuli gens ferox cum inde a lupae uberibus id solum curaret, ut aut imperii fines propagaret, populique maiestatem apud externos augeret, aut rempublicam legibus firmaret, nihil aliud providere nec voluit nec potuit, nisi ut civium animos vel muneribus publicis administrandis vel armis ferendis utiles redderet. Hinc pacis artes, si qua pax fuit, sobriae et iniucundae (cf. Dissertationem nostram de poetarum elegiacorum apud Romanos principum ingenio et arte, libellis scholasticis Halberstad. praemissam 1842. p. 2. sqq.). Poetica autem, qua plane destitutum humanum vix ullum inveneris populum, inter subseciva diu opera habita, ne multo quidem in honore erat (Cic. Tusc. I, 2.), et intra rudia carminum funebrium potissimum et convivalium principia diu se continebat. Quibus causis accessit, ut ingenium Romanum, iam natura crassius Graeco, belli domique egregie gesta, quibus sua historia nequaquam careret, fabulis quidem exornaret, et poetico quasi quodam colore obduceret, ita tamen ut semper factum potius et rem neglecta forma spectare et in his summam carminis ponere, quam Graecae et omnis verae poesis ratione factum ipsum altioris et divinae mentis — *ἰδέαν* graece dixeris — speciem solam et imaginem habere, eamque omnibus rebus, quibus vita communis illam coelestis numinis quodammodo scintillam oblitterare solet, tamquam alienis et *ἀπροσδιονύσοις* reiectis, versus et compositionis arte et omnis operis dispositione excultam atque unius artificii ambitu rotundo circumscriptam oculis proponere vellet. Neque vero tum quidem, cum ali-

quando subacta Graecia litteras suas simul et vitia Romam intulisset, ulla alia ars felices cepit profectus, nisi quae aut Romanis institutis moribusque accommodata esset, aut omnium populorum communis quasi est hereditas. Itaque Romanum ingenium illud dicax cum severis legibus a foro et publico arceretur (cf. Dissertat. l. l. p. 4. n. 2.), novum sibi procreavit et Romanis proprium satirarum genus (l. l. n. 3.), urbanis facetiis salibusque innocentibus comoediae relictis. Cetera autem genera plus minusve iacebant. Quaecunque enim et illis et insequentibus mox temporibus posita sunt poetica veluti monumenta, quamvis aere illa perenniora et in quibus ingenio et arte adeo est elaboratum, quantum haud scio an nulla alia aetate: tantum tamen abest, ut concinnam illam et omnibus numeris absolutam formam praebeant, qualem in poematis ex ipsa populi cuiusdam vita procreatis offendere nos paullo ante significavimus, ut ne ab aequalibus quidem dignam laudem tulerint, sed iis solum probati sint, qui pari disciplina parem animi cultum assecuti essent. Verumenimvero, cum gliscente iam morum corruptione sensim et respublica perverteretur, et familiarum vincula artiora, quibus illae cum civitate veluti membra cum corpore continerentur, coepta essent laxari: mox discordia omnem populum occupans singulorum etiam civium animos quodammodo discindere et duplex natura et discors Romanorum pectora tenere visa est, altera antiquae fortitudinis tenax pristinaeque gloriae memor, altera delicatiori cultui dedita et ad omnes libidines prona. Rursus tamen iam inveniebantur, qui rerum publicarum taedio ex aestu forensi et laboribus bellicis in conditionem privatam recedere satius ducerent. Hoc dulce quietis et pacis desiderium omnes Lucretii paginae palam proloquuntur (cf. imprimis init. libr. II.), hoc apertius a praeclara rerum bene gestarum gloria ad historias componendas abductum se esse Sallustius profitetur (Cat. 4.). Hinc demum illud incognitum eousque homini Romano otium natum est, cui animus litteris Graecis imbutus novas invenit occupationes, atque si quis poetica praeditus erat indole, ad id poesis genus conversus est, quod in privata vita fundum quodammodo suum proprium habet et originem. Quid igitur miremur, quod Augusto principe, pace per orbem parta et imperii administratione in unum dominum vergente, elegiaca carmina tam laete florescere coeperint, ut Graeca exempla non solum adaequarent, verum ex parte etiam superarent. Neque vero id absonum, quod amores, qui tanta Romanae vitae pars facti essent (cf. Lib. I. c. 6.), praecipuum poetae illi elegerint carminum suorum argumentum atque ita in iis celebrandis versati sint, ut

vix quisquam aut Tibullum suavitate aut Catullum salibus aut ardore Propertium aut lascivia Ovidium superare posse videretur.

Caput II.

De elegiae antiquae ratione et finibus a Propertio servatis.

Nomen igitur elegiae quamvis nemo a Graeco ἐλέγῳ derivare dubitet: tamen, qui sit huius ipsius vocis fons, varias videmus VV. DD. sententias. Alii enim (Paldam. de Erott. Romm. p. 9. Boeckh. teste Ulricio Hist. poett. Grr. Vol. II. p. 178.) Dracone Stratonicensi duce (De metr. p. 161. coll. Schol. ad Dionys. Gramm. Bekkeri Anecdd. II. p. 750, 10. 21. Etym. M. s. v. ἐλεγεῖα) ab ἔλεος deduxerunt, alii Didymi auctoritati cedentes (ἐν τῷ περὶ ποιητῶν iuxta Orion. Etym. s. v. ἔλεγος p. 58, 7. cui assentitur Proclus in Chrestomath. ap. Photium Bibl. p. 319b, 6. sq. coll. Etym. M. l. l. Etym. Gud. p. 180, 5. 15. 20. Bekkeri Anecdd. Grr. II. p. 750, 12.) ex εὖ λέγειν depravatum verbum censent, quoniam hoc genus in laudibus funebribus praecipue esset celebratum, alii ἐλεγαίνειν veram vocis stirpem esse contenderunt (Suid. Vol. II. p. 175, 1. E. M. p. 327, 6.), alii longe ceteris absurdius etymon verbum ἐπιλέγειν finxerunt, ὅτι ἐπιλέγεται τῷ ἑξαμέτρῳ τὸ πεντάμετρον. Restant denique, qui plus illis sapere visi ab ἔ ἔ λέγειν nuncupatum ἔλεγον censeant, Scholiast. ad Aristoph. Aves 217. Suid. v. ἔλεγος I. p. 175. Eustath. ad Odyss. p. 1673. Schol. ad Dionys. Gramm. in Bekker. Anecdd. II. p. 750, 18. Quorum rationem cum similium vocabulorum conformationi repugnare recte perspexisset N. Bachius, ipse non indigentem alienae originis vocem ἐλελεῦ et ἐλελίζειν cognatam esse haud inepte coniecit Ephemm. Zimmerm. scholasticis a. 1829. p. 133—136. Iahnii Annall. 1835. vol. XIII. f. 1. Postea tamen quam God. Hermannus (Ephem. philol. Darmstad. a. 1836. p. 531.) et Welckerus (Mus. Rhen. IV. p. 429.) aliquid veri inesse in illorum Grammaticorum etymologia docuerunt, modo ne a verbo λέγειν ad grammaticae normam derivatum, sed ad sonum extremorum antiquissimi carminis lugubris verborum expressam eam vocem existimares, quae haud dubie fuissent ἔ ἔ λέγ', ἔ ἔ λέγε —: Bachius quoque reprobata priore opinione in verissimam summorum criticorum sententiam pedibus eundum sibi esse intellexit. Histor. crit. poesis Graecorum elegiacae. Fuldae 1840. p. 8. sqq. Nam vocabulorum similiter compositorum exempla addidit Αἴλινος, Ἰήλεμος,

Ἰηπαιήων, *Ἰόβακχος*, *Βακχέβακχος*. Idem vero Bachius libello hoc omnium, quos eo in argumento scripsit, ut extremo ita sane doctissimo, evicit vocabulum *ἔλεγος* primum et proprie significare carmen lugubre ad tibiam cantatum; quod cum vix aliter quam alternantibus hexametris et pentametris versibus compositum fuisset, factum hinc *ἐλεγεῖον* esse aut versum illi generi proprium, aut (qui usus postea plurimum valuit), distichum ex heroico versu et pentametro compositum, *ἐλεγείαν* autem, carmen talibus distichis contextum, postea demum et primum quidem a Callimacho *ἐλέγους* et elegos a Latinis de carmine elegiaco dictos esse. Iam vero naturam carminis elegiaci et vim propriam quaerentibus, ad quam velut ad normam quandam perpetuam totius generis fines accurate exigamus, primum in ipso metro subsistendum esse ex iis, quae de origine vocis proposuimus, necessario sequitur. Itaque Aristoteles quoque (Art. poet. init.): *οἱ ἄνθρωποι*, inquit, *συνάπτοντες τῷ μέτρῳ τὸ ποιεῖν ἐλεγειοποιοὺς, τοὺς δὲ ἐποποιοὺς ὀνομάζουσιν οὐχ ὡς* [*τοὺς*] *κατὰ μίμησιν ποιητὰς, ἀλλὰ κοινῇ κατὰ τὸ μέτρον προσαγορεύοντες*. Quos secutus Aug. Guil. Schlegelius (Opp. critt. t. I. p. 33. in censura elegiarum Goethii Romanarum) et ipse in solo versu differentiae vim positam esse censuit. Hactenus quidem recte, si antiquum dicendi usum referre, quam veris finibus et ex argumento petitis omne hoc genus circumscribere maluit. Etenim cum constet, non omni rei eandem formam esse aptam, et ipsam argumenti naturam accommodatum sibi et peculiare procreare metrum (ut in tragoedia idem Aristoteles poet. c. 4. *αὐτὴ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρεν*): quin Graeci primi elegiae inventores eo, quo ante omnes populos excellebant, pulchri et venusti sensu ducti distichum quoque elegiacum certis solum poematis aptissimam formam elegerint, dubitare nefas videtur. Nam neque elegiam aliis quam imparibus versibus scriptam ullam apud veteres invenias, neque iisdem versibus cuiusvis generis poemata composita. Nihilo tamen minus Aristoteles, cum usum illum dicendi vulgarem improbet (l. l.), hoc probe et imprimis acute videtur perspexisse, poematum definitionem sola numerorum differentia non contineri, nec Homero et Empedocli, quamquam uterque *ἔπη* scripsisse vulgo dicatur, quidquam praeter versum esse commune: in argumentorum enim ratione summam poesis cuiusque sitam esse; hinc generum fines et suum cuique generi nomen rectius, quam vulgo fieret, repeti. *Διὸ τὸν μὲν ποιητὴν δίκαιον λέγειν· τὸν δὲ φυσιόλογον μᾶλλον ἢ ποιητήν*. Sed ne Aristoteli obsecuti communi loquendi consuetudini, quam et antiquissimi

et optimi scriptores semper observaverint, iniuriam fecisse videamur, neve omnes reliquos hallucinantes solis versibus nomen dedisse, poesis autem genera ipsa, multo quam illi sunt graviora, indiscreta reliquisse arguamur: sic existimari volumus, metri nomine etiam carminis rationem satis significari, ideo eos credidisse, quod nunquam fore confiderent, qui versum a suo proprio argumento tamquam corpus ab anima divellere eique incongruum aliud et dispar Musis iratis inculcare auderet, velut si quis tragoediam vel longas Iliadas vel adeo artem geometricam et medicam elegis includeret. Quod quia nihilominus in Nicandro Colophonio evenit, qui distichis Ophiaca scripsit, et in Philone Triccaeo atque Andromacho Cretensi, qui antidota medica eodem metro exposuerunt (cf. N. Bach. l. l. p. 33.), neque tamen de nomine elegiae quidquam mutare nunc nobis licet: ne hoc decepti etiam in rei definitione peccemus, sic antiqui simul usus voluntatem interpretari et iustis Aristotelis praeceptis non deesse videmur, si tales, quos modo significavimus obesae naris homines, non modo elegiacos poetas, sed ne poetas quidem fuisse censeamus. Contra, qui apte et concinne et rei accommodate illis numeris usus fuerit, hunc elegiarum scriptorem merito dici: elegiam autem id genus poesis esse, quod naturae distichi sit accommodatum. Unde, quae sit natura distichi, primum quaerendum esse colligitur; hac autem explorata, qualia argumenta ipsa fuerint, recte poterit diiudicari. Qua tamen in re hoc unum monendum restat, ne temporum rationes temere confundantur. Nam cum Graeci, ut vidimus, versus et argumenta intimo vinculo coniuncta esse sentirent, ut carminibus a versu nomen tribuerent, postea homines subtiliter definiendi et discernendi artibus assueti species poesis elegiacae, quamvis cognatas et ab una origine profectas, ita inter se diversas esse observaverunt, ut unum omnes genus efficere nollent. Hinc factum, ut versum quidem eundem omnibus relinquerent, nomen autem elegiae ceteris demptum ei soli tribuerent, quae et auctoritate et ambitu et poetarum excellentium usu frequenti inter reliquas emineret. Quare Propertius quaedam carminum suorum, quamvis versibus nihil differentia, elegiis tamquam contraria opponit (qua de re vid. infra), itemque Martialis (XII, 96, 8.) epigrammata sua omnia, quae neminem aequalium unquam elegias dicturum fuisse credideram. Quod vero ab his initiis progressi poetae recentiores versuum rationibus susque deque habitis quodlibet flebilis argumenti carmen hoc nomine insignire solent, hoc ut vulgo notum est, ita nos non curamus. Nobis enim vestigia usus

antiqui secutis a metro utique, ut diximus, disquisitio est ordienda.

Heroicum enim versum vides integrum cum alterius πενθημιμερεῖ iunctum, quod bis, properantibus in fine modis, recurrens multum demit de aequabili illa, ut ita dicam, maiestate, quam in epica poesi admiramur. Huic speciei accommodatae carminis origines. Nam Iones, qui omnium primi id invenerunt, perscribendo contractas vitae suae rationes, teneros affectus eaque studia omnia, quibus prae ceteris gentibus dediti dulce otium degerent, impar habuisse videntur plenum illud hexametri quodammodo flumen. Contracto igitur cum sententiis versuum ambitu carmen procreaverunt, quod minoribus argumentis accommodatius esse vel seriores poetae non modo intellexerunt, sed etiam pronuntiarunt. Nam Ovid. Fast. II, 125.:

Quid volui demens elegis imponere tantum
Ponderis? heroi res erat ista pedis.

Hinc exigui elegi apud Horat. A. P. 77. Ovid. Amm. I, 1, 19. II, 1, 31.: elegi leves. Quibus cf. quae de Alexandrinorum elegiis a Propertio expressis disputavimus c. 7.

Simul autem optime quadrat cum eius poematis indole, quo non solum poeta res extra se positas persequi, sed etiam quomodo ipse rebus externis afficiatur exponere velit. Ut enim distichum, priore versu elato impetu quasi carceribus emisso, breviorem per orbem in se ipsum recurrit, sic poeta omnibus humanis divinisque rebus perlustratis in suum ipsius pectus revertitur. Hinc iam apparet id, quod Bernhardyus in censura operis Osanniani (Suppl. Ephemm. litt. Hall. n. 113. Dec. 1836. p. 908.) recte adnotavit, nudum sine hexametro pentametrum ferri nequaquam posse sensuique humano contrarium, absurdum et ridiculum exciturum esse syllabarum strepitum. Contra cum longiore iunctus, dum multo fortius sententias claudit alteramque ab altera segregat, metrum efficit medium interpositum inter continuum heroici versus tenorem et properantem melicae strophae varietatem, quod ipsum iam stropham dixeris minimi ambitus. Unde Hephaestio Enchirid. p. 115. Gaisford. *Σύστημα δέ ἐστι μέτρων συναγωγή, ἤτοι δύο ἢ πλειόνων, ἢ ὁμοίων ἢ ἀνομοίων· ἀνομοίων μὲν ὡς τὰ ἐλεγεῖα — ἑξαμέτρου γάρ ἐστι πρὸς πεντάμετρον κοινωνία κ. τ. λ.*

Quae si recte perspeximus, elegiacum genus ab epico carmine agendi progressus, a lyrico, quod proprie dicunt, commoti animi sensus non tam mutuatum

esse, quam alteros alteris temperatos in concinnam unius poematis speciem continuasse, fatendum erit. Qua in definitione nobis cum summo Hegelio convenire (De Arte Pulchri III, 3. Opp. X. p. 464.) non sine gaudio intelleximus. Heroici igitur carminis limitibus in angustius privatae potissimum vitae spatium coactis, elegia poetae simul ipsius animum, quatenus pro varia carminis materia varia afficitur sollicitudine, oculis quodammodo proponit. Hos autem intra fines quantus pateat campus, videre in proclivi est. Qui si tam variae procrearit speciei fructus, ut alii, cum materiam non formam spectantes in illa societatem quaererent, multa hinc invita natura et Minerva segregarent, alii varia et saepe inter se pugnantia excogitarent explicationum genera, profecto non mirandum est. Quarum proxima vero et ex supra dictis sponte sequens ea ratio, qua Fr. Schlegelius cum aliis concitatiori animi motui odam, remissiori elegiam tribuerit. Prae ceteris tamen dolori apta videtur, qui iam natura gaudio est verbosior. Nam, ut Aristaenetus ait Epist. I, 16.: ἅπας — δι' ὁτιοῦν ἀχθόμενος τὴν ψυχὴν τὸ λυποῦν ἐκλαλῶν ἐπικουφίζει τῆς ἀδημονίας τὸ βάρος. Egregie autem fletus et querimonia mollibus pentametri modis accommodantur. Quod ne Didymum quidem fugit, qui (ap. Orion. Etym. s. v. ἔλεγος p. 58, 13. et E. M. s. v. ἐλεγεῖα) languescentis illius et quodammodo morientis versus repetitionem nescio quam moestitiae et lamentationi utilem naturam habere observavit. Nam priore loco: ἔλεγος, inquit, ὁ θρῆνος διὰ τὸ δι' αὐτοῦ τοῦ θρήνου εὖ λέγειν τοὺς κατοιχομένους, ὅθεν πεντάμετρον τῷ ἡρῳϊκῷ συνῆπτον, οὐχ ὁμοδραμοῦντα τῇ τοῦ προτέρου δυνάμει, ἀλλ' οἷον συνεκπνέοντα καὶ συναποσβεννύμενον ταῖς τοῦ τελευτήσαντος τύχαις, idemque altero loco verbis paullo immutatis. Neque aliter, quamvis brevius, Proclus (Chrestomath. ap. Phot. p. 319b, 6. sq. Bekk.) fortasse eundem auctorem secutus. Neque igitur illud absonum, cum rudia carminis elegiaci initia in moerore et cantu lugubri primum deprehendi, ipsumque nomen inde inventum esse: tum veteres dolorem fundum quasi elegiae et propriam provinciam habuisse (cf. praeter locos supra allatos notissimos Horatii versus A. P. 75. sq. Ovid. Amm. III, 9, 3. Heroid. 15, 7. Terentian. Maur. de Metris 2422. Isidor. Origg. I, 38, 14. quos citat Bach. l. l. p. 14. Osanni Symbola ad histor. litt. Graecc. T. I. p. 20.), quamvis in ipsis sepulcrorum inscriptionibus non ita pridem eam usu venisse Bernhardyus (l. l.) demonstraverit. Sed si ultra procedere vetatur, vim ei fieri patet. Etenim amicitiae placida commercia, compotationum,

conviviorum gaudia, rusticationes, fortitudinis laudes, sapientiae praecepta, ab eodem fonte in varios diducta rivulos, variis irrigatis agris in eundem iterum colliguntur alveum. Sed eminet inter haec et principem sibi assidue postulat locum communis omnium dominus Amor. Hinc elegia, quae amat. Quae si ob eas quas supra exposuimus (L. I. c. 6.) causas apud Romanos huius generis poetas maximam occupat operum partem, saeculo illud tribuendum, non elegiae indoli.

Nos igitur propositi memores iam Propertii carmina examinemus, ut ne tum quidem a propria elegiae natura degenerare illa appareat, cum inter praescriptos terminos tam late vagentur, ut si proximorum generum poemata ad communes fines quasi obviam illis procedant, solum metri discrimen superare videatur. Etenim si poeta parvum contractae vitae, ut ita dicam, gyrum non egreditur illum quidem, sed animi motu remisso rem potius quam se spectat, carmen nascitur, quod idyllio, epici generis formae minutae, proximum est. Cuius generis Propertii est suavissima El. I, 3. Eodem fortasse referas El. I, 16., nisi hic querentis viri persona ipsum poetam latere suspicati propriam elegiam effici rectius dicámus. Huc plane pertinet El. I, 20. coll. Theocr. Idyll. 13.; El. II, 29., huc somnia illa II, 26. III, 3. IV, 7.; huc denique non inepte rettuleris El. IV, 8., quamvis comicum ea quendam hic illic (vv. 19. 25. 26.) et satirae similem trahat colorem. Cf. Hor. Sat. I, 5. Verum ne in his quidem personam poetae prorsus a scena recedentem videmus, qui si in idyllio quoque locum sibi sumit (cf. Theocr. l. l. Id. 3. 6. 11. 12. all.), nihil amplius interest, nisi metrum. Quin immo versus pro vario eiusdem carminis argumento variasse videmus bucolicos poetas, ut Theocrit. 8. Quod exemplum, ni fallor, intuitus Heeren. in commentatione de fontibus Eclogarum Stobaei p. 157. Philetam in Hermete, prout materia diversa postularet, diversum metrum adhibuisse suspicatur. Sed cf. c. 7. Si idem quod supra fit, dempta praeterea narrationis varietate, epigrammati proxima species vel adeo ipsum nascitur epigramma. Hoc enim genus peculiari nomine iam pridem a reliquis elegis discretum esse paullo ante adnotavimus. At ne huius quidem certi sunt fines, cum brevia omnia poematia inscriptionibus praesertim idonea eo nomine comprehendantur. Huc epitaphium illud, quod fere dixeris, Galli pertinet El. I, 21., quod Heinsius (Advv. II. c. 15. s. fin. p. 335.) sine idonea causa partem maioris carminis fuisse censet, et El. I, 22., quamvis et huic elegiacum quoddam additum sit fermentum v. 4—8.

Sin poeta taedio potius praesentis aetatis quam molli

completus, moestitia exagitat potius et castigat mores quam deflet, satirae propius accedit. Sed quoniam ne sic quidem sui ipsius obliviscitur, nec tam in universum aegritudine perversi saeculi afficitur, quam, quatenus ipsius privum ius laeditur, iratus adversarium petit, Archilochicis iambis cognatius videtur argumentum. Satirae enim scriptor non pro se ipse dicit, sed ut patronus bonae mentis, sed ut tribunus omnium, qui sanae rationis partes sequuntur, causam agit. Huc e Propertio apte referas El. II, 11. III, 24. 25. IV, 5. coll. Horat. Od. I, 25. III, 15. IV, 13. Epod. 5. 8. 17.

Interdum vero, cum affectus adeo superant, ut sedatam expositionem, quod epici carminis temperamentum diximus, paene oblitterent, odae simillima fit elegia; quod ubique eveniet, ubi altiores carmen sumpserit spiritus. Sic, ut in numero maximo paucis defungar exemplis, El. III, 1. coll. Hor. Od. III, 3. El. III, 2. coll. Hor. Od. I, 1. El. III, 11. II, 1. coll. Hor. Od. I, 6.

Accidit etiam, ut affectus, rei qua excitantur magnitudine abrepti, ipsi sui quodammodo obliviscantur atque in illa sola celebranda versentur, unde panegyrici vel hymni speciem carmen trahit, velut El. II, 10., exordium El. III, 4. III, 17. (coll. Hor. Od. II, 19.) IV, 6.

Hinc simul apparet, quam vaga sit illa aut potius nulla, quam supra proposuimus, Fr. Schlegelii definitio. Nam etiam somnia ea (II, 26. III, 3. IV, 7.), quae aliis de causis idyllio propiora esse diximus, habent aliquid melicae illius ἐκστάσεως. Neque enim omnis haec partitio ad amussim exigenda est, sed sic potius existimandum, ut semina quasi et elementa omnium harum formarum per plurima carmina passim dispersa, puram formam et adultam hic illic solum inveniri dicamus.

Restant libri quarti carmina 1. 2. 4. 9. 10., quibus in unum volumen redactis origines Urbis ad exemplum αἰτίων Callimacheorum celebrare voluisse se profitetur (El. IV, 1, 59—70. cf. Lib. I. c. 5. 6. II. c. 7. III. c. 2. 3.). Haec enim ipse Propertius ab elegiarum et ratione et nomine segregare videtur, cum El. IV, 1, 135. Horoscopi persona consilium, quod prioribus carminibus prae se tulerat, vituperans:

At tu, inquit, *finge elegos fallax opus* cett.

Nec si ad accuratiorem quasi obrussam examinemus, a propria ea et in medio posita significatione ita recedere negemus, quin hactenus iure possint elegiis κατ' ἐξοχὴν dictis opponi. At quoniam non solum breviores quasdam imagunculas idylliorum ratione inclusas continent, sed poetae etiam affectus, modo praeteritorum temporum et pristinae simplicitatis

desiderio motos, modo praesentem rerum Romanarum maiestatem admirantes, lecturis proponunt, ne huic quidem generi aut elegiaci distichi usus aut elegiae nomen absonum fuerit. Neque ita inepte quis Romanensibus ea carminibus, quibus Hispania inferiore aetate excelluit, possit comparare.

Caput III.

Ingenium Propertii reliquorum poetarum Romanorum, qui in eodem genere excelluerunt, comparatione aestimatur.

(Cf. De poetarum elegiacorum apud Romanos principum ingenio et arte, Halberstad. 1842. 4. p. 5. 10. dissertationem libellis scholasticis praemissam.)

Quae causae in universum elegiae apud Romanos excolendae faverint, vidimus. Iam vero quoniam, quid unicuique proprium sit, sic demum recte intelligitur, si quo alii differant explicetur, praecipuos elegiae scriptores, qui apud Romanos vel paulo ante vel simul cum Propertio floruerint, recensere haud supervacuum videtur. Qua re quo brevius nobis iam defungi liceret, libellus in fronte capitis citatus effecit, quo sigillatim nuper eundem locum tractavimus. Ad hunc igitur, si qua receptis maxime opinionibus discrepare videantur, lectorem subinde ablegabimus, unde sententiarum nostrarum fontes repetat. In Tibullo vero ad doctas Dissenii observationes semel provocasse satis erat. Neque enim nunc id de industria agimus, ut omnes poetas Romanorum elegiacos interpretemur, sed ut Propertium eorum comparatione illustremus.

Itaque in Catullo artem etiamtum horridam et incultam in cunis quodammodo vagire audimus. Nam cum sententiarum non raro auctoritate et robore, interdum etiam suavitate vel adeo nativo quodam lepore conspicuus sit, tamen prisca illa simplicitas, non nimis integris moribus, saepe insolens videtur et subrustica, sales petulantes potius et improbi quam urbani et faceti (cf. l. l. p. 6. n. 1.). Versus deinde in elegiis inconditi, hiulci (ibid. n. 2.) inciso quodammodo poplite et tardis pedibus claudicant, ambitum verborum reluctantem tamquam molem aliquam volventes. Itaque ipsae complexiones male articulatae minimeque elegorum modis adaptatae. Modo enim sententias per sinuosos versuum anfractus invitas trahunt, modo in mediis pentametris subsistentes numerorum vim frangunt (ibid. n. 3.). Dispositio aut nulla aut mirum in modum iniqua (ibid. n. 4.), est quando

inculcatis alienis argumentis et assutis potius quam intextis fabulis prorsus odiosa (ibid. n. 5.).

Contra Tibulli oratio et versus dulcis, aequabilis, sedate fluens. Sententiae non sine arte dispositae et ad finem suum et exitum tanquam recto cursu properantes; arguti certique et circumscripti verborum ambitus, ut verba verbis quasi demensa et paria respondeant atque ubivis fere ad normam et regulam possint revocari. Quo in loco illustrando et Dissenius multa cum diligentia nec sine aliquo fructu versatus est, et Gruppius nonnulla satis ingeniose observavit. Rursus eas ampullas, quibus poetae dicta sua decorare solent, verborum inquam mutationes et translationes, parcius adhibet. In hac tamen tenuitate atque, ut ita dicam, pellucida et tantum non subtili elegantia minime est aridus aut ieiunus, nec deducta quodammodo carne nuda ossa et nervos sinit apparere. Quin immo non modo concinnus est et limatus, sed et facetus et laetis luminibus orationem distinguit. Nam cum in agrestis vitae dulcisque otii laudibus huic vel palmam merito tribuas, vix tamen minor videtur in teneris beati amoris affectibus describendis. Hic cupidus et ardens, sicut in dolore flebilis, vel adeo intra praescriptos fines gravis, numquam non teres et rotundus et quem inter poetas vere Atticum dixeris. Eadem, quae orationis, versus laus, qui tantum abest ut illius cursui officiat, ut semper sententiis accommodatus veluti flumen secundum eam et provehat et aequata celeritate comitetur.

Ovidii ratio a reliquis facillime segregatur. Huius enim virtutes fere omnes in vitia virtutibus illis similia et vicina passim transierunt. Quod unicuique evenit, qui lasciviente ingenio ipse se imitatus modum aucupio delectationis invenire nequeat. Unde recte Quintilianus (X, 1, 88.) „Ovidius nimium amator sui“ (add. eund. III, 7. quocum cf. Ovid. Trist. III, 10, 6.). Plurimum enim potuisset, modo ne omnia voluisset. Nam cum sagax esset et agilis et omnibus studiis utilis eius mens, adiutus est insigni versuum condendorum facilitate. Nam, ut ipse ait de se:

Quidquid conabar dicere, versus erat.

Cf. Senec. controv. X. p. 172. Sed levitati, quae ante omnia eius animi propria erat, cedens, qualecunque argumentum ludens occupavit, ut ubi materies in privata vita non suppeteret, vel ἐπιδεικτικὰ excogitaret et suasoriis similia carmina. Quo non modo refero heroides ipsas, sed ex elegiis plurima, praesertim ubi aperta priorum poetarum imitatio subest (diss. cit. n. 8.). Ut verbo dicam, fere

omnia, tamenetsi ex vera vita prognata non negarim (quamquam de El. II, 11. 12. 15. 19. III, 8. dubitaverim), tam communem tamen quendam fictorum exemplorum et thesium colorem trahunt, ut vix habeamus, quomodo eos, qui et amorem et fata amoris et Corinnam poetae mente potius quam in rerum natura fuisse velint, redarguamus. Quomodo autem alios poetas imitatus sit, attigimus in censura libri Gruppiani in Annall. Hall. litterar. a. 1839. nr. 128. p. 1029. sqq. Argutus praeterea et subtilis et acutarum sententiarum vibrantibus quasi iaculis gaudens, diversa atque adeo contraria oppositis frontibus iungendo (cf. Annall. Hall. l. l. p. 1024. n., alia sed cum alienis permixta et incondita habes ap. Gierig. comm. de opera Metam. Ovid. ante Met. ed. III. p. XXX. sqq., possint illa exempla in immensum augeri et certo operae pretium fuerit, dumne ab instituto nostro alienum) tam parum sibi temperat, ut ne seriis quidem rebus animus in talia ludibria proclivis abstineat et ridicula reddat, quae miseranda erant (cf. Met. VIII, 806. 602. II, 331. et infra, qua causa iam notatus a Seneca N. Q. III, 27.). Itaque et illam figuram, quae ab inexpectato nomen habet, usque ad ὀξύμωρα iactitat (diss. cit. p. 7. n. 4.) et mirabilia, quorum largum in Metamorphosibus agrum nactus est, enarrans ita sibi placet, ut ne inhumana quidem et obscena pertimescat, dummodo aures inauditae novitatis admiratione feriant aut crudeli quadam voluptate deliniant (ibid. n. 5.). Hinc etiam rhetorum flosculi, qui quidem in opponendis sententiis versantur, in eo omnes et nimium quam crebri: ἀναφορά (ann. Hall. l. l. n. **)), ἐπιφορά (ib. n. ***)), πλοκή (ib. n. †)), ὁμοιόπτωτα et ludibria verborum diversa significantium. Cf. dissertat. cit. p. 7.

Quae omnia declamator potius quam poëta ex rhetorum scholis attulisse videtur. Nam sententias, quibus abundat, partim ab ipso Latronis ore exceptas in carmina sua intexuisse eum Seneca testatur (Controv. X. l. l.). Adde eiusdem Controv. III, 7. XXXIII. sub fin. et cognominis philosophi Q. N. III, 27. Iisdem certe scholis veras istas declamationes debet per longam ratiocinationum et artificiosam seriem tractas. Quibus deliciis vel potius ineptiis sanum sermonis sanguinem perdit et sensuum veritatem, quibus poeta res tanquam per imagines ob oculos proponit, quaesito fuco oblitterat. Nam vel intellectui argutiae istae non raro officiunt, ubi contortis verbis constructionem impedit (l. l. p. 7. n. 6.). Diffluit interdum et soluta videtur oratio aut minutatim concisa (l. l. p. 8. n. 1.), elumbis sententia (ibid. n. 2.), aut nimia industria causam, ubi non opus erat, afferens fri-

gida (n. 3.), aperta limae incuria, cuius laborem fugisse se ipse non negat. Ex Ponto I, 5, 59.:

Quod venit ex facili, satis est componere nobis,
Et nimis intenti causa laboris abest.

Contra rarius id genus, quod vere poeticum est, metonymia et metaphora, in quibus nisi vulgaria non habet, eaque pauca et hic illic dissipata. Nam in comparationibus quoque putide singula interdum urget et ad vivum similia quodammodo resecat (n. 5.). Allegoriis per se parum poeticis nimis lubens utitur (ibid.). Nec vero in exponendo modum invenire potest et usque ad taedium garrulus (n. 6.), praesertim in molesta malorum suorum repetitione, qua in Tristium libris ita aures obtundit, ut exilio isto vires ingenii vere infractae videantur. Quod ipsi iam eius aequales senserunt (Pont. III, 9, 2.), quorum ab accusatione non recte se defendit. Nam si litus ipsum desertum et vita taedii plena fuit, hanc tristitiam et hoc taedium versibus includere, ut hi ipsi tristi terra tristiores viderentur, nefas erat. Quamquam illum imprimis exilii sortem inique ferre consentaneum erat, qui ita, si ullus Romanus, suae aetatis suique populi amore occupatus erat, ut prae illis omnia externa sordere viderentur (n. 8.), neque priora saecula suo modulo et pede metiri unquam didicisset. Hinc in tot versibus exilium deplorantibus mores barbarorum vix duobus versibus describuntur, nec nisi maximo populi externi contemptu. Ne una quidem vitae illius propria sua norma demensae imaguncula. Contra remotissimorum temporum, heroum, deorum facta sui saeculi quodammodo coloribus oblinit et adulterat; cuius rei quot heroides, tot testimonia. Hinc Olympus Romanae curiae similis, ut Met. I, 244., ubi pedarios senatores intellige, qui „partes assensibus implent“ et urbanum inter Musas et Minervam sermonem Met. V, 333. Augusti aula dignum. Hinc quoque ἀναχρονισμοί. Hinc levis eius animus in fabularum veterum usu, quarum doctrinam modo pro lubitu variat, modo spernit, modo ὕλῳ τῷ ϑυλάκῳ serit. Eadem in tractandis astrologiae, geographiae et historiae locis levitas (ibid. n. 10. sqq.). Cogitationis autem subtilitas et acumen improbum apertius poetae nocet, ubi de fabularum veritate ipse dubitat. Nam ieiunior ratio inventa poetarum, divina atque ob id ipsum vera, aut negat esse vera, quia non vere sint nec sensibus intelliguntur, aut putide diligens humano more declarare studet. Quae necessario quodam nexu iuncta poetae quidem debent videri, ut fortuito casu nata commemorat et mirabilia interdum ipse excusat (l. l. p. 9.). At

ne moribus quidem integer ab antiqua Romanorum dicendi libertate, a qua reliqui aequales non degenerant, in vilem Augusti nominis adulationem (cf. Trist. II, 64. Pont. I, 4, 56.) delapsus, libertatis vindices Philippenses sceleratorum nomine notare non veretur (Fast. V, 570. sqq.). Haec tamen omnia magni ingenii magna vitia sedulo notasse ne invidiosum videatur: his optime illustrari credidimus omnem eius viri naturam, quam hodiernis Gallis multis rebus simillimam non iniuria mireris. Nam vitiosa et in ceteris per se facilius intelliguntur, et in Ovidio, ubi nihil sunt nisi ipsae virtutes, quae in eo multae fuerunt et praeclarae, sed auctae in nimium et supra quam decet. Itaque ubi materiem nactus naturae suae idoneam, egregius est, ut in Arte, et ubicunque aut sui temporis mores aut omnium temporum communes describit (ibid.). Versuum numeri ubique illis rationibus prorsus accommodati (cf. nos in censura libri Gruppiani l. l. nr. 129. p. 1025.). Nam leves et ipsi et properantibus pedibus mobiles, arguti, incisi. At sicubi opus videtur, Ovidius quoque graves mensuras addit et cum non modo versibus fortiter percussis verum etiam vocum sonitu sensus appareat, mirus laudatur artifex.

Iam vero, ut tandem ad ipsum Propertium perveniamus, huius carminibus duae maxime res proprium et inextinctum quendam colorem tribuunt: primum concitatorum affectuum ardor, quibus ut ipse quamvis maceratum gaudere se profitetur, ita impetu modo et fragore magno fertur, modo concitati maris instar fluctuat et redundat: ab altera parte sagax et ut ita dicam molle ingenium, quod udae argillae instar impressarum rerum vestigia facile recipit et fideliter servat. Nam adiutus prompta memoria omnia, quae carmine digna sub mentis aciem venerunt, argutis non modo lineis audacter et ad veritatem adumbrat, verum succi et sanguinis plenas imagines oculis proponere et quodammodo vivas iterum procreare audet. His si tertium addideris, quamquam absque hoc duae illae rationes coniunctae ne cogitari quidem possint, animus erit firmus et continens et qui ipse sibi temperare non nesciat. Hoc enim destitutus nemo ex ipsis mentis turbis emergere suosque affectus, vix restinctis animi incendiis, tanquam alieni sint, custoditos eo quo diximus modo explicare et decenter excolere potuerit. Itaque in ipsa copia non effluit nec cum plurima ut dicat animus suadet, omnia ebullit, sed eminentia solum et veluti capita rerum acri iudicio delibat, exuberantem materiem dicendi vinculis compescit, superfluam quodammodo sarmentorum luxuriem amputare non dedignatur. Rur-

sus in singulis, quamvis videatur concitatissimus, limae solertiam tantum abest ut refugiat, ut verborum concinna proprietate insitam affectuum vim augeat. Nec cum varios et diversos sensus aestuans percurrit, dispositionis prudentia caret. Hanc autem tripartitam ingenii naturam, in inveniendo potissimum copiam, in eloquendo brevitatem, in omnibus denique artem requirere necesse est. Quae omnia sigillatim transire et in abditas usque verborum et numerorum latebras persequi ad indolem poetae penitus cognoscendam non modo iucundum et utile esse arbitror sed etiam necessarium. Sic enim demum scriptorem ab obstrepentibus loquacis turbae opinionibus defendas, quae ut arborem ex fructibus, quo per caecas vias et spiramina succus ubique versus diffunditur et dispartitur, sic scriptoris ingenium ex operibus nosci oblita, uno quodammodo obtutu omnem faciem leviter percurrens praecocia et semicruda iudicia iactitat; perinde quasi totius cuiusdam operis mensuras et veros numeros nisi singulis perpensis recte intelligere possis, aut quasi poetae animus non in levissimo quoque verbo tanquam articulo vivus et praesens appareat.

Caput IV.

De inventione Propertii.

Quoniam scripti cuiusvis operis ratio tribus maxime partibus cernitur, inventione, dispositione, elocutione: hanc ipsam divisionem optimis et antiquissimis auctoribus probatam ita sequi sustinuimus, ut provectae aliquanto nostris temporibus pulchri aestimationi eam accommodaremus.

Iam inventioni solas res et sensus tribuimus, quibus quid et quale, non quomodo poeta scripserit appareat. His enim ut mores potissimum et ingenium cernuntur, ita reliquis duobus generibus ars eminet. Quanquam ingenium artis rude plurima ne invenire quidem recte posse non ignoramus, nedum in adornando ars ingenii expers quidquam valeat. Hac autem parte multa contineri, quae vulgo ad elocutionem et oratoriam supellectilem referri soleant, nec in poeta argumenta ita a forma separari posse, ut illa solum necessaria, haec tanquam ornatum, gratum illum quidem, sed aliunde arcessitum credas, et ad calcem huius capitis et deinceps illustrabimus. Tamen quia et usui antiquo sua est auctoritas, et partitio a veteribus tradita cum ad ceteros usus, tum ad seponendas eas partes, quae ad grammaticas normas proxime

accedunt, utilem se praebuit, indicare potius has rationes, quam nova instituta via legentium animos turbare maluimus.

Iam ut de inventione ipsa dicamus: elegiacum genus a Propertio recte prae ceteris expetitum esse, ex iis, quae in universum de ingenio poetae et de elegiaci carminis natura disputavimus, necessario paene efficitur. Elegiis enim gratae illae naturae et humanarum conditionum quodammodo imagunculae commendantur, quas Propertius eximie fovet. His rursus animi inquietudo accommodata, qua ille diutius in una re haerere non potest, sed ab altera ad alteram transcurrens affectuum suorum veluti quaedam vestigia ubique relinquit. In eligendis autem carminum argumentis, quamvis identidem poetae ingenium cerni pateat, quoniam alia aliis ut accommodatiora sibi praeferat, tamen, ut in rebus humanis, non ubique aut semper differentia conspicua est, neque securi, ut ait ille, abscissa. Itaque elegiarum omnes species in Propertio inveniri supra vidimus, per quas cum ubique semina ingenii dispersa sint, in aliis eminent, in aliis recedunt. Nam in levibus argumentis doctrinam explicare aut in placidis lusibus horridam brevitatem affectare, ne fas quidem est, non modo aptum. Itaque noster quoque humilia subtiliter, alta graviter, mediocria temperate dicere didicit. Elegiae autem materiem ex privata potissimum vita repeti, nec modo hanc describi, sed etiam varios, qui inde in poetae animo nascantur, motus ad concentum revocari vidimus. Hinc sponte iam colligitur, ut argumenta illorum carminum, quo propiora sint veris vitae conditionibus et ipsa poetae vita quodammodo prognata, eo sint efficaciora magisque legentibus probentur: contra ut proxime suasoriis et fictis thesibus accedant, ita saepissime vero sanguine et succo carentia, nisi exiguam ingeniosorum lusuum laudem non mereantur. Quantum enim decursio verae pugnae, declamatio umbratilis forensi actioni distat, tantum hoc illo genere inferius. Nam veri poetae animus semper aliquid molitur semperque pronus est ad fingendum, dum occasio adsit; quam in heroico carmine et scenicis fabulis longe secus se habere atque in hoc nostro genere videre proclive est. Illic enim poetae mens sedula et generandi cupida rebus divinis humanisque perlustratis, tota in materiem sive novam et a se comparatam sive antiquis fabulis praeformatam quodammodo demittitur et dum innatam vim in alieno argumento formando domandisque veluti reluctantibus rebus exercet, imaginum, ut ita dicam, praegnans et gravidum pectus exonerat. Hic igitur poeta cum argumenta longius saepe repetet, tum vel inventione praeteritam aetatem

imitatus, semper aliquid laudis assequetur. Id quod a Propertio factum est in iis carminibus, quae epico generi proxima sunt libri IV, 1, 1—72. 2. 4. 9. 10. Contra in angusto elegorum spatio occasio non anxie quaerenda ultro se illi offerat oportet, praesertim ubi res ipsa, quam occasionem diximus, affectuum inde nascentium pondere superatur. Hi animi motus quo veriores sunt, eo magis probantur. Fingere enim causas sterilis, quamvis contra videatur quibusdam, erit ingenii. Namque cui vita quotidiana nihil praebeat, quod terrestri faece purgatum cedro dignum expoliat, is nisi prorsus miser, certe poeta non est. Frustra enim cum tarda sit natura et hebetes oculi, vitam et conditiones accusat, quasi coloribus careant. Nec enim aut surdus audit, aut caecus videt. Affectus vero et pugnantium cupiditatum certamina, in quibus lyrici carminis summa versatur, fingere, non modo poetae, sed ne simplicis quidem hominis est, ne dicam, sani. Pectus enim unum est domicilium et sedes scintillae illius homini divinitus immissae, quod ingenium vocamus. Hic quae vere sunt, dummodo ipse, quem fingimus, sit poeta, etiam vera sint, et nullius rei additione pulchra et poetica, necesse est. Hic igitur incorruptus motuum illorum fons, quos lyricus poeta et elegorum scriptor integros in carmine ponit. Quos qui non sensit, invenire nullo pacto potest, nec usquam cognati sensus expers imitatio magis frigeat, quam in hoc genere. Unde egregium illud Horatianum de Pindari sectatoribus iudicium. Hinc veras elegias esse eas, quas poeta ipsius vitae causis et occasione certa motus et in carmina actus scripserit, apparet: quanquam fuerunt, quos totum hoc genus, quamvis Goethii summi auctoritate tutum, superbe contemnere non puderet. Has autem occasiones parvas saepenumero esse, et quae nisi ipsi poetae aut pulchri aestimatori minimi momenti videantur visumque fugiant, ex modo dictis sponte sequitur. Purgat tamen eas poeta, ingenio alit, in maius auget. Unde ipse Propertius:

Non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo:
Ingenium nobis ipsa puella facit.

Et mox singulis, quibus in carmina accendatur, rebus relatis:

Seu quidquid fecit, sive est quodcunque locuta,
Maxima de nihilo nascitur historia.

Neque ut talia argumenta inveniamus, longius quaerendum est. Pertinent enim eo El. I, 2. 3. 8. 11. 15. 17. 18. II, 3. 5. 7. 8. 9. 10. 11. 14. 15. 16. 17. 19. 20. 21. 26. 28. 29.

30. 31. 33. III, 3. 6. 8. 10. 15. 16. 20. 21. 24. 25. IV, 7. 8. — et, ubi causa non ab amica ipsa venit, I, 4—7. 9. 10. 12. 13. 21. 22. II, 1. 34. 4. III, 7. 12. 18. 22. 23. IV, 6., quanquam hoc ut eiusdem libri 11. altioris iam spiritus. Atque ita Propertius in veris vitae rationibus haeret, ut haud dubie Vitam ex ipsis carminibus refingere et ad sobrium examen sine audaciae crimine revocare nobis contigerit. Quod in Ovidio illo et fabulosa Corinna vix cuiquam liceat. Quanquam etiam Propertius quaedam habet, in quibus parva historiae illius semina paene delitescant, nec nisi amicae vel sodalis appellatione, qua epistolae similis forma efficitur, certam fuisse carminis originem significetur. Sic I, 14. 19. 20. II, 6. 18. 22. 24. 32. III, 9. Quibus magis etiam communis videtur παρακλαυσίθυρον I, 16.; Cynthiae laudes II, 2. 13. 25.; amandi in compendium redacta doctrina II, 4.; Cupidinis pueri imago II, 12. (in qua iure quodam quis coniecturalis causae a Quintiliano Inst. Or. II, 4, 26. commemoratae meminerit: „Quid ita crederetur Cupido puer, ac volucer et sagittis ac face armatus"); amantium servitus II, 13.; eiusdem libri carm. 27., ubi solis amantibus horam mortis certam esse prodocet; immortalitas poetarum III, 1.; dulcis inertia III, 5.; mulierum imperium III, 11.; avaritia puellarum ibid. 13.; Spartanorum ludorum laudes ibid. 14. El. III, 17., ubi Bacchi opem implorat; incontinentia mulierum III, 19. El. IV, 1, 71. ad fin., ubi priora sua studia irridet; lena IV, 5. Cui rationi paullo diversa, ubi totis libris praefatus de vitae suae carminumque ratione generatim exponit I, 1. II, 1. III, 1. His enim, ut videtur, absoluti libri ipsi occasio fuerunt. Nec tamen aut haec, quibus laxiora cum poetae fatis vincula, aut carmen illud (IV, 3.), ubi fictis nominibus veros homines velat, ob id ipsum commenticia habere fundumque, ut quidam voluerunt, heroidum Ovidianarum existimare reliquorum carminum conformatio permittit. Sed utique causas carminum perturbationes animi ipsis causis excitatae premunt. Has enim demum turbas, dolores, gaudia, spes, timores, amores, odia, iras, cupidines, dum urgente animi sollicitudine veluti largo flumine effusa eloquendi luminibus temperat, versuum numeris adstringit, compositionis arte in fines iustos coercet, carmen nascitur vere elegiacum. Haec igitur cum causis, quibus poeticus ille furor cietur, vera sunt elegiae argumenta, nec nos praeterea aliud ullum — si diis placet — consilium novimus, nisi forte quis occasionem consilium dicere malit. Iam vero, quid ex illis argumentis Propertius potissimum expetiverit et quatenus pertractaverit, videamus.

Amoribus iure primus locus. In his enim describendis poeta summus artifex. Cupidus autem est et ardens, nec tamen illa cupiditas libidinosa aut turpitudini obnoxia, nec iure hoc nomine a Dissenio (praef. ad Tib. p. LII.) Propertius cum Ovidio comparatur. Quamvis enim non ut Tibullus placidam quietem amore quaerat, — ne tamen hoc nusquam Propertium facere credas, cf. El. I, 4. II, 7. I, 14. exit., quarum extremam vere Tibullianam dicas — at neque obscena ioca admittit, nec crudam voluptatem expetit, sed his omnia maiora habet animi cultum, ingenii artes atque adeo morum nisi simplicitatem, quae tunc omnino nulla fuit, humanitatem tamen et naturalem quandam bonitatem. Cf. El. I, 4, 11. et egregius locus II, 3, 9. sqq. Add. II, 13, 9. sqq. et rursus de moribus II, 22, 14. 27.

Nec profecto vilis erat aut non amabilis Cynthia, quam talis poeta ita amare posset, cuiusque mortuae tam piam memoriam in posteritatem propagaret. Atqui vere eum et toto pectore et intimis animi sensibus amasse ne ipsum toties attestantem in partes adhibeam neve ad quinquennale illud servitium toties iactatum provocem, quid verus amor esset et coelestia animorum simul corporumque vincula non ignorasse eum atque adeo melius tenuisse, quam haud scio an ullus veterum poetarum, iam dolores illi dulces gaudio summo mixti declaraverint, quorum in Ovidio ne vestigium quidem, in Catullo saniore utique ab hac parte rudia tantum quaedam initia (cf. Catull. 68, 18. „Venus, quae dulcem curis miscet amaritiem“ cf. 64, 95.), Propertius adeo, quoniam Romanus sermo verbo caret, quo affectus ille mixtus (die Wehmuth) significetur, ipsa hac voce „dolores“ utitur, ut I, 10, 13., qui locus male idcirco ab interpretibus acceptus est, quamvis paulo antea dixisset: „cum te complexa morientem, Galle, puella vidimus.“ Cf. iterum I, 3, 15. „vidi ego te toto vinctum languescere collo et flere iectis, Galle, diu manibus et cupere optatis animam deponere labris“; quibus adde egregium locum II, 15, 52. fin. et cave tangas ibidem v. 35., ubi frustra fuerunt, qui dolores in calores mutarent. Neque igitur mirandum, quod inter media amorum gaudia interdum mortis memoria intexitur, ut El. I, 19. II, 15, 41. sqq. III, 17, 20. sqq. II, 13., qui locus ab interpretibus parum intellectus dilacerandi carminis causam dedit. Unius autem dominae fidelem amorem non solum ipse toties prae se fert, sed hunc potius, quam vilium puellarum desultorios affectus poetae animo accommodatum fuisse, ea ipsa carmina docent (II, 22, 23.), ubi fatorum duritie actus, alia via instituta dolorem consolari

studet. Hic enim ex subtilibus illis argumentationibus, quibus novam rationem amicis probare vult, facile apparet, quam parum serio mens ei dedita fuerit. Neque enim diu sustinuit, cum contra in Cynthiae amore totus sit. Prae hoc omnia sordere sibi ait (I, 14, 23. II, 14, 23. III, 2, 11.), sine hoc vitam indignam (I, 14, 15.), nec maiora se expetere huic vitae solum aptum (I, 6, 24. III, 4. fin. II, 1, 45.; fortius etiam II, 7, 14. I, 7, 5. sqq.). Neque nos ipsam istam nequitiam, cui tota amantis anima tradita est (I, 6, 25. II, 34, 59. sqq.), severa fronte improbemus. Nam, qui semel certam vitae rationem suam professus est, hunc, si fortiter eam teneat neque in medio itinere dubius subsistat, iniuria vituperes. Atqui Propertius haec privatae vitae gaudia ut turbarum publicarum requiem et saeculi medicinam laudat et aliis probare studet. Hinc El. II, 15, 40. sqq.:

Qualem si cuncti vellent decurrere vitam,
Et pressi multo membra iacere meo:
Non ferrum crudele esset neque bellica navis,
Nec nostra Actiacum verreret ossa mare.

Itaque omnia paene, vel quae primo inspicienti maxime aliena videantur argumenta, ad hunc unum amorem refert (cf. II, 31. III, 7. fin. ibid. 11. III, 4. fin.), hic color perpetuus, quo animi veluti picturae circumlitae videantur, huc unumquodque carmen in orbem redit, ut vere dicas:

Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

Hactenus autem ne duris quidem Catonibus notandus. Quid enim intimo et fido amore, quid perpetuo animorum commercio aut amabilius, aut pulchrius, aut carmine dignius? Cum vero cupidius exardescit voluptas, tum non de pulpito mores prodocere poetae esse memento; nam et formae sua laus est; est etiam divinus quidam voluptatis ardor (I, 10, 5. sqq. I, 13, 15. sqq. II, 29, 15. sqq. II, 15, 1—30.); formae autem admiratorem esse quis hominem, quis poetam, quis Propertium vetet? At, quanquam praeceptor bonorum morum poeta esse non debet, perdere tamen eum mores nefas. Omne enim inhonestum turpe et poesi contrarium. Audio. Neque vero Propertius ut Ovidius libidinis pruritus per omnes numeros et modos damnosa industria prosequitur, aut artificiose quaesita nequitia contrectat. Sic enim, quae in unum veluti amoris corpus coniuncta grata apparent, dissecare et singula sobrie percensere, hic non amor est, sed crudelitas, quae in amoris viscera saevit, et cum se solum et libidinem non amicam spectet et amet, masturbanti potius, nisi pudeat, talem hominem quam amanti comparaveris

(cf. instar omnium spurcissimum carmen Ovidii Amorr. III, 7.). Contra Propertius integras ubique ponit et quasi vivas amoris imagines et tacenda pudico amictu velat (cf. El. I, 4, 14. I, 13, 18. I, 3, 11—30.). Neque igitur in turpitudinem explicandus (I, 3, 16.), aut hac excusanda vulgata lectio El. III, 10. extrem.

Puerorum autem amorem, Romanis institutis ne excusandum quidem, nunquam carmine persequitur, semel bisve transeundo tantum commemorat, sicut El. I, 20., quam tamen Hylae fabula, qua suavis amicitiae potius quam libidinis vincula describuntur, totam paene occupat, et El. II, 4, 17., ubi dum fatorum duritiem aegre fert, duorum malorum levius puerum quam puellam iudicat.

Non minus vero quam in amore in ceteris, quae cum illo necessario coniunctae sunt, animi perturbationibus vehemens; nam et dolor acerbus et vere flebilis, et gaudium exultans, quorum illum per omnia carmina dispersum, hoc in triumphis amatoriis maxime splendescens invenimus. Simplicitatis autem amor morumque integritas (in qua cf. El. I, 2. I, 15. II, 6, 25. sqq. II, 18, 23. sqq. II, 25, 25. sqq.) tenerrimis sensibus orationem illic praesertim implet, ubi corruptas suae aetatis consuetudines cum simplici naturae cultu comparat, ut I, 2, 9. sq. I, 14. init. II, 19., qua rusticationis gaudia innocentia describit. Has autem imagunculas nescio qua desiderii dulcis aura afflatas, quibus ingenua naturae pulchritudo ita commendatur, ut amissa generis humani integritas modo tacite defleri videatur, modo apertius argui, cum apud veteres rarissime inveniri multi recte animadverterint, inter quos nunc instar omnium Bekkerum nomino (Charicl. I. p. 219, 11.): Propertius ubi illud attigit, nostris sentiendi rationibus proxime accedit. Cf. praeter locos modo allatos, quorum causa aperta est, El. I, 14, 1—6. I, 20, 38. Suavior etiam cum priscorum hominum frugalitatem praeteritam ita dolet, ut antiquum vix credas hominem. Cf. II, 16, 19. I, 2, 15., prae ceteris autem III, 13, 25. sqq. Nec tamen aut frigidam contemptionem ignorat, ubi indignae amore suo puellae valedicit (II, 11. III, 24. 25.), aut odio acri parcit, ubi in perversum saeculum invehendum sibi est, ut III, 13. II, 6, 19. sqq. ibid. 35. sqq. II, 16, 5. sqq. Satirae vero non imparem auctorem dicas, si memineris, quantis salibus bile mixtis lenam istam perfricet (IV, 5.) aut volsum nepotem cum amica mascula (IV, 8, 17—20.). Tum vero etiam ira ita exardescit, ut adversario mortem minitetur (II, 8, 25—28.). Rursus sese attollit et vatis divini instar ab avaritia rebus Romanis in-

teritum venturum praenuntiat (III, 13. sq.), non falsus eventu augur. Nihilo tamen secius Romani populi et Romanae civitatis admirator summus (III, 22, 17. sqq. III, 11, 59. sqq. IV, 1, 45. sqq. III, 3, 5—11.), quam a tam parvis principiis in augustam illam maiestatem non sine diis crevisse confidit (cf. El. IV, 1. init. IV, 4, 3—14. IV, 10, 25—30. III, 11, 65.). Neque igitur sterilem poesi agrum nec superis ingratum opus futurum esse existimat, si a primordiis hanc tantae Urbis historiam carmine prosequatur (IV, 1, 55.). Hinc Augusti rerum restitutoris debitae laudes (cf. II, 10, 15. sqq. II, 16, 41. sqq. III, 4. III, 9. fin. IV, 1, 46. IV, 6. add. Quaestionn. L. I. c. 5. fin.), hinc indignatio adversus reginam barbaram, foedum Romae iugum imponere frustra conatam (El. III, 11. IV, 6, 21.). Nusquam vero vilis adulator. Nam et „civilia busta Philippos“ libere dolet (II, 1, 27.), nec ab Actiacae pugnae commemoratione candida dicendi simplicitas abest (II, 15, 45.), et Pompeii mortem perpetuam nominis Romani notam futuram esse praedicat (III, 11, 36.), nec eum, qui a partibus Octaviano contrariis steterat, Gallum epitaphii honore carere vult (cf. El. I, 21.). Hac cum simplicitate artissime cognata videtur esse propriae virtutis conscientia, quae quamvis falso pudore non celata (cf. I, 7, 21—24. III, 1. III, 2. IV, 1, 63—66.) aliorum tamen bene promeritis nequaquam officit (cf. II, 25, 4. II, 34. s. fin.). Raro Tibulli more affectibus remissis placidam tranquilli gaudii quietem describit, ut cum puellae diem natalem carmine gratulatur III, 10., aut lente iocatur, ut III, 23., ubi tabulas suas perditas queritur, raro etiam minuta solertia ratiunculas subducit, nisi cum destitutum unius amoris iter vanis argumentis excusare frustra studet (II, 22. 23. 24.), irrisor, puto, magis sui quam irridendus.

Eadem porro, qua in suis, in alienis affectibus describendis arte utitur. Quo in genere nobile exemplum Tarpeiae furor (IV, 4, 19—88.). Nec spernendum breve sed sensuum plenum carmen I, 21., ubi Gallus moribundus extrema verba fugienti commilitoni mandat, quae sorori nuntiet. Utque in his tragicum paene πάθος conformationis, q. d., figura dominatur (quod rectius argumenti genus existimaveris): sic composita magis oratione ἦθος non minus feliciter ei cedit, unde El. IV, 11., qua in Corneliae persona matronae Romanae et dignitatis muliebris velut exemplar proponitur, reginam elegiarum appellare iam assueverunt. Cuius quodammodo παρῳδίαν damnosam lenae orationem dixeris, qua perversi vetulae mores non minus luculenter exprimuntur (IV, 5, 21—60.). Lenius rursus, quamvis et

ipsum sicut superiora illa flebile argumentum, Cynthiae secundum noctem poetae visae querimonia (IV, 7.); Arethusae autem fides et absentis coniugis curae (IV, 3.) puellaribus vere nec tamen matrona nobili indignis verbis significantur. Nec denique hic non commemoranda Cynthiae post breve discidium redintegrata gratia, in qua ipsius mulieris oratione et ad levitatem animi et ad illam, de qua diximus, naturalem bonitatem illustrandam egregie utitur.

Sed in universum ita in descriptionibus versari amat, ut rerum formas et certos status per omnes numeros persecutus veluti imaginem oculis subiicere et in rem praesentem lectores perducere videatur; quod genus φαντασίας Graeci appellant, visiones Latine interpretati sunt. Longe diversum id a Tibulli ratione (cf. Dissen. p. LXXXIV.), apud quem eius usus nulla vestigia. Huc vero ex Propertio pertinet Cynthiae dormientis suavis imaguncula I, 3. init., Hylas aquam hauriens I, 20, 35. sqq., Iunonis Lanuvinae sacra IV, 8. init., triumphus III, 4., Musarum antrum III, 3, 25., plurima per αἴτια, multa etiam per cetera carmina hic illic dissipata. Hac indole et naturae studium ortum, de quo supra diximus. Quamquam ut discipulus Graecorum humanam pulchritudinem supra omnes alias merito extollit. Huius enim non modo admirator est, sed aestimator etiam callidus. Cf. II, 2, 5. II, 1, 6. 25, 43. 3, 9—22. 29, 25. sqq.; hinc quoque palaestrae muliebris laudes III, 14, 1—20. Nec vero unquam hae descriptiones agendi progressu carentes diffluunt aut stagnare videntur, sed modo comparationum luminibus quasi versicolores placent, modo grata aliarum formarum vicissitudine excipiuntur. Qua dexteritate multo etiam admirabilior illa alienos sensus ad verum exprimendi facultas hoc effecit, ut Propertius unus poetarum Romanorum, ubi opus est, suae conditionis suique populi morum et temporis, quo vivebat, oblitus externis et priscis hominibus suum ius esse et modulum meminerit. Itaque et fabulae antiquitatis quadam aura grata legentem afflant, et aliarum gentium instituta non illito Romano fuco integra et pura et ingenua narrantur. Quae ratio cum in αἰτίοις maxime valet, tum devotionem illarum Indarum mulierum (III, 13, 15. sqq.) ita ad veritatem accommodate a Propertio enarrari testis, qui ipse vidit, asseverat, ut nihil supra (cf. Paldamum de Erott. Romm. p. 68.). Adde virginum Spartanarum certamina III, 14, 21. et breves et concinnas barbarorum descriptiones (IV, 10, 39—49. IV, 3, 8. 9.). Ceterum, ne hic iam de imitatione poetarum Alexandrinorum dicam: quantum in versandis poetis ea indole sit adiutus

quamque intime alienos non modo sensus, verum etiam dicendi genera imbiberit et sua fecerit El. II, 34, 61. sqq. soli satis possint declarare, ubi in recensendis poetis elegiacis eorum ipsorum verbis ita abusus est, ut illos de se loquentes fecisse videatur. Itaque initium Aeneidis habet v. 63. 64., mox Thyrsin et Daphnin ex Ecl. V. et VII. arcessit, et Tityri sub persona latitantem Virgilium amabili lusu ipsius eius versibus paululum modo immutatis alloquitur. Quodsi de superioribus, qui v. 31—40. tanguntur potius quam recensentur, poetis certius quid affirmare operum eorum iactura vetamur, versu tamen 91. sqq. quin ipsius Galli verba a propria significatione, quam in carmine habuerint, ad poetae illius vitam et exitum deflexa expresserit, nequaquam dubitare nos ad interpretationis Germanicae l. c. indicavimus. Namque Euphorionis Chalcidensis, cuius Ἄτακτα Cornelium Gallum interpretatum esse scimus (cf. L. I. c. 5. Dissertat. de Prop. amicc. et amorr. p. 5. n. 20. Serv. ad Virg. Ecl. VI, 72.), fragmentum excerptis Ptolemaei Hephaestionis ap. Phot. CXC. servatum:

Κωκυτὸς
Μοῦνος ἀφ' Ἕλικα νίψεν Ἄδωνιν —

quod solis nominibus permutatis eandem prorsus quam Propertiani versus sententiam exhibet, quam apte ad fata Galli extrema transferri potuerit, facile est ad perspiciendum.

Ab eadem indole fabularum antiquarum doctrina est repetenda, qua ut rarissime Tibullus, ita frequentissime Propertius usus est, ut fontes, unde eam hauserit, nunc non raro delitescant. Cf. El. I, 11, 11. 13, 21. II, 1, 61. 2, 7. 11. 12. 51—54. 8, 29—38. 28, 29. III, 18, 31—34. II, 28, 51. 32, 35. 34, 38. III, 1, 27. 6, 41. 7, 21. 11, 13—16. 13, 25. 15, 11—24. 18, 31. 22, 4. Quibus si nunc quidem obscurior interdum videatur, non accusabis. Nam non modo communi studiorum ratione ab aequalibus probe tenebatur, — atqui his maxime scribebat — sed re vera melior animi pars in praeteritis potius temporibus, quam in praesentibus non admodum iucundis versabatur. Praeterea illarum fabularum quotidie paene admonitus est egregiis summorum artificum operibus, pretiosissimis Graeciae spoliis, quibus tum Roma incredibilem in modum scatebat. Cf. Flor. II, 16. Strabon. VIII. c. 6. §. 23. Vitruv. V, 4. fin. Polyb. IX, 10. Plin. N. H. XXXIV, 2, 3. 7, 17. XXXV, 40, 24. XXXVI, 24, 7. Pausan. VII, 16. Liv. XXXIV, 52. XXXIX, 5. XXXV, 39. 40. Plutarch. Aem. Paull. 32. Frontin. Strat. III, 4, 15. Sallust. Cat. 11. Sueton. Caes. 47. Aug. 31. 57. Winkelm. Hist. Artt. X, 3. §. 21. XI, 1. 2.

C. O. Müller. Archaeol. I. §. 184. 185. p. 171. §. 196. p. 188. Quodsi exilis augustae illius pulchritudinis umbra, quae in nostram usque aetatem descendit, prodigium paene videatur (cf. Gerhard. Descript. Urbis Rom. T. I. lib. III, 1. p. 280. sqq.), quid miramur quod poetae nostri sensus, qualem supra descripsimus, facilis et pulchri avidus libenter ea argumenta arripuerit, quibus dum modice et cum prudentia uteretur, gratam notarum formarum memoriam consciis civibus moveret verumque carminibus decus compararet? Artificiorum enim Graecorum notitiam, iam tum Romae passim iactari coeptam (cf. Interpp. ad Cic. Epp. Famill. VII, 23. Horat. Sat. II, 3, 64. Müller. Archaeol. p. 171. 184. 4. et 6.), in Propertio maximam atque intimam fuisse certum est. Quam enim sagax eius sit et elegans in hoc genere iudicium, unus satis edocere potest locus El. III, 9, 9. sqq., ubi octo versibus totidem artificum ingenia diversa audacter hercle et docte describere conatus est. Hinc certa saepissime animo eius obversata esse signa (quae partim etiamnum extant), haud absurde colligas. Quod ut in descriptione Apollinis Palatini (II, 31.) argumentis non eget, ita nobis etiam de Io persuasum est El. II, 28, 17., ubi vid. adnotata. Elegiae autem I, 3, 1. sqq., si cum v. 8. comparaveris, pulchram statuam expressam credas, quam nunc in Museo P. C. Cleopatrae sub nomine asservatam post ingeniosam Viscontii interpretationem (M. P. Cl. T. II. tab. XLIII.) Ariadnam a Theseo desertam esse VV. DD. plurimi consentiunt. Cf. Bunsen. et Gerhard. Descript. Urb. Rom. T. II. P. II. p. 176. Incertum enim somnum produnt tum pedes transversi iniectis et paululum confusis palliis obvoluti, tum manuum altera capiti imposita, altera mentum fulciens, eadem prorsus specie, qua illic Cynthia describitur,

— *non certis nixa caput manibus.*

Porro El. IV, 6. ut vv. 31. 32. Palatinum Apollinem citharoedum significari comparatio El. II, 31. docet, ita versibus insequentibus 33—36. aut statuam Apollinis Vaticani omnium nobilissimam ipsam aut, nisi aetas addixerit, de qua etiamnum plurimos video dubitantes, exemplar eius colores quodammodo praebuisse docti antiquarii ante nos iudicaverunt. Cf. Winkelmann. Hist. Art. XI, 3, 10. E. Q. Viscontium Mus. P. Cl. T. I. t. 14. et 15. C. O. Müller. Arch. p. 465. Bunsen. et Gerhard. l. l. p. 157. n. 96. Neque igitur sollicitandus est sanus locus II, 32, 11., aut vana doctrinae iactatio in Maronis nomine exprobranda. Quin ad eandem causam refero rapti Hylae descriptionem (I, 20, 43. sqq.

et El. II, 32, 39. III, 3, 27.). Fabula vero Dircae (III, 15, 11—42.) cum a poeta ita tractetur, ut non tam narrantis partes suscepisse videatur, quam eius, qui nota scientibus repetat, nec, nisi qui certa quadam imagine edoctus orationem summa modo capita tangentem coniunxerit, satis eam possit intelligere: artis aliquod monumentum Romae tum multorum sermonibus vulgatum carminis occasionem praebuisse, neque illud fortasse aliud fuisse, quam quod ab Apollonio et Taurisco sculptum in aedibus Asinii Pollionis curiosis inspiciendum pateret (cf. Plin. N. H. XXXVI, 4, 10.), quodque fortunae lusu benigno ad nostra tempora Tauri Farnesiani nomine insigne pertinuerit, iam ad interpretationem Propertii Germanicam l. l. indicavimus. Similem rursus rationem cf. ad El. IV, 3, 21. de fabula obliqui Ocni.

Fabularum autem usus longe diversus in oratione pedestri atque in carmine. Illic enim ornatus saepe gratia adscitae inter figuras rhetoricas referuntur; hic ipsius sunt argumenti pars. Nam cum poeta non tam cogitationes, quam affectus et visiones his excitas carmine includit, historiarum veterum reviviscens memoria nequaquam segreganda est. Ac lyricus imprimis et elegiacus omnia, quae usquam quaeque unquam fuerunt, ad carminis sui concentum revocare et quasi alter Orpheus imagines rerum citharae suae modulis parentes per pulchros choros dispositas se ducem sequi atque celebrare cogit. Iam vero ut in vita lauta et culta omnibus et undique terrarum collatis bonis nescientes saepe utimur, sic poeta cultioris aetatis et disciplinae humanioris, quidquid non modo ex studiis sed ex ipso vitae usu altius in mente haeserit, carmine, hoc est, vitae imagine amplectitur, singulis primum appellationibus, ne peritis taedium moveat, res singulas tangens. Hinc Coae vestes et Orontea myrrha (I, 2, 3.) et esseda Britanna (II, 1, 76.) et Dorozantum, si usquam fuerunt, aurea ripa (IV, 5, 25.) et Orycia terebinthus et cinnamon Arabium (III, 13, 5.) ad variandos quodammodo carminum colores adhibentur. Cf. II, 16, 54. 25, 43. 29, 15. 17. I, 5, 6. II, 3, 15. 12, 10. IV, 5, 25. 6, 8. Quae tamen omnia plerumque non tam in rerum natura adesse quam menti et cogitationi poetae obversari significantur. Itaque in negativis ea potissimum enuntiatis vel conditionalibus invenies, velut cum dicit III, 5, 5. sq.:

Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur,
Nec miser aera paro clade, Corinthe, tua.

Cf. I, 8, 39. III, 2, 9. 11. II, 13, 22. vel II, 26, 23.:

Non, si Cambysae redeant et flumina Croesi —

add. II, 27, 5. 16, 17. I, 6, 4. 9, 19. Synecdochae cognatum vides genus, quod, cum praecipuum quidque ex quoque genere delibet ad praestantiam rei significandam, comparationibus imprimis aptum est. Itaque Maeotica nix cum minio Hibero ex oppositis orbis partibus ad describendam puellae faciem arcessuntur (II, 3, 11.). Hinc Apelleae tabulae (I, 2, 22.); hinc Caucaso amici viridaria comparata (I, 14, 6.) et Syrtibus mulierum inconstantia (II, 9, 33.); hinc Pactoli liquores et Rubri maris gemmae amorum gaudiis superatae dicuntur (I, 4, 12.). Quare cave, ne II, 13, 1. propter Achaemenias sagittas Ituram expellas. — Nec vero illa exempla tam doctum poetam testantur, quam Romae et in mediis Urbis lautitiis undique confluentibus educatum. Unde recte quis eius Musam urbanam rusticae (modo recte intelligas) Tibulli opposuerit. Quamquam ad usum et eventum non ita diversa ab eo genere ipsa fabularum doctrina, hoc fortasse solo discrimine, ut quanto maiores omnes res vetustas fingat, tanto plus auctoritatis rei cum antiquis historiis comparatae accedere videatur. Quod ipse Propertius (III, 1, 23.) significat. Quo enim magis vel doloris gravitas vel amoris insania declarari possit, quam si cum inferorum suppliciis componatur (ut II, 17, 7. II, 20, 29.)? quis equus magis bellicosus inveniatur, quam Castoris (II, 7, 16.), quae lyra dulcior, quam aut Orphea (I, 3, 42.) aut Aonia (I, 2, 28.) aut Aganippea (II, 3, 20.)? Hinc divitiae Alcinoi (I, 14, 25.), Cytaines carmina (I, 1, 24.), gramina Circes (II, 1, 53.) et Perimedis (I, 4, 8.), hinc Chironis et Machaonis remedia (II, 1, 60.). Nam Herculei labores (II, 23, 7.) et Penelopae fides (III, 13, 25.) iam vulgi sermonibus trita. Cf. I, 4, 5. sqq. 13, 29. 20, 6. II, 24, 25. 33. 25, 10. sqq. 26, 33. 37. 22, 19. 1, 37. 3, 29. 13, 5. Neque igitur ostentationi tribuas, quod ubi generatim de heroico carmine dicendum esset, certa quaedam et nobilia eius generis argumenta recensuerit: Titanas, Thebas, Pergama El. II, 1, 13. cf. II, 34, 33. sqq. III, 9, 39. sqq. Verum haec semina dispersa, quae intra singulorum nominum appellationes subsistunt, initia tantum sunt uberioris illius usus, cum poeta non modo auctoritatem rei comparatione augere vult, sed certos etiam status et conditiones simili causa ex antiquitate petita ita illustrat, ut priscae historiae non nesciis magis perspicua rei quodammodo imago proponatur. Sed hic quoque rerum capita sola ponit, in quibus veluti cardo similitudinis versatur, ut in Cynthia dormiente (I, 3. init.); raro contra ut in Achille (II, 8, 29.).

Nec facile, ut hoc ipso loco fit, uno exemplo perfungitur, sed, quae est eius doctrinae ubertas, similia frequentat, nec tamen plus terna vel quaterna. Cf. I, 3, 1—6. I, 13, 21. sqq. II, 2, 6. sqq. 3, 17. sqq. 14, 1—10. 20, 1—8. 26, 5. sqq. III, 14, 13. sqq. IV, 6, 33. sqq. Huc etiam pertinent, quamvis verae sint historiae, non fabulae II, 6, 1. sqq.

Cognata ratio, ubi docere alios se velle exemplis ex antiquitate petitis poeta prae se fert, ut II, 3, 51. 6, 15. sqq. 8, 21. 13, 46. 15, 11—16. 21, 11. sqq. 22, 25. 24, 43. 26, 45. 28, 17. sqq. 30, 29. sqq. 34, 7. sqq. III, 2. init. III, 17, 13. 21. sqq. 7, 39. 2, 17. sqq. 11, 9., cuius elegiae omne fere argumentum in fabulis et historiis versatur, itemque III, 19, 11—28. Itaque revocare studet peccantes poenarum admonens, quae similia crimina semper mansissent, ut II, 16, 29. sqq. 18, 7. sqq. 34, 29. sqq. III, 8, 29. 31, 51. sqq. 19. init., aut mores castigat et pudorem movet antiquae simplicitatis et frugalitatis memoria, cf. I, 2, 15. sqq. 15, 9. sqq. II, 9, 5. sqq. 13, 53. III, 13, 23. Rursus ad se ipsum conversus fatorum duritiem melioris aetatis memor conqueritur (El. I, 1, 9. sqq. II, 1, 57. 6, 23. IV, 3, 43.), aut contra solatia inde quaerit, quod, ex quo homines fuissent, vita malis non caruerit, ut II, 32, 32. 53. Atque in hoc genere idem qui supra usus. Aut enim praecipua leviter percurrens exemplorum seriem nectit, quod frequentissimum est, aut — idque rarius — in uno persequendo diutius commoratur, ut in Milanionis laboribus (I, 1, 9.) et Ulixis fatis (III, 12, 23.). Utraque ratio coniungitur III, 19. Sed bis tantum ita fabulam enarrat, ut in hac potius, quam in eo, quod carminis consilium videtur, argumenti summa versetur, sicut in Hyla I, 20. et in Dirce III, 15, 11. sqq.

Prorsus autem diversum tertium genus est, cum in locorum descriptionibus poetam velut necopinantem historiarum antiquarum memoria subit. Hoc cum praeteritae aetatis admonitione elegis accommodatissimum est, tum auctoritatem verbis addit et argumento vitam ut ita dicam novam et augustam. Nam simulacra heroum veterum carmine quodammodo ab inferis excita terram desertam revisere et figuris supra humanum modum pulchris frequentare credas. Itaque Baiae Herculis operum admonent et Thesproti coloni (I, 11, 3. add. III, 18. init.) et Misenum fatorum Aeneae (ibid.), et Tibur Herculeo munere nobile celebratur (IV, 7, 8.), et patriorum montium antra Musarum praesentia commendantur II, 30, 25. Hinc epitheta illa ornantia: Herculeum Tibur et moenia Aeaei Telegoni II, 32, 3. sqq. Add.

III, 13, 7. 16, 33. 22, 15. IV, 5, 23. Imprimis tamen talium memoriarum plena est El. III, 22., qua Latinae terrae miracula omnibus totius orbis bonis praeferenda esse demonstrat. Itaque Actiacae quoque pugnae descriptio augustior, quod dii P. R. et Caesaris Augusti tutelares ipsi proelio, ut heroum temporibus, interesse finguntur IV, 6, 21. sqq. Eodem aliquatenus pertinet tibia contra Palladem defensa (II, 30, 17. sqq.), et quod in arborum nominibus amorum fabulosorum recordatur I, 18, 19. sqq. At ne ἀντωνομασίαν quidem, gratam Propertii figuram, ab hoc studio alienam esse patet, de qua in elocutione dicemus.

Nec tamen haec omnia semper aut ubique. Nam levioribus argumentis, quibus omne decus pura evidentia constat quaeque horae momento nata non intimum pectus sollicitant, sed animum mitioribus affectibus leviter tangunt, his vero argumentis reconditam doctrinam intrudere putidum esset et molestum. Qui lusus cum in Propertio pro eius ingenii natura utique sint rariores, tamen et in mellito illo carmine, quo amicae natalem celebrat (III, 10.), et in iocosis querimoniis, quibus tabulas deperditas dolet (III, 23.), fabularum usu penitus abstinet. Quod vero El. II, 22, 25. sqq. iocoso argumento falso mixtas eas esse quis opinetur: cavendum est, ne urbana erroris fictio, qua ludentes poetae res frivolas tamquam gravissimas edere solent, cum seriis affectibus confundantur. Ceterum rariores in libro primo historias inveniri, quam in iis, quos aetate et studiis provectus scripserit, consentaneum est.

Fabularum usui propinqua nec raro illis pertexta allegoriae ratio est, cuius genus duplex, origine quidem et virtute diversum, cum id commune habeat, ut utroque poeta aliud dicere, aliud intelligere videatur, a criticis recentioribus iniuria confusum perversis de toto hoc loco iudiciis occasionem fecit. Nam alterum, quam continuatam translationem esse iam veteres viderunt, qui ubicunque allegoriam commemorant hoc genus significare solent, probum est et orationi poeticae maxime accommodatum. Qua cum ne quotidianus quidem sermo prorsus carere possit, lyrico ea poetae prae ceteris necessaria est. Quomodo enim ille certamina animi per varias rerum imagines percurrentis non modo menti et rationi legentium, sed oculis quodammodo proponeret, nisi similitudinibus uteretur? quas poeta sensu suo ita penetrat, ut in unum idque vivum corpus coalescere videantur. Nulla autem comparandi ratio translatione efficacior. Haec enim est comparatarum rerum duarum artissima complexio. Sed de metaphora ipsa, quamvis non exiguam ab

inventione laudem mereatur, tamen quoniam provehendo potius carminis progressui comparata, quam argumenti pars est, in elocutione commodius dicemus. Hic eatenus solum illustranda est, quatenus totum carmen ita occupat, ut vera allegoria appareat. Quo in genere duas res poetae sedulo cavendas Propertius feliciter evitavit, primum ne descriptione rei in comparationem adhibitae abreptus sui ipsius ita oblivisceretur, ut aliena aptis miscens similitudinem ex parte tolleret, deinde ne nova inventione veras res ita occuleret, ut velo nunquam retecto oratio aenigmati similis fieret. Sic enim plane contrarium eius, quod velit, poeta efficiat, neque addat lumen sententiis, sed demat, quod et Horatio et Virgilio in bucolicis non semel evenisse constat. Aliter in nostro, cuius El. IV, 6. tota ad hunc locum pertinet. In hac enim aperta simulatis ita temperata esse ad interpret. Prop. Germanicam docuimus, ut species ex arcessitis, intellectus ex propriis veniat. Eodem in genere El. III, 1. paene tota est. Nec tamen Propertius aut hic aut alibi in eadem translatione ad finem usque haeret, sed, quod est vivum eius et mobile ingenium, ab alio simili ad aliud transcurrit. Itaque (vv. 1—4.) sacerdotem se fingit rem divinam facientem, deinde (vv. 5. 6.) sacro fonte bibentem; iam vero (v. 8.) artifex toreuticam exercet; hinc triumphanti similis (vv. 11—14.); mox mutata imagine victor curulis certaminis. Quae omnia cum in carminum suorum honorem excogitaverit, haec ipsa nova translatione (v. 19.) cum sertis mollibus comparat. Meras igitur vides metaphoras, quibus elegantissimis Propertium uti exempla infra allata magis etiam declarabunt.

Ab hac ratione longe diversa altera est, quam nostri potissimum allegoriam intelligunt, veteres προσωποποιΐας speciem esse voluerunt, cum generalis quaedam notio, quae a sensuum iudicio remota sola cogitatione comprehendi potest, figuram, vitam, intellectum atque adeo humanam personam induere cogitur. Hoc igitur ingeniorum senilium, vel quorum vena felicior cessaverit, inventum ut sagaces pulchri aestimatores ceteris artibus merito expulerunt, ita ne in poesi quidem aeque ferri fatendum est. Quis enim, cum Nasonis Invidiam, fatale monstrum, vel Virgilii Famam, quamvis centum oribus loquentem et pulcherrimarum appellationum turba stipatam audit, aliud quam frigidam solertiam admiretur, aut ab Hercule Prodicio severo puerorum terriculamento risum contineat? Nam comicorum et Demi Aristophanei ratio admodum diversa est. Neque igitur in Propertio nisi pauca eius usus semina invenies, quae inter

figuras recensebimus. Nam ne quis hic Cupidinis imaginem obiiciat, cuius omnem descriptionem accuratam et tabulae quodammodo interpretationem El. II, 12. continet: aliud est, generalem quandam notionem in imaginem ad id ipsum inventam compingere, cuius sententiam nisi titulo subscripto vix coniectura assequaris, aliud dei personam, quae vitam suam habet et historiam, cuiusque imago in omnium mentibus haereat, ita describere, ut tui ipsius quodammodo animi naturam in illius cultu et habitu externo repetitam invenire tibi videaris. Nec dissimile idyllium illud, quo poeta a Cupidinibus vinctum ad dominam deductum se fingit (II, 29.), aut somnium (II, 26.), quo Cynthiam naufragio proximam a delphino Musarum amico servatam, ut omen fidelis erga poetam amoris accipit; aut illud (III, 3.), ubi poesis elegiacae sacris ab ipsa Calliopa initiatur. Primum enim non a certis causis et personis remotae et quodammodo abstractae notiones edocendi gratia componuntur, sed ipsius poetae persona non dissimulata ubique adest et conspicitur et vitam rebus arcessitis tribuit. Deinde, quamvis iis, quae verbis significantur, alia etiam subest sententia, tamen illae imagunculae non vanae sunt et exsangues figurae, sed quae sanctorum somniorum et deorum immortalium fide satis roboris atque nervorum accipiant. Id quod magis etiam de inferis valet, apud quos tota agitur El. IV, 11.; cf. II, 28, 25. sqq. 37. sqq. III, 5, 15. sqq. IV, 7., imprimis vv. 55—70., in quibus allegoriae ne vestigium quidem. Nam has res omnes, quamvis dubias, tamen non certas nugas sibi videri El. III, 5, 39. sqq. docet. Itaque falso allegoriam credas El. III, 17. dithyrambo similem. Quamquam non diffitendum est, quo magis antiqua religionum fides evanuerit, eo haec longius a veritate recedere sensimque in vana nomina et doctrinae ostentationem abire. Profecto enim alia vi Homerus Musam invocat, alia Propertius. Sed excusationem vel hi recentiores et fortasse laudem inde habent, quod veterum in lectione assidue versati ea, quae turba profana iam ut fabulas spernere solebat, pristina pietate colere visi sunt. Ceterum allegoriae genus istud deterius in poesi aequius quam in aliorum artificum operibus tolerari, non ita remotis causis perspicitur. Tum autem maxime excusabimus, cum notio ea, cui vita et persona tribuitur, non sola et nuda est qualitas rei, sed generis modo communionem vel adeo unam rem, complures tamen partes complexam, pertinet. Levius igitur in collectivo, quod dicunt, nomine damnum, et cum Libertatem concionantem non feras, Patriam tecum agentem audire sustinebis. Hinc autem transitus paratur ad aliud

genus allegoriae maxime alienum et paene contrarium, quod cum a veteribus communi προσωποποιΐας denominatione comprehendatur, ne cum altero confundas, sedulo cavendum est. Ita enim fit, si non notioni rerum, sed rebus ipsis, anima aut certe intellectu carentibus, vel naturae elementis vita et intelligentia tribuitur. Quod genus ut recentiorum temporum poetae variis modis excultum egregium et singulare effecerunt carminum suorum condimentum, ita veteres pauca eius praebent et tam dispersa vestigia, ut haec quoque inter figuras potius dicendi, quam inter ipsa carminum argumenta referas. Ita apud eos blandae illae imagines deorum fide et fabularum religionibus occupatae et pressae sunt. Nam sive fluctus marini, naufragum ut misericordes iuvent, implorantur, Nereides emergunt (III, 7, 67. coll. I, 17, 25.); sive mare secundum Augusti navibus allabitur, non mare illud est, sed Nereus (IV, 6, 25.). Tonatne? Iuppiter minatur (II, 16, 52.). Hic coeli faciem temperat (cf. ad III, 3, 48.), Neptunus undas (II, 26, 42—45.). Utriusque autem regni Venti participes (III, 7, 57. 13, 71. II, 26, 51. I, 18, 2. III, 5, 30.). Sol vero, qui omnia perlustrat et videt, Phoebus est (II, 32, 28. I, 15, 37.), Luna non ipsa fax nocturna, sed dea, quae equis suis lumen ministrat (III, 16, 15.). Ergo ne vinum quidem e poculis fulget, sed ipse Iacchus (II, 3, 17.), et luscinia non frustra querula Ityn filium miseratur (III, 10, 10.). Ubi vero Nilum cum Tiberi dissidere vides (II, 33, 20. III, 11, 42.), ibi ne undas sensu praeditas poetica licentia existimes, fluviorum deorum admoneris ex aqua caput caerulum extollentium (II, 1, 31. III, 3, 45.). Neque igitur fontium deas Nymphas expellere iuvat III, 16, 4., ubi vid. adnotata, coll. I, 18, 27., quae ita sunt cum donis suis eaedem factae, ut lymphae et Nymphae nomine, eadem origine, nisi sero in diversas significationes non abierint. Quid multa? in illa fabularum frequentia poetis antiquis nova inveniendi facultate prorsus paene interclusis vix quidquam eius generis supererat nisi res arte factae. Quamquam quoniam fides abest, aptissimi quidem lusus illi Ovidii levitati, ex cuius carminibus totus huc pertinet liber ille (Trist. III. El. 1.) in speciem amici lugentis facete satis et scite exornatus: in Propertio vero nihil tale inveneris, nisi ex El. III, 23., quam de tabulis perditis scripsit, versum 9. et 10. eo velis referre. Sed ad Ovidii expositionem profusam et argutam tenuia tantum et statim relicta initia haec esse fatearis necesse est.

Caput V.

De dispositione carminum Propertianorum.

Post inventionem proxima laus est dispositionis, quam aliter a poeta, aliter ab oratore institui certum est. Hic enim cum propositum habeat, ut edoceat et persuadeat, praeparatas prooemio audientium animos media oratione, conferto argumentorum quodammodo agmine, aggreditur, ut iam cedentes et quasi fuga labentes, peroratione victos triumphans abripiat. Hinc si notum illud Platonis simile, qui omnem orationem animali comparat, caput et corpus et pedes habenti, ad externam quidem speciem in orationem forensem non minus quam in poema cadere videatur, multo tamen aptius in hoc quam in illud dici existimamus. Nam orator, quae in natura rerum coniuncta et indiscreta invenit, mentis acie penetrare et seiungere et quo rectius audientes quid verum sit diiudicent, eas notiones, in quibus status causae versatur, definire partibusque singulis ad suum cuique locum communem relatis rationes colligere debet. Itaque similior est ei, qui animal necatum dissecat et partes singulas atque recessus curiosis introspicienda proponit, quam artifici vivum corpus effingenti. Poeta contra, ne de scenico et epico dicam, sed ne lyricus quidem aut elegiacus id agit, ut doceat et demonstret, sed carmen quasi fetum procreare studet. Huic non extra carmen positum consilium, sed carmen ipsum consilium est. Hac re autem a ceteris, qui vere dicuntur, artificibus differt, quod non unum vitae momentum arripit et quodammodo vinctum proponit, sed, quae se excipiunt temporis serie, deinceps enarrat. Iam vero nullam vitam sine certamine esse constat. Certamina ergo cum veris carminibus omnibus includantur, lyricus rursus et elegiacus poeta eo reliquis distat, quod non vitam modo extra se positam deducit, sed sui ipsius, ut ita dicam, animi vitam. Itaque certamen non inter homines est, sed cum inter animum et res oppositas, quibuscum luctatur, tum vero maxime inter affectus ipsos secum dissidentes, quorum aut alterutrum superare aut utrumque pace componi necesse est. Hinc tripartitae quidem formae speciem poema cum oratione communem habere, consequens est. Nam causa, qua animus primum movetur, adeoque prima animi commoti affectio exordium efficiet. Hinc, alio affectu opposito priori, divisus animus, qui ab utraque parte hostiles acies quasi instruit, carmen medium obtinebit. Certaminis denique finis, cum aut altero superante alter perit, aut ambo inter se placide conveniunt, sponte in exitum cedit. Atque hactenus

quidem omnia plana videntur et facilia. Sed maxima disquisitionis difficultas hinc nascitur, quod remissior interdum animus nescio quam sobriae litis potius et sermonis speciem huic carminum generi videtur praebere. Nam cum vix orti necdum adulti affectus primum moventur, tum ipsa domina mentis ratio ab utraque parte auxilio vocari et argumenta, quae alterutri faveant, hinc et illinc ponderari et expendi solent. Quod genus — deliberativum rectè dicas — quamvis apud nostrum initio El. II, 18. et III, 16. invenire tibi videaris, tamen quoniam et sermo mortalibus in mutuum commercium est concessus, et plurima atque gravissima certamina homini ex hominibus oriuntur, nec ingenui viri animus rebus adversis vel secundis tantum movetur et percutitur, quantum aliorum hominum studiis et iris et odiis et amoribus: ut cum his potius, quam cum rerum natura poeta luctetur utque cum aliis saepius, quam ipse secum tacitus in carminibus agat, necessario sequitur. Hinc praeter ea carmina, quae in epicis argumentis versantur, paene omnia epistolae formam induerunt, ac ne tum quidem, cum solus lamentari se fingit, abstinet, quin aut Cynthiam tamquam praesentem sibi obversari (El. I, 17. 18.), seque illam alloqui (17, 2—12. 18, 4—24. 31. 32.) simulet, aut in naufragio cum diis marinis (17, 25. ad fin.), in silvarum solitudine cum Hamadryadibus et Oreadibus (18, 2. 20. 27.) sermocinetur. Sed ut eo revertar: controversiae quasi cuiusdam et paene iudicialis causae speciem trahere poema videtur, si is, cui epistolae instar inscriptum est, pugnantium affectuum alterutri quasi patronum et advocatum se iactat, ut cum El. I, 6. amicitiae officia cum amore Cynthiae certantia Propertius facit, apud Tullum se excusare aliusque vituperia blanda gaudiorum suorum et dolorum descriptione avertere studet. Cui argumento non dissimilis ratio est El. III, 9. et II, 1., ubi tenuem suam Musam a contemptu vindicans Maecenatis iussa humaniter deprecatur. His adde El. II, 22. 23. 24, 1—16. III, 11., quibus omnibus suae causae defensorem agere eum dixeris. Neque ita diversa El. II, 20., quamvis, quoniam non de iure sed de re quaeritur, status causae alius est. Idem genus extat El. II, 21. sed cum accusatione mixtum; meram autem accusationem habemus I, 15. II, 34. init.

Huic rationi quamvis specie valde similis, natura tamen diversa altera est, cum poeta, quae sibi in alia persona displiceant, vel incommodent, vel pericula atque adeo perniciem minitentur, persuadendi artificiis avertere et vincere studet. Forma enim, ut in superiore, oratoria est eaque

suasoriis similis. Nam cum in animo eius, quocum litigat, pravos affectus non adeo superiores esse confidat, ut voluntas rationi prorsus sit rebellis, hanc ipsam si alio quo vertere sibique inclinare vult, rationibus et argumentis eam aggrediatur oportet. Eo tamen a priore genere differt, quod non utriusque partis audienda sunt et expendenda argumenta, sed, quoniam cum obnitenti alterius voluntate certamen est subeundum, inter spes et timores fluctuans carmen, rationum serie modo promissis, modo minis, modo iussis, modo precibus pertexta, variis elegiae modis facillime accommodatur. Huc autem pertinent Ell. I, 2. 4. 5. 7. 8, 1—26. 11. II, 6. 16. III, 15. 20. 22. Quarum si El. III, 20. fortasse etiam III, 15. inter prima amoris tempora censeri reputaveris (cf. Lib. III. cap. 3.), hac etiam re diversa carminum Propertii iuvenili et adulta iam aetate scriptorum indoles apparebit. Quamvis enim tersa sint et limata, haec tamen, quam significamus, forma suasoriis similis rhetorum scholas etiamtum redolet. Ne enim credas, quod et alii et in Tibullo Dissenius videntur opinari, carmina elegiaca eo magis probari, quo propius actiones forenses attingant, quoque accuratius argumenta in singulas partes persequi possis: nos ea quae modo illustravimus genera ne poetica quidem esse concederemus, nisi poetam, contra quam ipse voluisse videretur, non tam rationibus callide subductis demonstrasse aliquid, quam ea argumentatione dispersa suae ipsius vitae, ut ita dicam, elementa nescium paene collegisse appareret, ut ipsum veluti vivum verumque habere et oculis aspicere liceret. Itaque, quae in oratoris dispositione summa laus est, hoc in carmine nisi vitium, accessorium certe est, atque in eo solum utriusque artis fines congruunt, quod tam carmen quam oratio exordium et medium aliquid et exitum habere debet. Reliqua, quae pro argumenti varietate iam in orationibus numero sunt infinita, in carminibus ita differunt, ut non modo pro re nata, sed pro ingenii indole poetae aliter atque aliter materia sit adornanda.

Itaque in eo genere, quod epico proximum est, historiae vel fabulae ipsae sibi dispositionem efficiunt. Quamquam *αἴτια* Propertii ab epica poesi, quae proprie dicitur, ita differunt, ut cum illius res gestae non circuitu quasi quodam certo claudantur, sed aliis ex aliis semper ortis certaminibus tum opus in infinitum crescere, tum in *ῥαψῳδίας* partes singulas facile dilabi patiantur: nostro, qui unoquoque eorum carminum originem aliquam vel nomen illustrare sibi proposuerit, certiores fines sint constituti. Nam et prooemium habebit, quo quid explicaturus sit promittat, et per-

orationem, qua solutum illud veluti aenigma pronuntiet. Medium autem carmen narrationem ipsam continebit. Sic El. IV, 4, 1. 2. prooem., v. 92. 93. exitum brevissime efficiunt; El. 10, v. 1—4. exord. v. 45—48. exitum. Sed simile prooemium ne semper necessarium credas, El. 9. in medias res lectorem inducit, exitum tamen, quo hoc genus carere omnino non potest, vv. 73. 74. habet. Neque vero in his variare formam nescit. Nam El. IV, 2. ipsum Vertumnum fingit de se dicentem, atque ita quidem, ut primum exord. v. 1. 2. contineri videatur, exitus 9. 10. Sed quoniam complures de nominis origine ferebantur opiniones, poeta, ne ullam omitteret, denuo exorsus est v. 11., donec v. 19. ceteris reiectis, quam ipse veram existimet, deum facit prodocentem. Quo fit ut omnis prior pars carminis v. 1—18. prooemii loco haberi possit, pro exitu autem sint v. 47. 48. Iam vero, cum non modo de nomine dei sed etiam de vici Tusci origine dicendum esset, additis in hunc v. 50—56. tandem Mamurii laude, qui signum aeneum caelavit, totum carmen facete clauditur. Eleg. vero IV, 1, 1—70. ipsa prooemium destinata erat futuro illi Originum libro (cf. Lib. III. cap. 2.); ut nunc legitur, lyricum per se ipsa carmen spiritus plenum, versibus 71—150. ita praemissa est, ut his irrisionis materiam praebeat. Quae tanto erit efficacior, quanto magis serio aetate praeterita gravia illa argumenta poetam molitum esse apparet. Quamquam risus ille Sardonius, quo astrologi sub persona studia tanto amore fota tantisque speciminibus ornata ipse mordax ludificatur, nescio quam misericordiam lectori movet elegis perquam utilem. Porro victoriae Actiacae descriptio El. IV, 6., cuius argumentum, si ullum, est epicum, eo elegis accommodatur, quod ipse poeta non modo statim ab initio se tamquam sacerdotem puro carminis fonte diis immolare velle fingit (1—10.), sed etiam absoluto illo quasi panegyrico sui non oblitus pacis bonis ea victoria partis iucundus conviva fruitur. Qui exitus eo fit elegantior, quod laudes Augusti futurarumque victoriarum vaticinia commode habet intexta v. 69—86. Neque vero hic non commemoranda El. II, 31., breve carmen et totum paene demonstrativum, nisi quod unius ac ne integri quidem versus exordio, quo amicae tardiorem se venisse poeta excusat, elegiacam dispositionem arguit. Cuius tamen summa cum in descriptione templi Palatini versetur, similem exordio conclusionem non desideres. Dispositio autem quoniam rem ipsam sequatur oportet, versus 5—10. ex ea, quam vulgo obtinet, sede remotos in fine carminis collocare non dubitavimus. Qua de re cf. comm. ad e. l.

Vides igitur, ut epici et elegiaci argumenti differentia ipsa dispositione appareat. Quod clarius etiam perspicitur iis idylliis, quibus poetam ipsum aut ab initio aut in fine certe interesse videmus, ut El. I, 3. II, 29. IV, 5. 6. 7. 8. In his enim carmen omne tamquam ad suum exitum eo recurrit, ut ille, quomodo res gestae se affecerint, aut tacite significet, aut aperte proloquatur, ut El. II, 29, 41. sq.:

Sic ego tam sancti custos excludor amoris.
Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

Sic El. IV, 8, 63—88. victoria Cynthiae et servitium poetae gravius renovatum carmen claudunt. Elegia autem IV, 5. duplicem habet clausulam, primum vv. 61. 62., quibus puella lenae artibus corrupta poeta desperare videtur: deinde vv. 63—76., quibus morte aniculae dolosae exultat; quod ipsum, nisi in hac oppositione totius elegiae vis posita esset, integrum esse posset carmen, cuius exord. vv. 63. 64., exitus vv. 73—70. Elegia porro I, 3., cuius clausulam legitimam fortasse desideres, hic est processus, ut suavi Cynthiae quiete dormientis imagini (1—6.) amator ebrius irrumpens (7—16.) opponatur. Cuius cum libidines iam exardescentes et dulci aspectu et priorum poenarum memoria vicisset, lusui innocenti et tenerrimis amoris gaudiis se permittit vv. 17—30. Haec igitur si experrectae puellae amplexibus poeta cumulari voluisset, iucunda voluptatum enarratione bene clausum poema haberemus. At ille multo, si quid video, et rectius et elegantius praeter expectationem obiurgantem facit et iniurias exprobrantem dominam. In has autem querelas desinens carmen si cui eo fine carere videatur, quo res discordes ad concentum quodammodo revocantur: nos eo ipso, quod subito conticet, optime claudi illud censemus. Nam obstupefactum se et pudore confusum et nescium, quid iure querenti respondeat, qua re efficacius significet, quam si omnino nihil respondeat?

Magis etiam perspicua somniorum ratio fictorumque aperte argumentorum. Nam El. III, 3. quis non sentiat poetam severiori antea poesis generi deditum (vv. 1—12.), postquam impares operi vires suas intellexerit (13—24.) solam carminis amatorii laudem quaerere se significare (25—52.) Specie igitur potius quam re vera epicum est argumentum. Neque aliter res se habet El. II, 26, 1—20., quod qui a reliqua elegiae parte seiunctum integrum carmen esse voluerunt, poetae voluntatem plane praetervidisse nobis videntur. Nam somnium illud, quod, si nulli consilio destinatum in otiosum ingenii lusum enarratum esset, levissimum foret

per se ac ne inventione quidem dignum, non modo tam splendidis elocutionis ampullis, eo demum laudem habet et honorem, quod a poeta docto et religioso somniorum interprete tamquam laetum omen in amoris sui eventum accipitur et explicatur (cf. caput de inventione). Exordium igitur potius est carminis quam carmen ipsum, quod, cum totum sit elegiacum, infra rectius tractabitur. Tertia denique eiusdem generis El. IV, 7., qua Cynthiae imaginem secundum quietem sibi apparuisse narrat, puellae diu et unice amatae laudem celebrare, acceptas olim iniurias bonorum memoria oblitterare, sua peccata cum poenitentia confiteri, se etiam mortuae benevolum testificari voluisse Propertium patet. Quod cum plurimis modis posset, ita effecit, ut accusantem primum se Cynthiam (7—48.), deinde ignoscentem et se ipsam criminibus purgantem (49—70.), denique, quae post mortem sibi futura vellet, mandantem (71—94.) faceret. Itaque introitus ille carminis (vv. 1—6.) et exitus (95. 96.), quibus et apparet umbra et rursus evanescit, ad id solum comparati esse videntur, ut quis dicat, ubique, lector edoceatur; verum carmen, quod intra vv. 7—94. absolvitur, cum forma et dispositione totum sit elegiacum, tamen eatenus ad epica argumenta pertinet, quod non ipsius poetae sunt verba, sed eius, quae loquens inducitur, mores et ingenium oratione ea ad veritatem expressa exhibentur. Dispositione vero, ut diximus, cum iis carminibus convenit, quibus ipsum se loqui poeta non dissimulat. Eiusdem generis sunt verba ianuae querentis I, 16., quibus rursus infelicis amatoris *παρακλαυσίθυρον* continetur, et epistola Arethusae ad Lycotam missa (IV, 3.) et oratio Corneliae apud inferos habita IV, 11. Quae si multo etiam magis, quam quae supra exposuimus carmina, ad actionis forensis naturam accedere videatur, non idcirco carmen ipsum oratio est; sed **oratio** carminis **argumentum** — vel potius **mores** Corneliae, qui oratione illa quales fuerint apparent, ut si quis templum pictura expresserit, nec tabula templum erit, nec qui pinxit, architectus. Itaque poeta hic quoque in imagine verae actionis multa aliter disponet atque orator. Atque erit haec eadem ratio, quam supra in iis carminibus attigimus, quae, quamvis probare aliquid velle iis poeta videatur, tamen et vera poemata sunt et elegiae.

Itaque quoniam transitu fallente iam ad id genus delapsi sumus, quod ab epicis rationibus magis remotum proprie et vere elegiacum dicatur: in his quoque, ut in orationibus a calce quodammodo ad carceres interdum rediri et propositionem aliquam variis argumentis illustratam in fine

fortius repeti animadvertimus. Quod Propertius ipse significat (III, 1. fin.), cum in carminis sui orbem redire se velle dicit, male et paene ridicule ab interpretibus acceptus. Ita autem illo loco redit, ut cum ab initio puellis amantibus potius placere, quam magna heroum facta celebrando famam quaerere se professus esset, postquam inde a versu 21. alio digressa est oratio, puellam suam sono solito delectaturum se promittat. Quocirca maxime errasse mihi videntur ii, qui non intellecta novissimi distichi voluntate cum hoc carmine proximum conglutinarent. Nam ne id quidem, quod ipsi volunt, efficiunt, ut poeta, quod supra reliquerit argumentum, iam continuet. Non enim carminum amatoriorum honorem, quod prima elegia instituerat, prae reliquis poematis altera quoque praedicat, sed omnium pariter poetarum immortalitatem canit. Sed, ne saepius moneamus, alia poetae, alia oratoris argumentandi est vis. In illo enim, cum non res, quae aut probantur aut refutantur, summam carminis efficiant, sed sensus et affectus, qui res illas vel comitantur vel sequuntur, similia et exempla nudis argumentis fortiora erunt: fortissima autem commoti animi experimenta, ut, quod initio posuit, negando irritum faciat. Quae experimenta si frustra fuerint, vera ut sint, quae propositione contineantur, utique sequitur. Itaque gaudentem quoque se interpellat, quo fortius gaudere possit; dolentem contra et tantum non desperantem consolari et a proposito abducere studet, et sic in reliquis. Sed prorsus eodem, unde initio exierit, orationem redire, nec quidquam novi carmine toto effici raro nec praeter El. I, 20. III, 17. IV, 5. unquam invenies. Nam ne illae quidem elegiae, quae totae sunt defensoriae (II, 21. 22. 23.), sententiam principio positam sine mutatione ad finem reiiciunt. Quare satis mirari non possumus Dissenium, qui (praef. Tibull. p. LXXI.) cum mutari a Propertio sententiam neque in exitu neque aliis locis meminisse se affirmet, si eandem atque nos sententiae commutationem intellexerit, profecto non egeat refutatione. Nam ipsis his diversorum affectuum certaminibus omnem elegiarum naturam contineri supra vidimus. Quinimmo, cum inde elegiae forma nascatur systematis melicis non dissimilis, quorum στροφῇ exordium, ἀντιστρόφῳ medium carmen, ἐπῳδῷ denique exitum recte comparaveris, Dissenium coram veris poesis iudicibus non levius quam supra crimen Propertio ingessisse apparet, quod apud hunc affectus dissonantes in exitu non solverentur. Quamvis enim non semper, ut apud Tibullum, in sedatam quietem transeant, tamen haud indecentius reluctantes antea motus ad finem perducantur,

cum aut voluptas victrix triumphat, aut doloris vehementia animus abreptus videtur desperare. Indolis ea est differentia, non artis culpa. Ad hanc enim, utrum oratio placide in fine sedeat, an cum impetu excurrat, modo argumento sit accommodata, perinde est. Impetum autem illum et vehementiam et cupidinum ardorem, quae in inventione propria Propertii vidimus, in exitu carminum maxime apparere consentaneum. Nec tamen quisquam in eum ambitum circumflecti, ut praeterea additum unum saltem versum ne tolerent quidem, talia carmina neget, quale est I, 14., ubi deliciosae amici rusticationi (1—6.) gaudia ex suo amore concepta opponit (7—21.), quae adeo omnibus vitae bonis superiora esse ait, ut prae illis Alcinoi regna sibi sordeant (22. 23.). Similem plane exitum habet El. II, 2., ubi continentia poetae (1. 2.), amicae pulchritudine (3—14.) victa, puellae aeternam famam, sibi (quod intelligitur) aeterna gaudia in exitu precatur (15. 16.). Huic par argumentum El. II, 3. ab haesitante animo exorsum (1—8.) et per laudes Cynthiae in summam eius formae admirationem ductum (43. 44.). Cui quod in fine decem versiculi adnexi sunt, quorum aliquanto diversus est spiritus, non illud impedit quin integrum habeamus et absolutum carmen. Nam ut iam hoc loco de ratione illa Propertii propria dicamus, quam non semel interpretibus dilacerandi carmina causam fecisse ad interpretationem poetae Germanicam I, 8. init. indicavimus: non raro poematia diversi illa quidem argumenti, sed quae una eademque occasione nata exiguo temporis spatio interiecto scripta aut essent aut fingerentur, ab ipso poeta ita sunt coniuncta, ut, quomodo ab artificibus plures saepe statuas in unum argumentum compositas esse videmus, sic in unius quodammodo corporis membra coirent. Maiore ea, ut fortasse iam ab ipso factum, distinctionis signo discrevimus El. I, 8. II, 3., post v. 43. II, 26, 20. II, 28, 34. rursusque 46. II, 33, 22. Hoc enim extremum carmen, in quo criticorum admiramur continentiam, sic demum intelligetur, si poetam ex puella, Isidis religione per decem dies amplexus suos fugiente, ut iam nimis diu operata noctem proximam sibi concederet, quaesiisse finxerimus (1—20.); iam vero, cum nox adesset, puellam, quae coena potiori retineretur, moram impatienti poetae vix tolerandam fecisse, ut cum ne iterum quidem iterumque rogata venire velle videretur, innocentia pocula frustra culparet. Sed de reliquis mox. Vincentem vero in fine eum affectum, qui secundo loco positus erat, etiam El. II, 7. exhibet. Nam cum hic timor legis et principis cum amoris constantia certet, hanc superantem et in fidei testationem exeuntem

elegiam videmus. Eodem modo El. III, 6. initium suspicio (1—18.), exitum (35—42.) laetitia obtinet. Similis ratio II, 21. 26. 30. III, 12. IV, 3. Contra desperantem et mortis certum videmus I, 15, 41. 42.; indigno servitio fortiter se abdicantem II, 24, 1—16.; nam de assutis huic carmini versibus 17—52. infra videbimus. Huc etiam pertinet El. III, 21., ubi intermortuum quidem sed resuscitatum semper praesentia puellae (1—8.) ardorem mutatis terris (9—30.) prorsus restincturum se confidit (32—34.). Quo exitu multo etiam fortior et paene exultans II, 24, 15—20. Acerbus autem et ipsa carminis brevitate nervosus El. II, 11. Contemptio enim introitum (1. 2.), infausta omina medium carmen obtinent (3. 4.); exitum minae. Qui eo est efficacior, quo magis et verborum parsimonia despicientiae frigus apparet et digni poeta affectus expletam iusta vindicta iram testificantur. Neque igitur illi effectu parem crediderim El. III, 25., etsi ad nostram rem dirae, quibus peroratur (11—18.), magis etiam fortasse faciunt. Similiorem, quamvis ambitu multo illud poematium superantem, facile dicas El. II, 5. Gravitate vero et auctoritate ceteris omnibus praestant auguria illa, quibus poeta tamquam sanctus deorum interpres interitum Urbis vaticinatus El. III, 13. claudit vv. 59—66.

His igitur exemplis affectus unius vi superante fortiter et non indecore totum carmen absolvi videmus. Quod genus ut Propertii indoli accommodatissimum, ita ne alterum quidem alienum, cum ab utraque parte pariter impulsus animus mediam quodammodo viam secat. Itaque El. I, 17. postquam funestam mortem a procellis maris sibi instantem (1—14.) cum felici morientis in amore exitu frustra comparavit, tamen meliorum temporum spe in fine carminis (25—28.) erigitur. Neque aliter II, 33., ubi Isidi suorum amorum invidae acriter conviciatus (1—20.), tandem suo dolore satisfactum numini, lususque amatorios iam renovatum iri confidit (21. 22.), et El. II, 28., cuius tripartitam divisionem iam supra attigimus, primam atque secundam partem (vv. 31—34. rursusque 41—46.) spei certae imagine claudit, atque hanc quidem tanto quam illam confidentius, quanto propius imminente periculo fortiore solatio indigere puella videtur. Tertia autem pars, ubi placatis quidem inferis (v. 47.) tamen in tam recenti discriminis vix superati memoria omnem timorem statim a principio abdicare nondum audet (48.); in medio carmine (vv. 49—58.) iam confidentior factus, sortis extremae ipsam (quod tacite significat) Cynthiam aeque ac reliquas formosas consecuturae admonitum Ditem non invisurum esse pronunciat, quod in praesentia periculo sit liberata.

Tum vero carmine in laetitiam soluto sub finem vota diis reddere amicam iubet vv. 59—62. Quae omnia tam bene coeunt, ut quo indicio fretus Iacobus hos ultimos quattuor versus, sine quibus proximus ne stare quidem potest, a reliquis divulserit, non intelligamus. Neque enim, quod ille iudicat, poetae est, singulos affectus singulis poematiis includere, sed alios ex aliis orientes proponere. Quapropter omnem hanc elegiam in partes quidem dividere sustinuimus, integra tamen et quae per se aliquid valerent carmina eadem esse negavimus. Nam cum singula sint lyrici argumenti et in solis affectibus versentur, tamen quoniam per intervalla temporis composita esse finguntur, neque modo affectus mutatos sed etiam res varie inclinatas describunt — universa epicis rationibus accedunt. Haec igitur intervalla maiore interstitio significare, non diversos affectus eadem occasione motos violenter seiungere consentaneum est.

Medio autem illo tristitiae et gaudii temperamento, clausulis aptissimo, quod in spe melioris conditionis apparet, saepissime utitur Propertius, ut El. III, 18, 31—34. IV, 11, 101. 102., ubi fiducia eventus nobilitatem et magnitudinem animi optime illustrat. Neque alia re argumentum illud de media vita sumptum II, 23. in carminis formam cessisse reor, nisi quod tabularum perditarum dolorem cum recordatione gaudiorum, quae illis commissa quondam fuerant, ita consociavit, ut spem inveniendi iterum amissas in fine concipere t v. 21—24. Eadem spes, quamvis non disertis verbis enuntiata, promissis saltem indicatur, quibus nisi fraudari se voluerit Amor, duritiem suam in melius sit conversurus (El. II, 12, 19—24.). Quid multa? Ad eundem hunc locum omnia ea carmina pertinent, quae suasoriis similia supra definivimus. Nam quotiescumque poeta alicui, ut quid faciat aut ne faciat persuadere vult, hic carminis progressus sit necesse est. Primo enim loco in eo, quocum agit, aliquid animadvertit, quo laedatur, quodque se vel moerore vel taedio vel timore commoveat (exordium). Huic igitur illud opponit, quod ipse probat, quoque gaudet, et tam suis quam audituri sensibus blanditur. Hinc in fine iterum in adversarium conversus non amplius vituperat, sed sperat, fore ut praeceptis suis in futurum mos geratur (exitus). Haec dispositio optime apparet carm. I, 2., in quo exord. 1—6.; medium 7—24.; exitus 25—32. Adde El. I, 11. A. 1—8. B. 9—26. C. 27—30. (quamvis ibi partium distributio aliquatenus variata, qua de re cf. quae infra dicturi sumus) et quae simplicissima est III, 22., ubi *στρ.* 1—16. *ἀντίστρ.* 17—38. *ἐπῳδ.* 39—42. Saepius etiam laeti

affectus, quibus medium carmen expletur, minis loco cedunt, cum damnosi eventus exponuntur, qui adversarii facta, si in sua agendi ratione perseveraverit, necessario sint secuturi, ut I, 5., ubi princip. 1. 2., med. 3—30., exit. 31. 32. Huc etiam pertinent II, 6. et 16., quorum tamen in adornandis partibus ratio intricatior, et III, 15., ubi suasoriae forma, quae in fine elucet (vv. 43. 44.), principio (1—10.) fidei testificatione velatur. Interdum utraque ratio coniungitur, ut I, 4., ubi στρ. 1—4. ἀντίστρ. α'. 5—16. β'. 17—26. ἐπῳδ. 27. 28. Est etiam, quando poeta verborum suorum ponderi adeo confidit, ut in fine non tam bene speret, quam animo eventum occupans veluti iam impetrata re gaudeat et quae deinde sit facturus, secure exponat, ut El. III, 20., ubi cum 1—6. principium contineant, medium carmen (7—9.) brevissime absolvitur, quo diutius celeri unius versus transitu facto (v. 10.) in describendis, quae se maneant, beatae noctis gaudiis possit commorari (vv. 11—36.). Quam poetae voluntatem non assecuti ii, qui post Scaligerum inde a v. 11. novam elegiam orsi sunt, ne hoc quidem senserunt, optime a poeta esse institutum, quod cum nocte iam iamque instante certa foedera facienda esse pronuntiet, ne quis libidini soli deditus amoris sancta iura rumpat, cumque periuro mala omnia imprecetur — his ipsis promissis non levissimum argumentum nactus est, quo puellae, ut perfidi amatoris oblita in suos sinus recurreret, persuaderet. Itaque cum persuadendi consilium dispositione carminis dissimulet, hoc ipso verborum pondus auget simulque efficaci illo artificio utitur, quo id, quod impetrare volumus, quoniam nullo modo nobis negari possit, iam habere nos praedicamus. Alia ratio est El. I, 8., in qua quamvis anxietas, quae principium obtinet, magis etiam, quam in superiore sub finem in gaudium plenum et paene exultans convertatur, tamen quoniam diverso tempore hae partes scriptae esse finguntur, duas elegias efficiunt, sed tam arte inter se iunctas, ut altera, quae per se vix stare possit, ad consummandam tantum prioris conclusionem comparata esse videatur. Ceterum vv. 1—26. plane ad nostram rem pertinent, quarum haec facillima est distributio A. 1—8. B. 9—16. C. 17—26. Pariunt igitur quodammodo duo illi, qui primum propositi sunt affectus tertium alium, interdum ita dissimilem parentibus, ut contrarium facile dixeris, ut si El. I, 19. suspiciones, timores mortisque futurae imagines praesentium gaudiorum adhortatione abrumpit. His adde amoris fidem interpositam II, 6. extr. et inter laetitiam et bonas spes timorem in fine emergentem II, 19, 29—32. Quod si quis Dissenii opinioni assidue patrocina-

tus sic calumniari velit, ut affectus quidem, prout res quae describantur variae sint, sic varios esse atque adeo oppositos dicat, sententias non item, nec unquam poetam, quod ab initio affirmaverit, postremo negare: ne hoc quidem evincet. Nam El. II, 32. postquam initio vehementer in levitatem et perfidiam puellae invectus est, v. 25. tamquam subito erroris sui admonitus ipse se corrigit et in se conversus:

„*Sed tu*", ait, „*non debes inimicae credere linguae:*
Semper formosis fabula poena fuit."

Neque aliter El. II, 17., cum iam mortem inferre sibi destinasset (vv. 13. 14.), ad patientiam convertitur. Quod non assecutum Lachmannum pro iuvat frustra iubet tentare ad eum locum videbimus. Prorsus enim eandem sententiae conversionem observare licet II, 25, 15. 33, 35.

Iam vero si quaeris, quid in hoc genere omnibus poetis commune, quid Propertii proprium sit, hoc sine ulla dubitatione Dissenio concesserim, poetam nostrum, nisi qua cupidinum vehementia abreptus cum impetu et fragore excurrat, semper aut paene semper ita componere discrepantes velut voluntatum voces, ut non protinus, sicuti Tibullus, placida quiete lectorem impertiat, sed pendulum etiamtum extremi eventus expectatione animum relinquat. Quod cum in iis carminibus, quorum exitum melioris conditionis spe confici demonstravimus, maxime sit perspicuum, inquietudinis tamen hic color per maiorem poematum amatoriorum potissimum partem ita perfusus est, ut hinc maxime dramaticus ille, quem paene dixeris, progressus nascatur, quo primi tres libri velut unum et perpetuum opus efficere videntur. Nam ii in mente legentis aculei semper relinquuntur, ut quid inde atque inde sit eventurum, ultro sciscitetur. Quamquam qui hac specie deceptus cum Gruppio totos elegiarum libros uno conatu et continue scriptos opinetur, non modo Propertii, sed ne elegiae quidem in universum naturam cognovisse se prudentibus arguat. Ille vero quam sit animo irrequieto, satis ipse testatur, cum hostibus suis lentam puellam evenire optat, se aut dolere in amore velle aut dolentem audire atque pallere in irata ait, et odisse se somnos, quos suspiria non pungant. Quin id quod maximum:

Aut tecum aut pro te mihi cum rivalibus arma
Semper erunt: in te pax mihi nulla placet.

Hinc ille tristitiae color et subita saepe mortis memoria (de qua cf. cap. IV.), hinc clausulae multo quam pro carminum

ratione saepe moestiores, ut I, 13. 14. II, 2. 14. 15. II, 13, 42. Nec desunt carmina, quae ita in aegritudinem et iram inanem exeant, ut nec fortiter repugnare poeta nec obdurare velle videatur, ut I, 1. II, 4. Nec tamen prorsus alienam a Propertio compositam magis et constantem sibi perorationem fatearis, dummodo duplicis generis quietem esse memineris, alteram animo voti compoti natam, alteram cum rebus desperatis ea quae corrigi nequeant patienter sustinemus. Quod genus cum indole Propertii optime convenire patet. Pertinent autem eo I, 12. 15. 18. II, 1. 8. 24. II, 9. finis, quem praepostero ordine hic assutum cum El. II, 13. coniungendum esse alio loco docuimus (cf. Lib. III. Cap. II.). Pertinent huc porro ea carmina, quae in miserabile mortis desiderium exeunt, ut II, 13, 1—42. II, 15. 26. Sed quominus semper mentis turbis circumactum nec unquam sorte sua placide fruentem credas, et plurima, quae primo loco illustravimus carmina prohibent, et mentis humanae conditio, quam nunquam sui dissimilem fieri natura vetat. Itaque Propertius quoque velut ex vitae fluctibus securum portum nactus paullulum acquiescit. Quo in genere eminet El. III, 10., carmen mellitissimum. Nec multum inde absunt III, 5. 4., quamquam modestia illa in fine vires suas extenuans nescio quid simile habet eius, de qua diximus, patientiae. Id quod maiore etiam fortasse iure de El. I, 10. senseris, cuius extremi versus tantumdem fere continent querimoniae, quantum continentiae, itemque de El. II, 22. Vere autem contentum conditione sua et ipsa virium tenuitate laetum eum demonstrant exitus El. II, 10. III, 9. et, ubi forte minime tale quid expectes, cum omne reliquum carmen in solis lamentationibus versetur, III, 7.

Haec de exitu. Iam vero, quae paullo supra velut in transcursu de adornandis carminum partibus diximus, ne quis illis omnis poesis Propertianae modos expleri credat: tam variae eius sunt disponendi rationes, quam nescio an in nullo alio poeta. Itaque tripartita illa, quam supra posuimus, divisio raro ita examussim servatur, ut unus sensus totum exordium, unus medium carmen, unus item finem expleat. Duplicat enim primum variationes et opposita iterat, nec semper affectus tamquam duae moles solidi ponderis cum fragore colliduntur (cuius tamen usus exempla ex argumentis supra expositis repetenda sunt plurima), sed saepe etiam veluti aestuantis maris τριχυμίᾳ ita alternant, ut modo hic modo ille superet, donec in fine aut confundantur, aut alter eorum fortius tandem assurgens alterum elidat. Quod genus tum praesertim erit, cum duo officia secum

certant, ut amor et amicitia, flebile admodum et misericordiam movens, quod diu et denuo semper reluctatus frustra animus dura fortunae tandem perferre cogitur, quale est I, 6., ubi hanc dispositionem facile intelligas. Nam exordio

i. e. στρ. α'. (vv. 1—4.) amicitiae suavis testatio continetur, cui
ἀντιστρ. α'. (5—10.) opponuntur firmiora amoris vincula,
ἐπῳδ. α'. (11. 12.) quibus constrictum se poeta fatetur.
Iam vero
στρ. β'. (13. 14.) terrarum cum amico visendarum studium
ἀντιστρ. β'. (15—18.) timore puellae iratae et abrupti foederis verecundia
ἐπῳδ. β'. vincitur. — Haec tamen pars significatur potius quam pronuntiatur; sola enim interrogandi figura continetur. —
Ergo
στρ. γ'. (19—24.) Valere amicum iubet et fortiter maiora sua sidera sequi.
ἀντιστρ. γ'. (25. 26.) Se merito, ut fata sua expleat, relinqui.
ἐπῳδ. γ'. (27—30.) Solatium enim amissi amici malorum societate se quaesiturum.
στρ. δ'. (31—34.) Iterum valere iubet eum et fortuna sua uti.
ἀντιστρ. δ'. (35. 36.) Se duro fato victurum esse.

Haec autem extrema sententia cum ἐπῳδῷ pertexta coaluit. Illa enim (quae v. 35. potissimum significatur) sic dolorem mitigat, ut amicitiam, quae praesentia ali non possit, memoria certe Tulli fotum iri promittat.

Hoc exemplo simul apparet, non prorsus eundem neque in iterato exordio neque in opposito membro resurgere affectum, sed paullulum semper sub finem ita inclinari, ut veluti in concentu nervorum vergentes paullatim ad exitum modos sentiamus. Quocirca qui crassiore Minerva illud diviserit, tenuioribus sententiarum flexibus neglectis, vv. 5—10. et 11. 12. coniungat et inde a v. 19. perorationem incipiat licebit. Exultanti vero gaudio hoc genus sic optime cedit, si poeta nunc bona, quae adeptus sit, praedicat, nunc obstantia, a quibus modo timuerat, proiecta et victa gloriatur. Itaque in illo carmine, quod El. I, 8, 1—25. supplementum esse diximus, singuli paene versus affirmantes et negantes ita alternant, ut prior quisque bonum adeptum, posterior victum timorem testetur hac figura: a. vv. 27. 28. b. 29. 30. a. 31. b. 32. a. 33. 34. b. 35—39. a. 40. b. 41. a. 42—44. b. 45. Ultimus autem versus, qui gaudium, quod iam primus continebat, ad fastigium ductum exhibet, quoque simul, ut semper hac fortuna fruatur, optat, solus brevissimam efficit perorationem. Simile argumentum similisque dispositio est El. 14. et in contrario affectu I, 17. 18. II, 3. III, 1.

Aliud genus omnium frequentissimum sic nascitur, si partes maioris ambitus iterum dividuntur et integra per se

carmina efficere videntur. Nam sicuti corporis membra tum demum figuram efficient et ad usus omnes mobilem et ad speciem non indecoram, cum non sunt continua, nec Daedaleorum operum instar porrecta rigent, sed in articulos minutos incisa et diverse inclinata totius formae concentum ipsa varietate reddunt admirabiliorem, eodem modo poematum partes per oppositas sententias sic progrediuntur, ut universi carminis imagines iteratas praeferant. Cuius rationis cum nulla paene Propertii elegia ita expers sit, quin aliquot certe vestigia liceat deprehendere, nobile tamen exemplum statim in limine obvium El. I, 1. Hanc enim cum cuique semel inspicienti in tres partes discedere facile appareat (A: 1—18. B. 19—30. C. 31. ad fin.), accuratius tamen si quis inquisiverit, hoc schema orietur:

A.
- a. 1—8. Infelix et sine successu amat —
- b. 9—16. Quamquam exempla suppetunt, saepe puellarum duritiem constantia victam esse.
- c. 17. 18. Tamen infelix amat. (Fortius enim primorum vv. argumentum repetitum.)

B.
- 19. 20. Sagarum igitur ars contendat . . . . . a.
- 21. 22. cum pertinacia puellae, ... b.
- 23. 24. qua victa documentum artis omnibus praestigiis superius illas esse exhibituras. . . . . c.

I.

- 25—27. Ab amicis vel asperrima remedia petit . . . a.
- 28. contra durius, quam illi cruciatus sint, servitium. . b.
- 29. In extremas terras auferri vult, ... a.
- 30. cum vel aspectus feminarum sibi sit perniciosus. . b.

II.

C.
- a. 31. 32. Sic tolerabilem quidem sortem futuram, quamvis infelicem nec cum iis comparandam, quos domi felici amore fruentes perseverare in eo iubet. . . . . c.
- b. 33. 34. His sua fata infausta pro exemplo opponit,
- c. 35. 36. quo edocti ne paris inconstantiae pares poenas dent, alioqui sero dolituros, hortatur.

Hoc exemplo tum, quanta sit intra unius carminis fines argumenti varietas, tum vero etiam illud apparet, perplexas inter se et ita connexas partes inveniri, ut idem *κῶλον*, quod unius partis clausulam efficiat, alterius sit exordium (vv. 31. 32.). Unde tenacior fit textura et, iuncturis compagum latentibus, dispositionis vera ratio multo ad indagandum difficilior. Huc accedit, ut interdum sententiae alicui cogitationis alius quodammodo semina admisceantur, cognata illa quidem et finitima proximae, sed quae ad totius carminis argumentum pertinere non protinus intelligas, qualia sunt *ἐπιφωνήματα* et *παρενθέσεως* modo interiecta verba, interdum etiam, quae unius vocis fortuita paene additione contineantur. His igitur arreptis et in maius auctis primum illa tamquam crustulae argumento insita *ἐπεισόδια* nascuntur

Cuius rationis initia apparent El. I, 22, 5—8. II, 16, 36—42. Caesaris laudes; III, 9, 9—16. artificum recensio; III, 18, 3—6. Baiarum descriptio; pleniora iam El. III, 12, 25—36. Ulixis fata; III, 13, 25. sqq. aetatis aureae suavis imago. Haec autem omnia ita remota sunt tam ab inconcinnis Catulli ambagibus quam a molesta saepe Ovidii loquacitate, ut nusquam carminis decursui obstent, neque extrinsecus arcessita, sed argumentum sponte secuta esse videantur. Qua laude carere alterum genus huic proximum non sine aliqua veri specie censueris, cum oratio ab eo fine, quo initio tendebat, deflexa orbem carminis non claudit, sed eum efficit exitum, quem nihil cum principio commune habere dicas. Id quod in duas potissimum elegias cadere videtur II, 34. et III, 11. Quarum posteriore, cum poeta ab initio servitutis inhonestae crimine apud amicum se excuset, compluribus mulierum praepotentium exemplis allatis v. 28. Cleopatrae commemoratione ita abripitur, ut sui ipsius et consilii sui oblitus, temeraria reginae ausa cum fatis Urbis maioribus componat, donec Romam Augusti virtute servatam et pacem per orbem restitutam celebrans velut panegyrico elegiam absolvit. Hic igitur, si quis initium cum exitu recte quadrare negaverit, non equidem habeo quod obloquar. Neque enim tum modo, cum „urceus exit“, sed etiam si contra evenit, dispositio laborat. At hoc tamen velim ne obliviscaris, saepe errorem, qui videatur, de industria committi, si causam erroris honestam esse appareat. Qua autem re magis vel admirationem historiae Romanae testetur, vel Augusti gratiam demereatur, quam si huius mentione semel iniecta vel amoris sui privatorumque studiorum omnium memoriam excuti fingat? Artificium igitur illud est, non error, quem si emendare voluisset et post tantas tamque praeclaras res gestas ad parvam suam sortem vitamque contractam carmine redire, nae ille omne carminis robur fregisse videretur prudentibus.

Elegiae contra II, 34. simile consilium subesse nequaquam est existimandum. In hac enim cum poeta, qui initio fidem temeratam amico exprobrans, sub finem auctoribus carminum amatoriorum claris inseri se cupiat, primum inspicienti rectam viam deseruisse videatur, tamen si singula expendas, praegravante potius extremae partis pondere, quam inconcinnitate dispositionis eam opinionem subnasci fatearis. Prima enim pars (1—26.), quae facillime a reliquis duabus segregatur, inopinatum Lyncei senis amorem continet. Cui oppositum carmen medium in eo timore versatur, ne vir, severis adhuc studiis deditus, neque expedire se vinculis insolitis,

neque ea modeste sine alieno auxilio ferre possit. Hoc argumentum, quod vv. 27—46. purum et integrum appareret, vv. 47—54. sensim cum exitu pertexi coeptum est, qui reliquum carmen implens (vv. 55—93.) ita certamen illud componit, ut amicum ad exempla peritorum in amore virorum, imprimis autem ad ipsius Propertii applicare se iubeat. Haec igitur universae erit dispositionis figura: A. 1—26. B. 27—46. B'. 47. C. 48. B. 49. C. 50. B. 51—54. C. 55. ad fin. — Quod autem deceptum exordio lectorem facile alium exitum requirere diximus, hoc Lyncei amantis conditione declaratur. Huius enim amori cum perfidia contra amicum esset admixta, exordium ipsum tripartitam divisionem carminis integri instar accipit. Versibus enim 1—12. conatus iste improbus continetur (a.), vv. 13—20. dolor Propertii inde motus (b.), vv. denique 21—26. ad pacem conversus poeta erranti ignoscit. Hinc demum pars altera (B.), qua severa Lyncei studia, utpote nihil in amore iuvantia taxantur; qua parte per frequentem affirmandi alternis vicibus et negandi formulam levis elegiae poesis (b.) cum graviore tragici et epici generis Musa (a.) comparatur, hoc ordine: a. 26—28. b. 29—38. a. 39—41. b. 42—44. a. 45. 46. Huic autem parti quomodo per vv. 46—54. peroratio sit nexa, vidimus. At ne haec ipsa quidem dispositionis arte caret. Nam initio (vv. 55—60.) contractas et vitae suae et carminis rationes ita commendat, ut his suam gloriam omnem debere se velle profiteatur (a.). Quod si divino Virgilii operi maiorem famam aeque concedi nemo sit infitiaturus (b. vv. 61—66.), ipsum tamen Virgilium leviore hoc genere vix minus probari. Vides igitur exitum (c.) ad eam quam proposuerat sententiam (a.) ita arte rursus circumduci, ut post Virgilii laudes a Varrone memoria repetita per reliqua nomina ad sua iterum tempora descendat, eos autem versus, quibus se ipsum illis poetis addit, tamquam fastigium carmini imponat, arrogantiae solum speciem modestiae colore emendans. Ceterum si quis singulas iterum huius elegiae partes excutere et ad suum quamque locum referre tentaverit, tantam dispositionis varietatem agnoscet, quantam in nullo alio carmine. Unde continentiae admonitos se intelligant ii, qui ubicunque argumenta per se incongrua unius poematis ambitu contineri animadverterint nec velut ad rubricam directi carminis rationes prima statim fronte perspexerint, turbatum aliquid illico aut a librario aut, quod peius est, a poeta opinantur. Neque enim si in exercituum decursionibus solvi acies et huc illuc temere trepidare singuli saepe videntur, incuriam ducis aut militum inscitiam nisi imperitus

accusabit, cum ea quae confusio videatur, summus sit ordo, et quae velut casu tumultuante dispersa sunt agmina, superiorum certis iussis quasi totidem filis ubique versus discurrentibus adstricta, unius nutu et consilio prudenti administrantur. Atque hoc illud est, quo Propertius maxime a Tibullo differt, cuius pellucida, ut ita dicam, simplicitas tantum abest, ut mihi sordeat, ut pro carminum illorum indole summa laude dignam eam esse satis supra praedicaverim. Hoc vero adnotasse minime supervacuum videtur, siccam illam perspicuitatem et normam ubique anxie servatam proximum habere vitium maciem, quae, ubertate ingenii dispositionis nervis strangulata, ossa quidem recte iuncta ostendat sed carne et vita carentia. Quocirca ne illa quidem Propertii carmina plus quam cetera probaverim, in quibus omnia facile decurrant, nec unquam transitu praeruptiore aut obscuriore enthymemate offendas. Huc certe quae pertinent libri primi, nisi primam elegiam excipias, omnia, quamvis limatissima sint nec ab ulla parte dispositionis lectorem morentur, hoc ipso proprium illum poesis Propertianae veluti χαραχτῆρα postea magis elucentem superficie nimis laevigata oblitterant et iuvenem a disciplina rhetoris recentem produnt. Oratoriae enim artis ea est perspicuitas, quam recte quis etiam aliis de causis horto villici comparaverit, in quo arborum per quincuncem dispositarum ordinem reliquarumque rerum utilem et nitidam distributionem vel invitus, simulatque intraverit, sentiat. Qua tamen arte quis sanus multo superiorem topiarii esse neget, cuius dispositionem tanto magis admirabimur, quanto cautius absconditum prudens artificis consilium naturae potius grato lusu omnia quam arte facta ut videantur, efficit. Hinc simul de proportione partium apud Propertium frustra quaestionem institui apparet. Nam haec pro re nata ita variat, ut modo uno versu intentio redarguatur, modo latius per exempla et similia oratio exspatietur; itemque in propositione et peroratione. Quamquam in hac unam rationem frequentiorem Propertio possis animadvertere, quae ex propria eius ingenii indole sponte nasci videtur. Nam cum per impetum ad finem vulgo ferri soleat, simul tamen etiam, quae est eius ubertas, circa partes medias in fabulis et iis, de quibus diximus, visionibus diutius haereat, exitum saepe, qui superest, brevissime absolvere cogitur. Quare plurimis in elegiis, quas omnes recensere superfluum est, — leviter enim cuique inspicienti occurrunt — aut uno versiculo aut disticho uno clausulam efficit. Haec autem omnia ne quis ea opinione scripsisse nos insimulet, quasi poetam de industria omnia apud mentem antea accurate dividere et ponderatis curiose ab utraque

parte argumentis disponere credamus: inveniri prius artem, quam doceri tantum abest, ut ignoremus, ut nimiis ratiocinandi argutiis ardorem inventionis refrigerari et divitem ingenii venam subligari existimemus. Sed illud utique tenendum, ingeniis omnia bona nescientibus paene et gratis a diis impertiri, et hoc illis prae reliquis mortalibus esse concessum, ut ne possint quidem quidquam moliri ineptum. Itaque in ipso furore utentur arte, studium autem et labor, sine quo perfectum opus ne semideis quidem illis donatur, satis adhuc in quo se exerceat habebit, si dedolato quodammodo opere limae non parcat et inverso stilo tumida castiget, expleat hiulca.

Iam vero, ut deinceps agamus, cum non omnia, quae pugnare videntur, in carminibus tamquam aliena segreganda, nec rursus similia omnia hinc illinc lecta velut turbata unius elegiae membra consarcienda esse apertum credamus: Scaligeri ausis singulis refutandis eo tutius supersedere nobis licebit, quod mutationum suarum causas proferre ipse non dignatus est. Itaque de illis ad eas argumentorum enarrationes, quas in interpretatione poetae Germanica carminibus praemisimus, provocare satis duximus, hic eorum solum dispositiones accuratius illustremus, in quibus vel ab Iacobo, circumspectissimi iudicii viro, iniuria aliquid novatum esse censemus. Qua disputatione simul Lachmanni sagacitati obviam ibitur, ut qui in editione Berolinensi plurima amici inventa tacitus probaverit. Et de elegiis quidem III, 1. 2., perperam me iudice ab utroque coniunctis, satis supra dictum est. Similis causa est El. III, 24. 25., quarum priore, quod poeta fallaciis puellae tandem perspectis ex tantis insaniae procellis servatus sit, ipse sibi gratulatur, hac quidem partitione, ut primum erroribus suis pristinis expositis (A. 1—8.) amicorum remedia frustrata (B. 9—11.) subiiciat, quae repentina conversione paene exultans uno versu (C. 12.) quodammodo praecidit. Deinde iterum erroris causis breviter repetitis (A'. 13. 14.), sub finem diutius in gaudio recuperatae salutis versatur (C'. 15—20.). Hoc autem in extremo carminis limine ita extollit, ut victoriam eam vel Iove invito se rettulisse glorietur. Qua sententia cum simul ad ea, quae initio proposuerat, recurrat, carminis orbis ita clauditur, ut nullam in fine additionem toleret. Praeterea tam fortis est illa ultimi versus gloriatio, ut prae ea omnia, quae sequi possint, necessario languida sint futura. Quid igitur minus aptum, quam hinc demum occasionis, qua primum iugum inhonestum excusserit (1. 2.), enarrationem nectere, deinde quamvis constantem, miserabilem tamen Cynthiae obtestationem

fideique exprobrationem addere (3—10.) tandemque in malas preces et futurae miseriae admonitionem exire (11. ad fin.), quae omnia per se egregium explebunt carminis argumentum, priori adnexa et ipsa praepostera videbuntur et alterius impetum perdent.

Contrariam critici rationem secuti sunt in El. II, 13. 18. 22. 26. III, 20. Nam de El. II, 24. et II, 9., quarum illam appendice, quam in libris mss. inde a v. 17. trahebat, iam Scaliger liberaverat, in ea una si quid video felix, hanc Lachmannus ex partibus duabus alienissimis sub v. 41. a librariis male consutam primus intellexit: de his igitur carminibus prorsus assentimur novissimis editoribus, alteram alias etiam accuratius excussuri, Quaest. Lib. III. cap. 2. De El. II, 26. iam inter epica argumenta diximus, de III, 20. eo loco, ubi de suasoriis agebamus. At ne de El. quidem II, 13, 1—50. partibus segregandis quemquam cogitaturum fuisse credo, nisi ea inde a v. 51. ad fin. pannum ab ineptis librariis assutum traheret, quem cum Iacobus merito quidem, sed festinantius rescinderet, integri et veri carminis particula secuta est. Quam nihil nisi mortis commemorationem cum illo commune habere argumento ceteroquin alienissimo statim apparebit. Alternantium enim partium est dispositio, qua semper haec, quae principio posita est, sententia emergit et superat: amori scilicet totum se deditum huic etiam versus suos debere; carminibus igitur et amore suo vitae et famae summam sibi contineri. Hoc autem argumentum per omnes numeros ita persequitur, ut quae contra opponi possint, quodammodo exhauriat, utque absolutius carmen in hoc genere et rotundius inveniri vix equidem crediderim. Verum ut ordine agamus:

A. v. 1—4. Amorem habemus carminum auctorem.
B. 5. 6. Nihil autem se iuvari severo et magnifico poesis genere carminibusque sine amore,
A. 7. 8. sed carminibus, quae alant suum amorem:
B. 9. 10. nec rursus amore magnifico, quem vulgus admiretur (in quo autem nihili fuerint carmina sua),
A. 11. 12. sed amore, in quo carminibus suis meritus sit honor. (Hucusque igitur quae vulgo tamquam summa bona expetuntur prae coniunctis illis duobus deliciis contempsit; iam vero altius assurgens etiam alienas inimicitias et odium despicere se praedicat).
B. 13. Nihil curat populi iudicia,
A. 14. modo suus amor carmina sua probaverit;
B. 16. nihil vel Iovis inimicitiam,
A. 15. dummodo ille sibi sit propitius.
(Hi autem duo versus ordine contrario scripti sunt, ut fortissimum in fine poneretur. — Quid autem fortius inveniri potest hoc, aut, ut etiam pro Iacobo anquiram,

quid omnino ultra? Nihil profecto, nisi hoc unum: quod eam sententiam ne mors quidem sit deletura).

B. 17—24. Neque enim in ipso funere splendidam pompam se velle ait,

A. 25—30. sed duos tantum comites, carmina sua (25. 26.) et amorem (27—30.).

B. 31—34. Quinimmo post funera et bustum abesse iubet solitam monumentorum magnificentiam.

A. 35. 36. Sat sibi versibus inscriptum tumulum, qui amorem suum testificentur.

C. a. 37. 38. Ita famae suae satis provisum esse.
C. b. 39. 40. At ne tum quidem, apud inferos, puella se illo sensu exutum iri credat.
C. c. 41. 42. Ne igitur mortui oblita ossa inquietet, orat.

Haec igitur, ut dixi, ita sunt perfecta et consummata, ut nihil omnino hinc omitti, nihil sine damno addi possit. Iam mihi considera, quid illud sit, quod librarii dignum habuerint, quo tam egregium poema ipsumque adeo conditum et sepultum poetam contra eius vota suprema turbarent. Eum, quem ita contentum sua conditione modo vidimus et beatum, ut vel post cineres alia uti se velle negaret, hunc eundem continuo iubent vitam suam exsecrari horamque ipsam, qua primum lucem adspexerit, flebiliter detestari. Sed hoc nos indicasse prudentibus satis est; pluribus demonstrare longum, praesertim cum, quo tandem haec lacinia sit referenda, ut carmen suum non dedecoret, sed ornet, alio loco simus exposituri. Cf. Quaest. L. III. cap. 2. Probabilior multo Iacobi causa in El. II, 18., in qua affectuum conversio vehementior, transitus praeruptiores et paene hiantes. Incipit autem statim a figura, de qua infra etiam videndum erit — est enim ἀποστροφή — sed qua si ab initio utaris, mutilum capite videatur carmen. Nam quae antea facta sint, intelligitur potius, quam verbis explicatur. Hae autem sunt querelae, quales plurimas in proximis carminibus invenias. His igitur (A.) obiicitur admonitio, ne prudentem quidem esse, qui nimiis lamentis amicae durae aures fatiget; conniveat enim oportere, qui cum successu velit amare (B. v. 1—4.). Haec contra: non hic, quid prudentis sit, quaeri, sed ita inhumana et contra naturam esse, quae tolerare iubeatur, ut ipsum tacere sit inhumanum (C. 5—20.). Habes igitur repetitum principium (A.) eoque auctum, quod causas eius gravissimas edidit. In his autem κλῖμαξ fortissima fit per enthymema. Nam cum iam in sene uxoris perfidia crimen sit abominandum, in quem tamen si quae peccaverit, multo aequius feras quam in adolescente, qua tandem impotentia Cynthiam esse dicas, quae cum anus iuvenem oderit, quid factura sit, si ipsa annorum flore senem haberet

amatorem, ne mente quidem concipi posse. Hoc autem enthymema, ut elegiacus fiat orationis progressus, ita disponit, ut primum (a. 5. 6.) quaerendo indicet puellae suae levitatem, huic pulcherrimum fidei exemplum Auroram opponat (b. 7—18.), in fine vero perfidiam Cynthiae prodigio similem, quo magis indignatio appareat, nudis repetat verbis (c. 19. 20.). Atque hic quidem concludi posset carmen, nisi prorsus contra Propertii morem esset, accusatione puellae orationem finire; nam aut suadet, ut aliter faciat, aut quid ipse iam sit facturus, ait, aut denique quid futurum sit perseveranti in scelere, minatur. At nec Iacobus hoc vult, nec quid sequenti in libris versuum parte fieret, expeditum esset. Itaque Iacobus hanc ipsam clausulam carminis esse iubet:

Quin ego diminuo curam, quod saepe Cupido
Huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.

Quid igitur? Gravissimasne querelas illas una subito sententiola rescindat? An iactati illius totiesque decantati de orbe fortunae loci non statim ab initio in mentem venerit? At, quae antea dixit, alias quoque subito emendat et carmine ipso huic proximo XVII. Audio. Sed facile et illius rationem et omnium, quae supra in eodem genere ipsi recensuimus, multum a nostro differre apparet. Nam illic aut dolorum fluctibus constantiam suam et patientiam opponit, quo nec iniustas superiores esse querelas fatetur, nec causas irritas, aut, si, ut hoc loco, errasse se concedit et errorem corrigit, causam mutati animi non nudum φρονημάτιον praetexit, sed gravissimis argumentis illustratam sententiam, ut II, 25, 15. 33, 35.; quorum posteriore loco etiam velut re praesente erroris aperti convictum se fingere poetam sentias. Itaque hic quoque si quaeris, cur nunc potissimum illud de „rota amoris“ proverbium in se cadere ille intelligat, versibus statim sequentibus respondetur. Nam cum Cynthiam, ut novo amatori placeat, omnia quaesiti cultus artificia adhibere videat, hoc ipso indicio colligit, propria fama et honestis artibus non satis confisam successui timere eam coepisse. Hinc illud: Nunc etiam infectos demens imitare Britannos; et infra: De me, mi certe poteris formosa videri, mi formosa sat es, si modo saepe venis: quo versu vel inviti admoneamur El. I, 2, 23. sqq., ubi vid. comment. Vides igitur solatii causam confidentia eventus auctam iam in suasoriae formam verti, quae ita deinde omne carmen occupat, ut in conclusione tenuia duntaxat superent initii tristis vestigia. Quo nomine cum aliqua dispositionis similitudo nascatur

cum El. II, 34., illi qui pepercit, ne huic manus inferret, non debebat admoneri. Hic igitur partium ordo notarum compendio expressus:

A. v. 1—20. { a. (Haec pars apud animum intelligitur) / b. 1—4. { α. 5. 6. / c. 5—18. { β. 7—18. / propositio { γ. 19. 20.

B. v. 21—32. { a. 23. 24. b. 25. / a. 26—28. b. 29. 30. } probatio / a. 31. 32.

C. v. 33—38. { c. α'. 33—35. β'. 36. } probatio / γ. 37. 38.

Qua in dispositione soli versus 33. et 34. non recte sedere videntur, quos equidem, si fata sivissent, poetam emendaturum fuisse credo. Nam interpolatos non esse rursus vv. 35. et 36. docent, qui illis sublatis minus etiam quam ipsi cum superioribus quadrarent. — Sequitur El. II, 22., quae cum tota sit defensoria, inde fortasse scrupulis quibusdam, nisi vitia dicas, laborat, quos evitare difficillimum est poetae, si ratiocinationes et probationes carmine includere aggrediatur. Hic autem novam amoris viam nuper ingressus, qua variarum puellarum ardoribus passim et simul sit obnoxius, apud Demophoontem se defendit. Quod ut ratione fiat, in propositione fata sua enarrat (A. 1—12.); deinde quae contra ab amico afferri possint argumenta diluit. Hoc ut oratorium sit, hinc tamen elegiacum accipit colorem, quod amicus ut patronus sanae mentis causam agere fingitur; unde quae ille obiicit conscientiam recti dicas, in ipso poetae animo cum imperiis libidinum frustra pugnantem. Adversarii igitur dicta medias carminis partes obtinebunt, refutationes poetae clausulas. Sunt tamen illa brevissima (v. 13. 21.), ut quae unicuique sano prompta sint nec expositione indigeant: hae contra ambagibus circumductae, ut in defendendo satagentem culpae conscium arguant. Primum igitur illo causam tam funesti amoris quaerente (B. v. 13.), causam ullius insaniae quaerendam esse omnino negat. Haec pars (C. v. 14—20.) certo fortissima et vere poetica suam iterum habet dispositionem. Non rationibus rem agi (a.). Sic, ait, est (α.), sic quondam fuit (β.), sic in me quoque est (γ.). Poenaene tantam insaniam sequuntur (b.)? Non curo poenas (c.). Alterum utique argumentum post illud videatur debilius. Valetudini certe prospiciat (B'. v. 21.). Hoc simpliciter negat (v. 22.), ita tamen, ut eam partem (C'.), ut superiorem, exemplis confirmet (a'. 22—24. b'. 25—33. c'. 34.). Iam vero post destructas adversarii intentiones, ut oratoris est,

ad laudes suae causae transit. Quae pars cum in vera oratione dispositione sit segreganda, in carmine, quoniam oppositionis vi caret, cum superiore cohaerebit. Naturam igitur ducem (b″. 35.) se sequi (c″. 36—42.) ait. Alia quoque esse similia (b‴. 43. 44.), quibus sua ratio apte accommodetur (c‴. 45. 46.). Denique, qui contraria via usus uni puellae semper deditus esse velit, ne intolerabile onus susceperit, videat (b‴. 45. 46.). Hac autem partium distributione iam sponte apparet, exitum, qui in argumentorum inventione se torqueat, aliquantum languere, nec quidquam poematis incessum, cuius impetum in Propertio admirari solemus, eo iuvari, quod exemplis, similibus, praeiudiciis, probationibus stipatus ingreditur. Quae omnia oratori perquam utilia instrumenta, nisi oppositorum affectuum certamini serviunt, nunquam efficient elegiam. Neque tamen hoc vitium, ipsius argumenti natura procreatum, quo elegantissimi iudicii virum offensum esse apparet, rescissis aliquot versiculis emendatur, et eo loco, quo Iacobus statuit, scissura minime est ferenda. Sic enim v. 42. in illud simile exiret peroratio, cui suam conditionem sequentibus statim versibus a poeta comparari luce est clarius. Nam in usu ἀποστροφῆς, Propertio maxime familiari, haesisse illum vix crediderim. At ne ipse quidem Iacobus sua medela persanatum carmen confisus est. Testes asterisci infra appositi, fragmenti indices. Quod Lachmannus aliquanto confidentior ita expleri posse opinatus est, si cum sequenti carmine conglutinaretur. Frustra; nam etsi argumenta non ita sunt dissimilia, facta tamen, quae hic vel illic defenduntur, ita differunt, ut ne uno quidem tempore scripta esse possint. In hoc enim, quod omnes passim puellas depereat (22, 13. 35. 36.), in illo, quod missis nobilibus feminis, sive matronis, sive, quas rectius (coll. v. 9. et 21.) intelligas, maiorum gentium meretricibus, solas iam de plebe mulierculas expetat (v. 13. sq. v. 21.). Praeterea vereor, ne si invita carmina sic coire cogantur, superioris languore alterum quoque inficiatur, quod per se teres et rotundum facillimam habet dispositionem. Nec in eo tergiversandum, quod El. 22. a fine mutila videatur. Quamvis enim hoc utique sit concedendum, melius cessuram fuisse clausulam, si expositis casti amoris aerumnis iam in fine ad sui instituti laudes poeta rediisset (cf. El. 23, 21. ad fin.): quis tamen has ipsas adversarii reprobatione apud animum sponte intelligi neget? Hoc enim noster interdum brevitatis studio dedit, ut quid ipse in fine positum vellet, causis praemissis divinandum lectori relinqueret. Hinc specie trunca nascitur elegiae forma, ut II, 12.,

quae a coniecturali genere orta in suasorium desinit, hac dispositione: A. v. 1—12. B. 13—16. C. 17—24. Extrema autem parte non modo ut sibi parcat, Amorem obsecrat (a.), sed causas addit (b.), quibus ei, ut ita faciat, persuadeat; et primis quidem versibus pertextas ipsis precibus (ab. 15. a. 16. ab. 17. b. 18.), deinde solam causam (b'. v. 21. ad fin.), post quam, ut recte carmen claudatur, plane ut in ea, de qua modo rettulimus elegia, tertiam partem (c.) expectes et paene desideres, quam facillime poeta effecisset, si v. 18. paullo immutatum repetere voluisset. In El. autem II, 31. causa omissae perorationis multo etiam facilius intelligitur. Nam primi versiculi, quibus, quod tardior venerit, se excusat, propterea solum praemissi videntur, ut descriptionem templi Palatini amatoriis carminibus inserere liceret. In ea autem descriptione cum summa carminis versaretur, levissima dilatae morae culpa non erat tanti, ut in fine iterum excusaretur. Immo post tam luculentam expositionem futile id videretur et inane.

Interdum vero hac ipsa breviloquentia nervos orationis mirifice adstringit et dum voluntatem indicat potius quam pronuntiat, rem ipsam ita gravem existimare videtur, ut in mentibus audientium ipsa pro se tacita sit locutura. Itaque El. III, 13. Cassandrae exemplo in exitu posito defungitur, a quo, ut plenum fieret carmen, ad res Romanas et sua vaticinia redire debebat. Sed hoc eo loco longum erat. Neque enim quisquam tam surdus, quin nominibus mutatis suam rem agi sentiret. Eodem autem prorsus artificio utitur El. III, 19. fin., ubi quod in Minoe probat, contra mulierum Romanarum impotentiam dictum esse apparet. Neque aliter El. II, 3, 45—54., quos versus Iacobus cum a proximo carmine recte segregasset, eodem deinde errore lapsus est, quo Lachmannus El. II, 22., ipse II, 13. fin. Continuatum enim hoc elegidium cum quarto exhibet, a quo tamen, quamvis primo aspectu simile, vehementer discrepat. Hoc enim supra inter ea carmina rettulimus, quae, cum aliquo intervallo post proxima scripta esse fingantur, in libris cohaerere solent. Nexa igitur illa quidem inter se diximus, neque tamen ut elegiae, sed ut epyllii particulas. Itaque hic quoque carmine 3, 1—44. irretitum denuo amore poetam et pulchritudine puellae sic captum videmus, ut in vinculis renovatis tamquam in spoliis receptis exultet. Mox ex turbis voluptatis gestientis paululum resipiscens composita mente circumspicit et quamvis conditione sua contentus (v. 45.), tamen nec aequa et iniqua pariter sibi ferenda esse negat (v. 50.) et ideo fere potissimum in sua sorte acquiescere videtur, ne mutato iugo

iterum ea omnia perpetiatur, quae circa initia novi amoris amantes manere soleant. Atque hactenus quidem eorum carminum fines patent, quae El. II, 3. consociata sunt. Sequitur El. 4., cuius initium sententiam illi simillimam praefert. At quanta, si interius quaesiveris, differentia. Illic enim, quamvis subiectus amori, contentus tamen, cruciatus, quos initio senserat, ideo duntaxat in animum revocat, ne quid temere novi audeat. Hic contra infelix prorsus et sine spe melioris fortunae (v. 5. 15. 16.) puellarum amorem in fine paene execratur. Illa autem, quae primis quattuor versibus superiori argumento similia videbantur verba, non ipsius poetae sunt, sed amici, vel quicunque alius loqui hic fingitur, qui solatii causa communis omnium recens amantium sortis arduique initii illum admonet. Quae tantum abest ut Propertio ipsi probentur, ut totum carmen in vano eo solatio refutando versetur. Sed quo libentius Iacobo in tam lubrico loco labanti ignoscamus, ea, quam indicavimus principii El. 4. natura efficit. Novi enim generis est, et de quo nondum commemoravimus. Neque enim solum, si argumenti ratio postulare videatur, exitus omittitur, sed etiam prooemium. In medias igitur res poeta legentem ducit et quo fortior cupiditatum pugnantium ardor appareat, subito, velut qui multum et diu tacitus antea secum locutus sit, erumpit. Quod duplici modo fit, ut aut interloquentem sibi alterum fingat, aut ab ea coniunctione carmen ordiatur, quae in sermone sedato nisi aliis sententiis praemissis locum habere non possit. Huc pertinent El. II, 3. 10. 18. 22. 32. III, 6., de quibus omnibus, quoniam partim in conformationis et allocutionis figura lis versatur, partim in audaciore particularum usu, commodius insequenti capite dicetur.

Iam vero si, quae observationibus nostris potissimum evicisse videamur, veluti retro conversis uno obtutu perlustrandum erit, duae potissimum res memoratu dignae occurrunt. Primum enim nihil est, quo Propertius a vulgatis et perspicuis disponendi normis recedat, quin vel affectuum volaticorum vehementia, vel brevitatis studio satis declaretur. Deinde nihil omnium eorum, quae communes illas leges migrare videantur, in primo libro invenitur, quo severis rhetoricae praeceptis nimis etiamtum emancipatum poetam deprehendimus. Sed haec hactenus.

Caput VI.

De elocutione.

Elocutionis laus omnis inde quaeritur, ut aptis sententiae verbis illustrentur et accommodatis. Itaque poeticae

etiam orationis summa virtus erit perspicuitas. Alia autem huius erit perspicuitas, alia eius, qui demonstrare et docere in animum induxerit. Is enim, sive orator est, sive artis auctor, cum id potissimum agat, ut propositionem aliquam argumentando firmet et comprobet: cetera ornatus modo et delectationis gratia arcessita videntur esse. Quodsi ei apud tales modo esset dicendum, quibus mentis acies nec cupiditatum turbis esset hebetata, neque alienis studiis distracta, sed qui vel naturae beneficio vel assidua exercitatione discrimina ratiocinationis subtilia acriter intueri et recte argumentantem sobrie et firmiter sequi sustinerent: oratoris ars nec impetu, nec copia, nec ullis bene dicendi illecebris a poetica mutuatis indigeret, quibus cum aliud agentes attentos, dubios confidentes, adversos propitios reddere et animis audientium vel invitis se insinuare soleat, tamen a recta disserendi via deflexa splendidis magis quam fortibus armis dimicare, decipere potius quam docere velle videatur. Unde optime Quintilianus adiutoria ea solum eloquentiae esse ait XII, 10, 43. Nam fundus eius tamquam peculiaris in singulis verbis est proprietas, in coniunctis ordo. Proprietas autem verborum cum omnibus, qui loqui didicerunt, sit communis, hanc novam efficere nemo potest, sed hac re solum disertus ceteris excellet, ut accuratius, quam vulgo solet, nominum significationes excutiat, vocabula *συνώνυμα* sibi opponat et subtiliter discernat, ea denique, quae vulgari usu ut paria et tantum non eadem accipiantur, aliqua ex parte contraria esse demonstret; unde non modo pura fit oratio et munda, sed acuta quoque. Hinc enim *ἀντιθέτων* vis nascitur, hinc per *κλίμακας* incrementum, hinc quoque urbana illa *ὀξύμωρα*. Sed plus etiam quam proprietas artis requirit verborum collocatio et pellucida veluti structura. Evitandae enim sunt frequenter vel adeo mutandae eae linguae normae, quibus sermo quotidianus poeticis rationibus prope accedere videtur. Nam universus etiam populus, qui suam sibi linguam invenit et dicendi leges condidit, cogitandi interdum regulam turbat, unde grammaticae et logicae nata discrimina. Hanc vero licentiam probatio arguta, quantum licet, refugit, verba urget, longis syllogismis per seriem nexis eandem rem repetit et spretis pronominum usu similibusque dicendi compendiis bis saepe eadem nomina, eadem verba ponit.

Sectio I. *Σχήματα λέξεως.*

Hinc igitur plurimae figurae eae, quae in repetitionibus versantur. Nam et pares res et contrariae sic optime

intelligantur, si in sententiis iuxta positis eandem sedem teneant et sono iterato aures feriant. Itaque quomodo in aedificio commode extructo apta partium distributio columnarum spatiis et reticulati operis textura, taeniarum adeo, denticulorum, guttarum dimensionibus apparet, eademque omnia non solum ad speciem sunt decora, sed etiam ad firmitatem utilia, sic figuris his, quas vere rhetoricas dixeris, et intellectus sententiarum adiuvatur, et oratio pressa fit atque arguta. Quodsi quis eas ad nostram rem et ad poesin pertinere negaverit, quoniam sicut in signis et tabulis pictis lineolae ad rubricam directae et radio dimensae frustra quaerantur, sic a carminis rationibus ratiocinandi artificia pariter sint aliena, audiendus erit ille quidem, sed ita tamen audiendus, ut, quomodo poesis ab iis artibus, quae πλαστικαὶ vulgo vocantur, differat, antea edoceatur. Poeta enim, cui argumenta sua sub ipsum aspectum subiicere non licet, ut pictori vel sculptori, sed enarrare solum facta est concessum, tum demum summam laudis adipiscetur, cum verbis suis auscultantem apta similium rerum memoria coegerit, ut apud mentem suam et cogitationem earum rerum formas, quarum in poemate mentio fit, denuo ipse procreare et per φαντασίαν sensibus suis repetitas subiicere videatur. Itaque cum visa et audita per cogitationem quodammodo transeant et, dissoluto prius rationis acumine, visionum demum efficacia in rerum imagines iterum nectantur, cogitandi legibus et sententiis ad perspicuitatem compositis carere omnino poeta non potest. Quamquam hoc semper tenendum est et hac etiam parte repetendum, pulchras rerum formas visionesque illas summam poematis verumque eius efficere argumentum; disserendi normas, quibus nemo, qui loquitur, caret, subsidia solum et instrumenta artis esse, non ipsam artem. Has igitur potissimum quae illustrant figurae, ut a dialecticis arcessitae in poesi accessio tantum sunt, ita, qui Ovidii modo eas unice expetit, ne rhetor potius, quam poeta iure habeatur, vereor. Neque enim ista similiter cadentium vocabulorum tintinnabula, quibuscum figurae rhetoricae natura sua coniunctae semper apparent, quaeque auribus, si rarae fuerint et cum iudicio adhibitae, non ingrato sono blandiuntur, altioris spiritus, quem perdere solent, desiderium unquam explebunt. Immo, si undique sunt obvia, strepitum ciebunt vix tolerabilem. Quocirca Propertio, quem vel cum Tibullo comparatum rarissime his figuris usum esse facile sentias, tanto magis ea parsimonia gratulanda est, quanto lectioni potius quam actioni eius carmina destinata fuerunt (cf. III, 3, 19. II, 13, 11. III, 1, 17.),

siquidem ea omnia artificia vocis demum modulatione paene histrionica probari, si manibus terantur vel adeo tacite legantur, inepta apparere et subabsurda, iam Aristoteles sensit Rhett. III, 12. p. 135. v. 15—29. Bekk. Itaque soli actioni, non stilo apta ea videri omnia.

§. 1. *Ἀναφορά.*

Ἀναφορᾶς enim, cuius hic primus locus, pro versuum numero paucissima exempla sunt, praesertim si hoc reputaveris, plurima eius generis non ab initio duorum pluriumve versuum repetita inveniri — quo solo loco plena in poeta eorum vis est (hoc vicies modo inveni), sed intra eiusdem versus fines. Rarissime utrumque, ut I, 6, 7. II, 6, 9. 28, 51. 33, 33. Praeterea non nomen aliquod aut verbum duplicari solet, sed particula vel pronomen, quod genus cum etiam in vulgari sermone sit tritissimum, vix inter schemata referendum est. Sic et modo I, 3, 21. sq. 11, 3. sq. 14, 3. sq.; o exclamatio I, 10. init. II, 15. init.; illa I, 14, 17. sqq. ter, I, 17, 21. I, 6, 7.; me II, 6, 9. quinquies; te II, 34, 15. quater. Adde I, 22, 6. 5, 11. 7, 29. IV, 7, 85. Nam de particulis sive-sive vel neu-neu commemorandum non est, quarum sine repetitione omnino nullus sit usus. Eorum porro, quae restant, non pauca sunt exempla, ubi vera *ἀναφορά*, quae repetitis ab initio enuntiati vocabulis cernitur, adiecto aliquo verbo de industria oblitterata esse a poeta videtur, ut I, 1, 29.:

Ferte per extremas gentes, et ferte per undas.

III, 1, 28.:

Hectora ter campos, ter maculasse rotas.

II, 28, 35.:

Et quot Eoa tulit, vetus et quot Achaia formas.

Adde I, 2, 15. 23. 24. 30. 5, 7—9. 9, 19. 10, 15. II, 27, 9. I, 11, 23. 35. Quinimmo fugere interdum videtur similem verborum in versuum principiis sonum et ubi *ἀναφορὰν* adhibere promptum erat, particulas variare, ut I, 3, 41. sq. Nam modo — rursus et — interdum et I, 10, 21. ne, neve, neu. II, 34, 35. haec quoque (bis) — haec etiam — et modo — quin etiam. Praeterea quae superant memoratu paullo digniora, his solum locis inveniuntur: I, 16, 28. II, 15, 41. 3, 25. 16, 5. 22, 1. sq. 34, 70. III, 5, 21. II, 19, 11. 28, 51. 33, 33. I, 7, 17. II, 5, 9. 24, 23. 20. init. 26, 9. 34, 65. 11, 65. His igitur, quae vocari solent, dicendi luminibus cum ita modeste Propertius utatur, ut in universa illa El. IV, 11.,

quae tota oratoria est, et in qua utpote in panegyrico hos calamistros non modo aeque feras, sed paene expectes, ne unum quidem eius figurae exemplum invenias: mira primo aspectu videtur res et quam cum hac simplicitate vix componas, quod idem schema in oppositis pentametri hemistichiis frequentissimum invenitur, ita tamen, ut semper cum aliis figuris, *ὁμοιοπτώτῳ* imprimis et *ὁμοιοτελεύτῳ* consociatum appareat. Qua de re, cum ad compositionem pervenerimus, accuratius dicemus. Nunc hoc satis est adnotasse, impetum affectuum et eum, de quo in inventione uberius diximus, repraesentationis amorem, qui in describendo rei cuiusdam statu libenter versatur: has autem diversas et paene contrarias ingenii facultates, quas tamen coniunctas in Propertio inveniri testati sumus, non aliter coniungi se pati, nisi argumenti partes eae, quibus veluti articulis maiora eius quodammodo membra contineri solent et expeditus planae orationis fieri transitus, quam brevissime absolvantur. Hinc et obscuritas toties Propertio exprobrata, cum, quae sentiat, veluti nutu indicat potius, quam verbis exprimit; hinc *ἀσύνδετα* numero infinita, hinc dicendi compendia, quae mox inter tropos recensebimus, hinc denique supervacui ornatus tamquam luxuriae fuga, eius scilicet ornatus, quem nunc tractamus, oratoriis officiis cummaxime utilem, sed in provehendo carminis flumine obicem magis quam adminiculum.

§. 2. *Ἐπιφορά, συμπλοκή, πολύπτωτον, ἐπανάληψις.*

Itaque proximam superiori figuram *ἐπιφορὰν* ne semel quidem, quantum memini, admisit. Qua tamen magis etiam artificiosam *συμπλοκὴν* (*κοινότητα* Rutilii) bis habet, quamvis paululum inflexis verbis, II, 18, 33.:

Cum tibi nec frater, nec sit tibi filius ullus:
Frater ego et tibi sim filius unus ego —

et accuratius II, 30, 24.:

Hoc si crimen erit, crimen amoris erit.

Πολυπτώτου cum aliqua *ἀναφορᾶς* similitudine exemplum maxime memorabile III, 13, 48.:

Aurum omnes victa iam pietate colunt.
Auro pulsa fides, auro venalia iura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

Cui par alterum frustra quaeras; proximum tamen III, 22, 13. Cetera facilia et quae vel maxime incompta oratione sponte cui excidant, ut II, 9, 52.:

Mortem ego non fugiam morte subire tua.

Adde III, 5, 12. 15. III, 11, 16. I, 7, 9. III, 6, 15. IV, 1, 73. II, 23, 23. 20, 9. 32, 53. 55. IV, 10, 2. II, 26, 31. IV, 4, 35. II, 28, 7. 42. III, 8, 33. 25, 7. IV, 7, 92. Faciliora etiam, quae per pronomina vel particulas fiunt, quamvis densiora, ut II, 22, 39. sq. haec — haec — hic — hic — hic. Nec tamen praetereunda figura ad ἐπανάληψιν proxime accedens, IV, 6, 1.:

Sacra facit vates: sint ora faventia sacris —

cui similis specie, quamvis revera ἀναφορᾷ propior, ibid. v. 13.:

Caesaris in laudem ducuntur carmina: Caesar
Dum canitur cett. —

et III, 22, 13.:

Nox mihi prima venit: primae data tempora noctis. —

Quantum vero absit, ut his lusibus placere sibi Propertius videatur, inde optime sentias, quod ad irridendam falsae sapientiae loquacitatem hac ipsa figura, pleniore quam superiora sunt omnia, utitur. His enim verbis adversarium, cuius argumenta iam est destructurus, frustra sibi obloquentem facit, El. II, 18, 3.:

Si quid vidisti, semper vidisse negato:
Et si quid doluit forte, dolere nega.

Eodemque plane modo II, 8, 7., cum anaphora iunctum:

Omnia vertuntur: certe vertuntur amores;
Vinceris et vincis: haec in amore rota est.
Magni saepe duces, magni cecidere tyranni cett.

Alia res, cum in αἰτίοις origo nominum cognatis verbis illustratur, ut IV, 1, 10. 11. 12. 49. 50. 9, 71. ad fin. 11, 45.

§. 3. Ἀναδίπλωσις, συμπλοκή, aliae figurae, quae repetitione constant.

Contra ἀναδίπλωσις, sive continuo repetitam eandem vocem, sive alia interiecta exhibet, nihil cum logicis aut dialecticis rationibus commune habet, sed, quoniam solam affectuum vim prodit, quam tamen a ceteris huius generis figuris prorsus abesse nequaquam contendimus, recte inter vera poetica schemata recensenda videtur. Quamquam hic omittere eam noluimus, ne, quae repetitis verbis efficiuntur ornatus genera, diversis locis dissiparentur. Sunt autem pauca admodum et satis vulgaria eius exempla in Propertio, ut II, 3, 27. repetitum non; III, 13, 25.: Sat mea, sat magna est cett., quibus adde II, 30, 7. 21. 34, 17. 85. sq. I, 20, 32. Huc partim pertinet ἐπανάληψις, quae si simplex enuntiatum ab utraque parte circumtexit, ἀναδιπλώσεως

species videtur, sin bipartitae sententiae κῶλα opposita notat, ἀναφορᾷ cognata est. Prioris generis unum inveni exemplum II, 34, 41.:

Desine et Aeschylea componere verba cothurno,
Desine cett.

quamvis ad externam speciem ἀναφορᾷ hoc ipsum simile, nec tamen eodem referre dubito, paullo aliter, quam in libris vulgatis est, distinctis verbis II, 24, 41.:

Credo ego, non paucos ista perilisse figura:
Credo ego: sed multos non habuisse fidem.

Alterum genus habes II, 15, 36.:

Huius ero vivus: mortuus huius ero.

Praeterea, quamvis minus accurato verborum ordine, I, 10. init. II, 10, 41. III, 18, 22. IV, 5, 53. II, 22, 34. et, quae vera anaphora est, quamvis ἐπανάληψις videatur, II, 20. init.:

Quid fles abducta gravius Briseide? quid fles
Anxia captiva tristius Andromacha?

Πλοκὴ etiam et poeticam habet speciem et rhetoricam: rhetoricam si disiungit oppositas res, aut coniungit similes, ut II, 6, 41.:

Uxor nos nunquam, nunquam diducet amica,

quo pertinent II, 20, 23. 12, 13. 8, 27. 18, 29. 30. 27, 2. 3. IV, 2, 31. 4, 34. — poeticam, qua raro Tibullum usum esse Dissenius observat (p. LVIII.), cum intra unum ambitum ab initio insequentis versus finis superioris repetitur. Quae quamvis proprie nihil sit, nisi ἀναδίπλωσις, tamen extracta per duos versus sententia nescio quam verbis auctoritatem addit: in descriptionibus vero ubertatem iucundam, ut IV, 1, 63.:

Ut tumefacta meis superbiat Umbria libris,
Umbria, Romani patria Callimachi.

vel:

Tu mea compones et dices: ossa, Properti,
Haec tua sunt: heu, heu, tu mihi certus eras,
Certus eras, heu heu, quamvis cett.

Hoc flebile quid et singultui simile habet. Contra I, 3, 25.:

Omniaque ingrato largibar munera somno,
Munera de prono saepe voluta sinu —

veluti depingentis et in ea re, quae potissima videtur, diutius commorantis. Item ibid. v. 31. sq.:

Donec diversas percurrens luna fenestras,
Luna moraturis sedula luminibus cett.

Adde I, 11, 28. sq. II, 28, 25. sq. IV, 6, 67. II, 34, 85. et verbis aliquot interiectis I, 13, 14. 15. 15, 18. Quibus locis comparatis El. IV, 1, 77. sq. scripturam ex libb. mss. variis stribliginibus erutam a VV. DD. probamus hanc:

Me creat Archytae soboles Babylonius Horos,
Horos: et a proavo ducta Conone domus.

Haec sunt elocutionis figurae, sola verborum geminatione natae, quotquot in Propertio inveniuntur omnes.

Sect. II. *Σχήματα διανοίας.*

Nam *κλίμαξ* illius oratoriae (cf. Quintil. VIII, 4, 4. IX, 3, 55. Auct. ad Herenn. IV, 25. Aquil. Rom. p. 182. Ruhnk.), quae *ἐνθύμημα* quoddam argutum continet et divisione subtile, apud nostrum ne vestigium quidem. Contra poetica haec, quae velut impotens affectuum verba, quibus rei magnitudinem satis significet, frustra se quaerere simulat ideoque forti vocabulo fortiore semper imposito per gradus ad fastigium ascendit: haec autem ut nihil commune habet cum illis geminatarum vocum ludibriis, ita Propertio satis est frequens. Nam ne de aliis locis dicam, fortissima et per *ἐπανόρθωσιν* supra omnem modum aucta sunt I, 13, 29. II, 15, 37. et quae tota paene in hac figura versatur El. II, 3. Hoc igitur genus, sicuti omnia, quibus repraesentatorum sensuum evidentia quaeritur, iam ad eas figuras pertinet, quae poetae propriae, in oratore arcessitae videntur — si modo omnino fuerint figurae. Nam cum sempiternum artis et cogitationis sit certamen, et poeta contra rationis frenos nitens rumpere hos et pro nudis rerum notionibus imagines rerum ponere conetur: et proprietatem verborum suis inventis miscet, et solitum continuae orationis ordinem saepe turbat. Nec tamen has equidem figuras dixerim, nisi usus a rhetoricae magistris traditus id dictaret. Oratori enim revera sunt figurae et ornamenta, ut supra significavimus, a poesi mutuo sumpta: in carminibus vero, si accuratius inquiras, non solum verba et dicendi formam iis mutari invenies, sed res etiam et argumenta. Nam, ut exemplo utar, quamvis eandem saepe vim negatione et interrogatione, quam aiunt, rhetorica adipisci tibi videaris, tamen nequaquam perinde est in lyrico carmine, hac an illa utaris. Interrogatione enim sublata non modo ornatum aliquem tolles, sed rem mutabis. Nam haec quidem ipsa, si quid video, poetici argumenti pars est: animi dissidium internum quod efficacius verbis exprimi non potest, quam si diversas sententias diversis quodammodo personis tribuas, quarum altera

quaerat, altera tacendo consentiat. Quod in reliquis fortasse magis etiam quam in hac est perspicuum. Ut verbo dicam, ex oratione tollere potes ornatum, oratio manebit, ut si ex aedificio magnifice instructo fastigiorum et intercolumniorum statuas vel tabulas parietibus inclusas sustuleris, semper manebit aedificium. Contra, cum ex poemate verbum demes, non aliter est, ac si signi cuiusdam pretiosi membrum frangas: mutilum enim erit utrumque. Iam vero omnia membra signo, omnes, quas figuras appellant, poemati adime: in illo omnino nihil, in hoc poematis nihil supererit, sed frigida et carne detecta sententiarum quasi ossa. His enim ea carminis semina comparaveris, quae ex logica deprompta ab oratore mutuari coactum esse poetam supra scripsimus. Atque haec quidem causa fuit, cur nonnulla huius generis iam in inventione tractaverimus. Duplex autem harum figurarum species cum sit, quae collocatione verborum rationibusque grammaticis, et quae significatione apparet: dividere tamen haec et seorsim utramque tractare, nequaquam idoneum videtur, quoniam saepissime significatio verbi a proprietate deflexa novum parit constructionis genus. Itaque hac quoque disquisitionum parte, quam si quis grammaticam Propertianam dicere velit, non equidem impediam, publica illa, quae artis communi omnium usui destinatae scriptoribus conveniat, via relicta, solum poetae nostri ingenium intueri visum est, ut ad varias eius facultates tamquam ad certos quosdam locos omnem huius materiae partitionem referre atque temperare liceret.

§. 1. Interrogatio.

Affectuum igitur vehementiam, quae in nostro summa est, divisa quodammodo loquentis persona et ficto diverbio apparere iam attigimus. Hinc primum illa, quam dicimus, interrogatio oratoria, vulgaris quidem figura nec tamen omnibus pariter usitata (cf. Dissen. ad Tibull. praef. p. CXLVIII.), qua Propertius, si recte numeravimus, centies bis omnino usus est, si non totos locos, sed singulas sententias computaveris, solo libro secundo h. e. versibus 1362. sexagies bis, cum Tibullus duobus primis libris, h. e. versibus 1352. tantum vicies quater eam habeat. Hinc El. II, 14, 30. recte a Lachmanno restituta; III, 15, 21. a Iacobo; hoc loco etiam pro verbo servire — servare reposito. Efficacissimus autem in carminum initiis usus, ubi concitatum imprimis animum apparere capite superiore vidimus. Hic etiam per sex (I, 2. init. I, 16, 19—22.; sunt enim hi versus initium παρακλαυσιθύρου) atque adeo per

octo versus percontationes cumulat, ut I, 8. init. I, 11. init. et II, 23. statim post init. v. 2—10.

§. 2. Exclamatio.

Huic generi proxima exclamatio interrogationi interdum forma quoque simillima, qua tamen indignatio et admiratio fortius etiam exprimitur. Quo in genere vulgaria sunt, qualia habet I, 2. fin. 12, 12. 15. I, 15. fin. II, 24, 15. 26, 8. 15, 9. 22, 47. 23, 11. IV, 1, 56. 58. Digniora iam memoratu, cum in singulis nominibus subsistit et praegravante affectu nec sententia expletur, nec grammatica enuntiati ratio, ut II, 15. init. I, 10. init. II, 23, 45. III, 7. init. III, 32, 43. et obscuriore etiam sententiarum nexu, quo tamen ipso fortior appareat indignantis aegritudo, III, 11, 59.:

Hannibalis spolia et victi monumenta Syphacis
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes!

Cui cf. similia III, 5, 7. 11, 33. 12, 15. IV, 1, 97. et ἀποσιώπησιν usitatam, quamvis ea figura alibi non utatur Propertius, IV, 7, 63.: „di melius!“ Vides autem, quam paene eadem haec ratio sit atque appellatio, qua deos vel homines vel adeo res mutas nostrorum verborum testes advocamus, ut II, 16, 16.:

Iuppiter, indigna merce puella perit!

Cf. III, 4, 11. IV, 3, 43. Quocirca frustra tentatur I, 18, 27.: „divini fontes!“

§. 3. Allocutio.

Vera enim allocutio, qua Propertius nescio an frequentius quam Romanorum poetarum ullus alius usus sit (rarissime Tibullus, cf. Dissen. praef. p. CXLVIII.), eo solum illi generi distat, quod vocativo, sive quis alius casus eius vicibus fungitur, reliquam quoque orationem accommodat, ut si cum II, 16, 16. compares II, 2, 4.: „Iuppiter, ignoro pristina furta tua.“ Haec autem figura (ἀποστροφήν Graeci appellant), quae tamquam initium est sermocinationis, quoniam personam aut certam aut incertam, quacum agatur, a poeta fingi apparet, si per totum carmen pertinet, in epistolae formam transit, de qua vid. caput superius. Quamquam sunt loci, ubi tam leviter eum, ad quem missum videatur carmen, tangat, ut merito dubites, sitne illa epistolae indicatio, an subito facta orationis conversio, ut II, 10, 15., ubi vid. Iacob. II, 7. init. Aliis locis, ubi de epistola, quae proprie dicatur, ne cogitari quidem possit, eam modo ob causam poeta personam aliquam appellare videatur, ne solus secum interloquatur. Sic hospes, quem de originibus Urbis ex-

positurus appellat IV, 1, 1. et is, quem Vertumnus (IV, 2.) de nominis sui et cultus origine edocet. Nec, ut facile patet, huc El. III, 17. pertinet, quae tota ad Bacchum est conversa. Nunc vero eos solum locos recensemus, ubi passim et paucis verbis eum, de quo dicit, quasi cum eo sit locuturus, ut praesentem excitat, velut I, 1, 19. 25. 39. 17, 25. 18, 19. II, 2, 4. 13. 3, 34. 37. 38. 6, 19. 9, 31. 38. sq. 20, 29. 16, 4. 13. 10, 11. 14, 19. 25. 29. 25, 4. 12. 39. 26, 9. II, 27. init. 28. init. 59. 32. 49. 34, 65. 67. III, 1, 1. 7. 15. 19. 31. 2, 5. 4, 19. 5, 14. III, 16. fin. 7, 12. 15. 25. 28. 33. 56. 67. 71. 8, 37. 9, 44. 11, 68. 71. 13, 55. 57. 15, 19. 36. 39. 42. 18, 31. 19, 21. 24. 25. 20, 11. 21, 26. 28. 22, 20. 23. 23, 20. IV, 1, 1. 39. 48. 55. 62. 67. 114. 117. 2, 9. 59. 61. 3, 23. 4, 48. 59. 86. tuis, quod optimis libris tutum retinemus; ibid. 94. IV, 6, 12. 14. 76. 83. 7, 86. 8, 70. 9, 2. 71. 10, 5. 11, 51. 55. 63. 67. — De extremis enim huius carminis versibus vide quae infra dicentur. Huc etiam pertinet, cum a singulari numero ad pluralem oratio transit, ut iam non modo eum, quem initio poeta allocutus est, sed omnes, qui eadem sint conditione, alloqui se significet. Quam ob rem El. II, 16, 49. recte Burmannus omnium codicum scripturae vidistis patrocinatus est, iniuria a Broukhusio in vidistin' mutatae. Cf. II, 20, 15. 28, 13. III, 16, 44. 19, 2., quorum locorum ultimis duobus prorsus eadem ratio. Contra a plurali ad singularem transit El. II, 25, 47. coll. 39—44. Quae omnia si computaveris, usum hunc tam familiarem factum Propertio senties, ut duriora etiam et magis abrupta aequius feras, qualis est II, 22, 43. subita illa ad superbam puellam conversio, et rectissime a Lachmanno II, 28, 33. distincta esse verba intelliges.

§. 4. *Προσωποποιΐα.*

Iis porro locis, ubi mutas res alloquitur, prima quodammodo semina habet προσωποποιΐας, ut II, 13, 16.:

Hic locus est, ubi tu, tibia docta, sones.

Sic III, 7, 26., ubi arena, IV, 6, 9., ubi fraudes invocantur, quibus cf. IV, 4, 31. sensuum intimorum plenam orationem. Apertius autem et explicatius III, 7. pecuniae imploratio invidiosa et, ubi veterum fabularum memoria commode succurrit, I, 18, 19. IV, 1, 39. 87. 115. II, 3, 34. Sic urbes et regiones invocat, ut II, 4. init. Spartam; IV, 10, 27. Veios; III, 22, 23. Anienem, et allegoriae proximum IV, 11, 38.:

Sub quorum titulis, Africa tonsa, inces.

Nam Romae appellatio in poeta Romano iam vulgaris (cf. IV, 1, 67. 87. 4, 35. 11, 37. 10, 10. 2, 49. III, 11, 55. 49. 22, 20.). In tanta igitur ἀποστροφῆς facilitate cave tangas IV, 8, 38. locum ingeniosius quam verius a VV. DD. tentatum.

§. 5. Verbi personae mutantur.

At ne obscuriorem quidem orationem efficere hac figura timet, quod tum praesertim eveniet, cum eum, ad quem repente se convertit, nomine non appellat. Nam ne de El. II, 1. dicam, quam cum Maecenati inscriptam esse v. 17. sqq. certissime doceant, tamen initio omnes alloquitur poeta, quicunque scripta sua legerint: sed de hac ne dicam, El. II, 8, 13. in epistola ad amicum scripta subito cum Cynthia iurgatur, et, quod maius etiam est et insolentius, postquam v. 17. ipse secum quaedam locutus est, v. 25. nullo novae ἀποστροφῆς indicio repente aemulum suum petit. Quod adeo interpretes fefellit, ut Propertium puellae suae mortem minitari opinarentur, quamvis exemplum Achillis mox subiectum tali sententiae mire refragaretur. Atqui prorsus eadem causa agitur El. II, 9. fin., ubi cum usque ad v. 45. puellam persona secunda significasset, aemulum contra tertia (v. 48.: ille vir), iam in fine hunc ipsum alloquitur, nequaquam tamen illic ambigua sententia. Adde praeterea II, 25, 21. et rursus 29. Multo vero et obscurior ratio et intricatior El. II, 30., ubi v. 1—12. secum ipse sermocinatur advocata subinde (v. 14.) puella, v. 19. denuo ad se revertitur, donec secunda verbi persona in primam mutata (v. 23.) rursus in fine Cynthiam alloquitur. Similiter etiam II, 32., ubi per totum carmen amicam sec. pers. appellat, praeter v. 25., ubi ipse secum agit, quamvis uno impetu v. 27. eadem verbi forma non se sed Cynthiam intelligat. Cui par inconstantia El. III, 4. init., ubi uno tenore haec leguntur: Arma — Caesar — meditatur; magna, viri, merces; Tigris et Euphrates sub tua iura fluent. — Ite, agite — date. Item III, 7. init. Tu, pecunia — Paetum — obruis; nam dum te sequitur, excidit aevo; v. 11.: Sed tua (Paeti) nunc volucres adstant super ossa marinae, et III, 11, 36.: Tres ubi Pompeio detraxit arena triumphos, Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam. Issent Phlegraeo melius tibi (Pompeio) funera campo cett. Eadem de causa El. IV, 11. argumentum minus nobis, quam vulgo solet, probatur. Ita enim ab alia persona ad aliam ἀποστροφὴ discurrit, ut praesentes omnes, qui simul appellantur, cogitari natura loci, ubi causa agi fingitur, ipsa vetet. Hac autem affectuum

mobilitate si interdum solitae grammaticorum normae turbantur, non mirum. Nam quod verbi personas allocutione mutari derepente diximus, hoc non semel interpretes transversos egit. Fit enim secunda persona de tertia non eo modo, quem significavimus, loco, sed etiam I, 3, 22. coll. v. 7. sqq. 22, 6. II, 8, 14. coll. 12. 18, 17. 3, 23. 9, 15. 52. coll. 48. 13, 18. 15, 10. 23, 5. coll. 7. 12, 17. sqq. (coll. v. 6.) 26, 44. coll. 41. 28, 11. coll. 1. 33, 21. coll. 1. III, 1, 13. 10, 11. coll. 3. 7, 11. 11, 36. 37. Itaque recte Lachmannus III, 2, 15. omnium codd. scripturam est poetae reddidit et III, 13, 42. correctionem Scaligeri versis pro vestris improbavit, ut iure mireris, quod nec idem hic nec Iacobus unice verum esse senserunt, quod III, 7, 1. optimus quisque librorum mss. exhibet: Gavisa est certe, sublatam Cynthia legem. Cf. commentarios ad e. l. Broukh. ad II, 24. (i. e. 33.) nos in Annall. Hall. a. 1839. p. 1012. n. *), ipsum Lachmannum ad IV, 1, 55. (i. e. III, 2, 15.) III, 21, 10. (i. e. II, 27, 10.) IV, 12, 42. (i. e. III, 13, 42.). Rarius utique remisso affectu aut superante alio a secunda persona ad tertiam oratio descendit. Adsunt tamen complura exempla et in quibus nemo haeserit: vid. I, 8, 25. II, 17, 18. coll. v. 13. III, 7, 11. et 17. sqq. coll. 25. et 47. sqq. III, 19, 21. 23. IV, 9, 7. 72. coll. 73. et cum superiore specie iunctum II, 3, 23. 16, 11., ubi v. 23. iterum ad secundam redit; II, 34, 25., ubi persona sec. usque ad v. 22. obtinet; deinde v. 24. sequitur: „Lynceus — insanit“; iam vero a v. 20. iterum secunda. Eadem ratio v. 67. „Tu — canis“; v. 75. „quamvis — ille requiescat — laudatur“; v. 77. „Tu canis — tale facis carmen“; v. 83. „nec minor — cessit olor“: omnia de eodem Virgilio. Singularius etiam, quamvis universorum codd. auctoritate tutum, II, 27. init.: „Vos mortales quaeritis — quae sit stella homini commoda“ cett. — „seu Parthos sequitur“ cett. — „rursus et — fletis tumultum, — praeterea domibus flammas, neu subeant labris pocula — tuis.“ Quare etiamsi El. I, 3, 27. duxit pro duxti librariorum errore exaratum esse concedamus (quamquam et multi codd. id tuentur nec infimae notae), certum tamen est El. II, 33, 35. legi: „Me miserum, ut multo nihil est mutata Lyaeo“ — quamvis antea Cynthiam sec. persona allocutus esset. Quinimmo hic aliquid virium figura inde habet, quod admiratione obstupefactum et quacum agat, obliviscentem se fingere poetam patet. Itaque statim v. 36. ad pers. sec. redit. Cf. praeterea commentarios ad III, 11, 56. 18, 7. IV, 11, 39. — Ceterum hoc quoque iam attigimus, Propertium non modo alterum alloqui, sed tanquam in duas

personas divisum se ipsum. Quod apertissimum, ubi animam suam hortatur, ut III, 11, 11. II, 5. init. ibid. 15. II, 8, 17. II, 30. init., quem locum supra iam commemoratum ad v. 19. eius carminis accuratius etiam tractabimus. Adde II, 32, 25.

§. 6. Sermocinatio.

Haec autem ratio ab ea figura, quam sermocinationem appellant, h. e. a fictione incertae personae, quae nobis obloquatur, tam prope abest, ut saepe, utro genere poeta usus sit, dubites. Nam ab initiis praesertim carminum adversarium nescio quem loquentem induci, quam sibimet ipsum quasi disputantem significari rectius credideris, ut est II, 3, 1—4. 4, 1—4. 8, 7—10. 18, 1—4. 24, 1. 2. 8, 7—10., locus a VV. DD. non intellectus. Sed cf. quae de hoc genere in dispositione diximus. Huc etiam pertinet, cum aliorum quaestionibus, quas ipse fingit, statim responsa subiicit, ut IV, 2, 1. II, 22, 14. sqq. I, 22. init. IV, 8, 36. III, 13. init. II, 1. init. II, 27. init. Quocum cognata El. I, 18., ubi sibi interroganti ipse per singulos versus respondet.

Nec desunt loci, ubi certa persona loquitur, omisso tamen, quo id indicetur, verbo; unde praeruptior saepe oratio fit et subobscura. Sic III, 6, 19., ubi Cynthia per Lygdamum nuntium loquitur, et II, 32. init., quae item Cynthiae verba debent existimari. His adde IV, 7, 13. sqq. III, 3, 39. oratio Calliopae; IV, 1, 53. Cassandrae; ibid. 71. horoscopi, quod solus Gruppius non sensit; IV, 5, 21. lenae; IV, 6, 60. Caesaris. Denique quod vel surdissimas interpretum aures fugere potuisse mirum est, ipsius Propertii versus a lena in ludibrium poetae recantantur IV, 5, 55. sqq. Media autem inter hanc et superiorem interposita ea est confirmationis species, ubi certa quidem persona infertur, sed quae nomine omisso generi alicui accommodatur, veluti infelix amator El. I, 16, 17. sqq.

Hinc tenui solum discrimine segregatur dramatica argumenti forma, cuius tamen perfectum exemplum unum solum extat II, 6., de quo in dispositione egimus. Contra id genus, ubi per totum carmen unius personae ficta pertinet oratio, ter apud Propertium invenitur; I, 21. Gallus moriens; IV, 3. Arethusae epistola; IV, 11. Corneliae oratio. Vera προσωποποιΐα — antiquo dicendi usu — de qua in inventione satis commemoravimus, I, 16. Ianua queribunda; IV, 2. Vertumnus.

§. 7. Modi verborum permutantur.

Modorum autem in verbis commutatio et transitus imprimis ab oratione, quam dicunt, indirecta ad directam factus, ut

eidem indoli est accommodatus, ita et omnibus poetis communis usus, et in Propertio rarior fortasse, quam expectes, sive hic latinitatis reverentia minus sibi indulsit, sive aliis figuris occupata ea licentia ne occasionem quidem invenit. Nam ne in interrogatione quidem, ubi vel usus vulgaris plurima concessit, saepe indicativum coniunctivo permutat, velut El. III, 5, 25—46. 6, 9—18. II, 16, 29. 30, 29. 30. Cf. praeterea commentar. ad El. I, 2, 9. Ab infinitivo autem ad verbum finitum nunquam transiit. Praeterea eae coniunctiones, quae coniunctivum assidue sibi postulant, coniunctivum ubique habent sequentem: iis rursus, quarum minus severa in carminibus norma, id solum concessit, ut, ubi versus elegiaci numero commodior esset indicativus, hunc potius quam coniunctivum sumeret. Itaque, ubicunque quamvis cum indicativo positum invenitur, coniunctivum nisi metro pessumdato substituere non poteris, ut I, 18, 13. II, 24, 38. 8, 27. IV, 7, 49. III, 19, 28. II, 8. extr. Contra, ubi ad versum perinde est, qua forma utaris, semper invenies coniunctivum, ut I, 8, 37. 3, 13. II, 3, 9. 25, 29. 33. 9, 7. I, 3, 12. 19, 17. II, 34, 75. 32, 35. Praeterea usus legitimus: I, 10, 7. II, 17, 17. 24, 8. 7, 3. 9, 44. IV, 7, 49. Quem usum accuratissimum eo magis admiratione dignum censemus, quod apud eundem Propertium particula „quamquam", cuius vicibus haec altera fungitur, nusquam invenitur.

Eodem modo in particula cum paene Ciceroniani sermonis proprietatem sequi Propertium dicas. Nam ubicunque causam significat, semper habet coniunctivum, ut I, 5, 28. 2, 27. 13, 29. II, 25, 24. II, 25. extr. III, 12, 18. II, 18, 33. IV, 8, 27., ubi conditionem (II, 1, 11. IV, 8, 10. 30. 76. II, 26, 25. 2, 7. 3, 19. 33, 37. III, 23, 18. 21, 7. 32, 9. 16. 8, 29. 15, 31. IV, 2, 18. 29. 3, 65. ibid. 47. et 29. 4, 76. 5, 44. 52. 7, 88. 8, 6. 11, 3.) vel actionem iteratam, pro quo item quotiescumque possis dicere, vel ubi tempus futurum definitur proxima conditionalibus enuntiatis ratione (II, 13, 30. I, 8, 16. 5, 14. IV, 11, 80.), semper aut indicativum futuri aut futurum exactum, ut II, 29, 15. II, 17. extr. IV, 3, 71. 1, 141. Quorum locorum consensu motus, nunc IV, 6, 72. aliter atque in interpretatione Germanica accipio. Cf. commentar. ad e. l. In concessione contra semper habet coniunctivum, ut II, 21, 1. 18, 19. III, 22, 8. II, 33, 23. III, 9, 24. IV, 3, 1. Nam quod El. I, 1, 8.: „cum tamen adversos cogor habere deos" possis obtendere: illic vero cum temporale est et ad toto anno pertinet, concessio solo vocabulo tamen continetur. Tempus

vero praeteritum duplicem habet eius particulae usum. Nam aut interrupta aliqua sententia significatur, quo in genere semper indicativum invenies, ut II, 26, 20. IV, 8, 49. 51. 72. 6, 27. III, 3, 14., aut in continua narratione idem fere est atque „quo tempore.“ Hic vero iam in prosa oratione tam tenuia sunt utriusque modi discrimina, ut Propertium quoque pro lubitu hic variare consentaneum sit. Neque enim indicativum (I, 22, 5. 10, 1. 3. II, 33, 9. III, 7, 40. IV, 11, 50. II, 29, 26. 9, 15. IV, 10, 24. 3, 12. III, 9, 41. IV, 1, 43. 4, 41. 8, 2.) multo rarius habet quam coniunctivum, qui extat II, 29, 1. 9, 26. 15, 14. 30, 18. 21, 4. 18, 11. ibid. 5. 7, 56. IV, 11, 10. 53. 4, 10. 1, 18. 99. 89. 129. 7, 5. Quibus locis quominus quis subtiliorem significationis differentiam rimetur, El. II, 14. init. impedit, ubi coniunctum utrumque invenis: „Non ita — gavisus Atrida est, cum caderent L. opes. Nec sic — laetatus Ulixes, cum tetigit — litora Dulichiae“, ubi diversas sententias investigasse nisi apertus cavillator videri sibi non poterit. Restat elegantior usus, ubi cum idem sonat, quod vulgo ex quo, ut El. II, 20, 21. III, 15, 7. II, 16, 53., atque exquisitior etiam, quem breviter Iacobus attigit ad El. III, 8, 71., nos ibidem explicatius illustravimus, ubi post sentiendi et declarandi verba accusativum cum infinitivo aut enuntiatum relativum expectaveris, ut IV, 7, 36. „Sensi ego, cum insidiis pallida vina bibi“ et quod Iacobus recte me iudice loco superiore restituit: „Odi ego, cum nunquam pungunt suspiria somnos.“ Utraque ratio indicativum postulat.

Vides igitur, quanta in hoc genere Propertii sit proprietas. Quocirca iure suo Iacobus El. II, 34, 1.: „cur quisquam — credit?“ restituisse videtur pro eo, quod superiores criticos secutus Lachmannus antea spreta librorum auctoritate tentaverat, credat. Quamquam argumentum viri doctissimi non probo. Pronomen quisquam enim in interrogationibus et apud alios et apud Propertium semper habet indicativum. Cf. El. II, 23, 3. 25, 22. 32, 41. et comment. ad e. l. Haec de modis.

§. 8. Temporum permutatio.

Iam in temporum usu plus affectibus et repraesentandi evidentiae, fortasse etiam metro dedit. Itaque in descriptione continua praeteriti tempora, licentia omnibus poetis concessa, ita miscet, ut significationes diversas iis extricandas sponte relinquam, qui dum spinas legunt, subtilissimi sibi videntur; siquidem El. III, 13. haec habet una serie posita: munus erat, dedere, operibat, creverat, circumdabat,

fuerat, reduxit, praebebant. Et ita passim. Aliter, cum aut per ambitus orationem circumducit, aut certis particulis praepositis incidit: tum enim accuratissimus est, ut El. II, 1. init. I, 3, 19. sqq. haerebam — et modo solvebam, ponebamque — Et modo gaudebam — nunc dabam — Omniaque largibar. Rursus tamen, simulatque aliud enuntiatum orsus est, v. 28. obstupui, non de uno facto (tum enim maxime esset proprium), sed de repetito dicit. Eadem diligentia in enarratione singulorum factorum, ubi imperfectum pro perfecto positum Romanis auribus subabsurdum sonaret. Cf. omnino El. IV, 9. Huc refer III, 3. init., ubi Gruppium portenta somniantem in Annall. Hall. l. l. castigavimus. Verum haec iam vulgaria. Neque igitur praesens historicum cum perfecto mixtum, neque imperfectum coni. in enuntiatis conditionalibus pro plusquamperfecto usurpatum, et rursus perfectum ind. pro eodem modo (quae omnia coniuncta videas El. III, 7, 43. sqq. et II, 13, 49. 50.) nisi praetereundo attingere visum est. Hoc tamen Propertii proprium et nescio an singulare, quod praesens non modo pro perfecto historico ponit, sed pro vera actione absoluta. Quale est IV, 1, 77.: Me creat Archytae soboles, ibid. 121.: Umbria te edit; deinde pf. 127.; rursus praesens 128.; perfectum rursus 130. iterumque praesens 133. 134. Quamquam in his extremis verbis iam narrationi similis fit sermo. Adde IV, 2, 3.: Tuscus ego: Tuscis orior. IV, 4, 54.: nutrit pro nutrivit. Quare non erat, quod El. II, 7, 2.: Qua quondam edicta flemus uterque diu, aut II, 15, 3. narramus ibidemque v. 9. mutamus coniecturis tentarent, aut pro contractione perfecti obsoleta et Ennianis versibus digna haberent. Aliter tamen fortasse audit pro audiit IV, 9, 39., ubi v. adnotata. — De infinitivo vero perfecti ἀορίστως posito non esset quod dicerem, cuius usum poetis elegiacis tam frequentem utili his versibus formae maxime deberi Gruppius non inepte suspicatus est, nisi Propertius ulterius etiam progressus tum duplicaret perfecta, veluti I, 17, 1.: potui fugisse puellam (cf. II, 16, 3. 13, 11. sq. III, 5, 19. sq. alia II, 19, 32. III, 13, 20.), tum vero etiam res, quae in eo essent, ut fierent, tamquam vere factas animo videretur occupasse. Itaque non intra infinitivum substitit, sed participium quoque perfecti ponit, ubi praesens aut gerundium expectaveris. Quale est illud I, 1, 9., quod interpretes parum videntur curasse: „At vos deductae quibus est fallacia lunae", h. e. quorum fallacia in luna deducenda, iam iamque deducta apparet, vel si per infinitivum solvas: qui soletis deducere atque adeo dedu-

xisse. Cf. I, 17, 7.: „Nullane placatae veniet fortuna procellae“; IV, 3, 63.: „Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris“, ubi de futuro tempore agitur; III, 12, 3.: „Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi“, in quo loco propter eius usus ignorantiam pessime lapsus est Nobbius. Cf. Quaest. L. III. cap. 3. Adde II, 7, 6. de quo infra rursus erit dicendum.

§. 9. Numeri permutatio.

Hactenus igitur illa, quae videri vult, negligentia dicendi et affectuum impetum et evidentiam adiuvat. Restant figurae, in quibus eadem inconstantia solius varietatis laudem expetere videtur, nisi forte etiam versum commodiorem. Hinc numeri pluralis et singularis primae personae permutatio, tam frequens Propertio, ut saepissime in uno eodemque circuitu utraque forma promiscue utatur, ut III, 16, 1.: „Dominae mihi venit epistola nostrae“; I, 1, 33.: in me nostra Venus; III, 16, 7.: si haec distulero nostro timore. Adde I, 5, 21. 22. II, 30. extr. IV, 11, 45. 46. I, 18, 17. 18. 18, 11. 13, 1. 2. II, 13, 3. 7. 8. IV, 5, 17. I, 19, 5. 6. IV, 8, 27. 28. I, 7, 23. 24. II, 13, 17. 18. 18, 19. 20. I, 21, 2. 3. IV, 7, 47. 48. II, 7, 13. 14. III, 20, 10. 8, 5. 6. II, 1, 3. sqq. I, 10, 13. 14. II, 8, 1. 2. 5, 3. 4. 24, 5. 6. 14, 31. 32. I, 12, 1. 2. III, 15. extr. II, 24, 51. III, 9, 35. 36. II, 1, 55. 56. I, 12, 5. 6. 17, 11. 12. III, 5, 4. 5. I, 15, 3. 4. II, 24, 21. I, 11, 23. 24. 1, 21. 22. IV, 5, 63. 64. II, 34, 26. IV, 1, 58. Quae exempla numero adeo sunt multa, ut hanc ipsam inconstantiam paene moris factam esse Propertio dixeris. Quamquam non assequitur eam veterum audaciam, qua Terentius Eun. IV, 3, 7. absente nobis et Catullus (LIII, 5. 6.) insperanti nobis coniungere non sunt veriti.

§. 10. Hyperbaton.

Ad eandem originem referendum est hyperbaton, non illud, quo tenacior fit versuum textura (de eo enim genere in compositione dicendum), sed hoc, quo aut verborum impetus aut brevitas efficitur, simulque versus, qui aliter fortasse stare non potuerit, fulcitur. Quae licentia si permixtis pro lubitu verbis ipso evidentiae studio obscuriorem reddit orationem, vitii nota haudquaquam eximenda est, velut III, 13, 55.:

5 1 8 2 3 7
Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
4 9 10 11 6 12
Nutrit in hospitio non Polydore pio —

quamvis hoc quidem exemplum excusationem habeat a nominibus propriis versui non facilibus. Cf. III, 15, 22. Neque vero, etiamsi non Ovidii more ea insolentia iactare se de industria videtur, tamen ne alias quidem hac parte anxius est, neque dubiam primo aspectu sententiam efficere reformidat, ut II, 16, 7.:

Quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet.

Cf. praeterea II, 15, 54. 16, 24. 20, 7. 25, 52., ubi v. comment. III, 7, 19. sq. 10, 30. Itaque, quod saepissime fraudem fecit interpretibus, cavendum est, ne proxima quaeque verba temere coniungantur. Nam ne illud quidem, quod assidue solent grammatici efflagitare, ut nomen aliquod, ab alio nomine eiusque attributo inclusum, ad hoc ipsum potius, quam alio referatur, a Propertio ubique observatum invenies. Siquidem I, 3, 42.:

Fallebam — somnum — Orpheae carmine fessa lyrae,

vel III, 16, 7.:

At si haec distulero nostro mandata dolore,

ubi, quomodo verba coniungenda sint, aperte sententia docet. Cf. ad El. IV, 3, 53. ibid. v. 20. Hinc El. III, 13, 7.:

Et Tyrus ostrinos praebet Cadmea colores,
Cinnamon et multi pastor odoris Arabs,

nec coniectura tentandum est, nec tamen, quod putidum esset, pastor odoris coniungendum. Vid. comm. ad e. l. Quibus exemplis vix durius videtur, quod III, 1, 3. sq. legitur: „Primus ego ingredior — Itala per Graios orgia ferre choros", ubi si per cum Graios iungas, omnis metaphorae evidentia tollatur. Quare explicandi rationem iam in ea dissertatione, quae Halberstad. 1836. prodiit, in interpretatione Germanica viri doctissimi instinctu deseruisse nos nunc poenitet. Sed de hoc quoque loco cf. commentar. Durior autem hercle atque insolentior multo praepositionis collocatio est El. I, 21, 9. 10.:

Et quaecunque super dispersa inveneris ossa
Montibus Hetruscis,

ubi tamen de sententia ambigi non potest; item III, 4, 18.:

— spectare incipiam
— subter captos arma sedere duces.

Adde II, 10, 22. IV, 8, 31. I, 6, 8. 22, 3. 4. III, 7, 21. sqq. ibid. 28. et cf. ad El. IV, 11, 43. 44. I, 16. extr.

Neque vero illud vulgare, quod interdum aliis verbis interiectis pronomen relativum vel demonstrativum ad nomen

remotius refertur, quamvis alterum nexui grammatico fuerit paratius, ut II, 22, 7. sqq.: „Candida — si qua — sedet — sive — crines in frontibus errant —, quos — gemma tenet. Quae si forte aliquid — negarit“ —, vel I, 3, 11., ubi statim post facem (10.): „Hanc ego conor adire“ ad Cynthiam refertur, quae erat v. 8. Sed multo etiam audacius, quod iam Lachmannus observavit, III, 4, 15. sq.: Spectare incipiam — et titulis oppida capta legam — Tela fugacis equi cett. Cui cf. IV, 2, 41. 7, 51. 53. — In hac autem licentia iure mireris, quod aliud genus, multo facilius et cuius apud Tibullum exempla inveniuntur numero infinita, rarissime admittit, cum iuxta positis duobus enuntiatis nomen aliquod, quod utrique commune est et ad explendam prioris commatis sententiam necessarium, in sequenti demum, nec tamen in fine utriusque ponitur, ut I, 6, 29.:

Non ego sum laudi, non natus idoneus armis.

Cf. I, 6, 8. 8, 41. III, 11, 65. 71. all.

§. 11. Supplentur verba durius.

Contra graviora audet, cum transpositione simul brevitas efficitur, h. e. cum ex enuntiato aliquo secuturo nomen ad superius apud animum suppletur, quamvis illa non copulandi vel adversandi particulis iuncta sint, sed aut concessivis aut causalibus aut quacunque alia ratione, ubi severior latinitatis norma in priore enuntiato ipsum nomen, in altero pronomen collocare solet. Nam ne de usu coniunctionis tamen dicam, Ovidio et Virgilio etiam in hoc genere tritissimo (ut III, 15, 35.: sera — tamen pietas cf. III, 4, 5.), frustra apud Tibullum talia quaeras, quale est II, 26, 25. 26.:

Nam mea cum recitat, dicit se odisse beatos:
Carmina tam sancte nulla puella colit,

quo singularius etiam, quia non idem saltem casus ut in superiore intelligitur, II, 24, 35.:

Tu mea compones, et dices: Ossa, Properti,
Haec tua sunt cett.

Quare nunc El. III, 19, 17. 19. ad genitivos Medeae et Clytemnestrae ex v. 15. crimen accusativo casu supplere non dubito, ubi idem verbum in nominativo legitur. Nam durius etiam et paene cum zeugmatis specie II, 13, 55.:

Illis formosum (Adonim) *iacuisse paludibus, illuc*
Diceris effusa tu, Venus, isse coma.

Cf. II, 28, 5. 29, 5. 6. IV, 1, 36.

Hos autem locos si comparaveris, leve tibi videatur, quod in emendatione El. IV, 4, 55. sim ex eo, quod in sequenti hexametro positum est sint, repetendum esse diximus. Multo enim illic constructionis ratio expeditior. Huc etiam referendum neque in secunda demum sententiae parte positum, cum ad utramque pertineat, I, 8, 41. Huc El. IV, 1, 87. dicam sero positum, cum iam v. 83. intelligeretur: huc, ubi aut pendere in medio verbum videtur, ut II, 3, 6., aut in eodem enuntiato semel ponitur, quod bis diversa forma intelligatur, ut IV, 3, 54. III, 10, 12. 18, 28.; singularius tamen in pronominibus, ut I, 6, 22.:

Nam tua non aetas unquam cessavit amori,
Semper at armatae cura fuit patriae (sc. tibi),

vel, ubi simul cum pronomine etiam verbum substantivum omittitur, II, 28, 12.:

An contempta tibi Iunonis templa Pelasgae,
Palladis aut oculos ausa negare bonos —

ubi tu intelligendum, unde sponte sequatur es. Adde I, 8, 5., ubi eam desideres; I, 13, 8. post adire supplendum eam ex eo; III, 16, 4. ei; 18, 12. eum. Rarius etiam accusativus ἀπὸ τοῦ κοινοῦ suppletur post ea verba, quae sine accusativo ne cogitari quidem possunt, ut II, 24, 49.:

Noli nobilibus, noli conferre beatis.

I, 12, 10. dividit, fortasse etiam I, 16, 13. deflere. Add. I, 10, 11. II, 24, 31., ubi contra libros se interserunt. Vides brevitatis studium. Nam si quis rerum et sensuum copia abundans hanc omnem explicare et simul tamen animum commotum incitato orationis cursu testificari vult: ut quantum rebus addiderit, tantum verbis subtrahat, necessario sequitur. Itaque cum verba properantia suas divitias non capiant, brevitatem et dicendi compendia in Propertio frequentiora inveniri, quam in ullo alio poetarum Romanorum, consentaneum est.

§. 12. Ellipsis.

Vera tamen ellipsis non ita frequens, nisi quod verbum substantivum passim omittitur, durius fortasse solito II, 27, 11.:

Solus amans novit, quando periturus et a qua
Morte.

Neque ego aliud quidquam praeter verbum substantivum intelligo, ubi verborum contextu simplex eius significatio in diversos paullo usus deflectitur, ut IV, 8, 64.: Hoc unum, ubi vel deerat vel supererat suppletur, non quo id ubique

intelligi possit, sed quia, quod statim sequitur: „iusso non moritura die", verbum esse in contrariam significationem converti cogit. Itaque IV, 3, 51. loco varie sed frustra tentato: Nam mihi quo? non opus est vel prodest, sed simplex est supplere satis, quamvis illud ipso orationis nexu iuvandi significationem sponte accipere concedamus. Item III, 18, 21., versu et ipso frustra a Lachmanno impugnato: „Sed tamen huc omnes, huc summus et infimus ordo" per adverbium illud verbum *esse*, quod facile intelligitur, tacite et paene furtim in eundi significationem transit, prorsus eodem modo, quo III, 5, 30.: in nubes unde perennis aqua? Add. II, 29, 31. Verum haec iam ad praegnantem praepositionum usum pertinent, de quo infra plura. Rarius etiam verbum activum simplicissimum i. e. facere apud animum intelligitur, ut in illo: di melius IV, 6, 65. De omissis autem dicendi verbis satis supra commemoratum.

§. 13. *Ἀσύνδετα* in locis communibus. *Ἐνθυμήματα.*

Contra maximi momenti cum ad ingenium Propertii illustrandum, tum ad interpretationem et rem criticam, coniunctionum est omissio. Haec enim licentia non modo in caesis sententiis obtinet, nec in artis duntaxat coniunctionibus invenitur, aut ubi affectus sunt concitatissimi, sed ubique et in omnibus. Nam ne de copulativis dicam, quos pro lubitu modo addit, modo relinquit (ut III, 9, 53. 54. deinde 55. et 56. IV, 1, 82., quod nec mutilum nec interpolatum esse docebimus; IV, 6, 26., ubi cum optimis libris et omisimus; IV, 7, 19., ubi pro eo est recepimus; III, 4, 13. vero Mureti commentum non inelegans: onerato — axe cum novissimis criticis exulare iussimus. Cf. praeterea Iacob. ad IV, 5. i. e. III, 6, 22. et quae ad IV, 7, 57. coniecimus) — sed ne de his dicam, particulas nam et enim, ubi simplex causa significanda erat, paene de industria videtur neglexisse, siquidem hanc, quam secundo loco posuimus vocalem plus nonies in universis carminibus legisse non meminimus. Neque igitur exemplis ad eum usum probandum indigemus, quamvis satis in alio poeta dura videantur, quae Propertius II, 13, 46. I, 4, 17. 25. II, 15, 12. 16, 11. IV, 11, 2. III, 16, 44. 45. 46. *ἀσυνδέτως* componere non veretur. Contra mirum, si quis ob eam causam depravatum locum existimet, qualis est II, 21, 14. Quocirca II, 19, 32. e libris non infimae notae Propertio reddere non dubitavimus: Absenti nemo non nocuisse velit, ubi v. comment. Hanc autem veluti legem scripsisse sibi poeta videtur, ut vel ante exempla vel ante locos communes, unde argu-

menta dictorum repeteret, perpetuo coniunctionem causalem vellet abesse, in exemplis vero interdum simul cum hac etiam comparativam. Sic IV, 9, 57., de quo vid. infr. et II, 1, 42. 37. loco iniuria suspecto. In utroque genere causa brevitatis manifesta. Nam loci communes, quas sententias nunc appellant, tum maximam probandi vim habebunt, si nude positi proverbiis simillimi videantur, ut I, 2, 8.:

Nudus Amor formae non amat artificem.

Adde ibid. v. 26. I, 6, 12. 27. 7, 26. 8, 41. 9, 11. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 34. 10, 21—24. 25. 26. 27. 28. 29. sq. 12, 16. 18. 14, 15. 16. I, 16. extr. 19. extr. 20, 3. II, 1, 57. sq. 3, 8. 39. 4, 9. 17. ad fin. 5, 11—13. 7, 3. 8, 3. 47. 9, 31. sq. 14, 19. sq. 15, 12. 23. 16, 47. 17, 9. sq. 18, 22. 25. 22, 14. 17. 22. 28. 45. sq. 23, 12. extr. 24, 40. extr. 24, 40. 47. 25, 27. sq. 38. 47. sq. 26, 27. sq. 27, 11. sq. 28, 7. sq. 13. 34. 57. sq. 30. II, 30. omne initium; 25. 32, 25. 33, 33. sq. 34, 3. sq. 24. 30. 36. III, 8, 10. 23. sq. 16, 11. sqq. 17, 3. sqq. 19, ubi v. 1—10. veram declamationis propositionem continent; III, 20, 21. 22. 23. Quae exempla cuncta posuimus, non quo omnia plane ad id, quod nunc tractamus, genus pertineant, sed ut loci communes, quos inter lumina orationis cum ceteris figuris vulgo solent referre, uno obtutu conspici et aestimari possint. Nam paucis exceptis omnes ad amoris vicissitudines pertinent, quarum peritissimus poeta vult haberi. Itaque in iis carminibus, quibus aut alios docet, aut ipse se excusat, frequentissima sunt, ut El. II, 22. 24. 10. fin. Quae omnia plus paene ab arte oratoria, quam a poesi laudem habere, ne ipsum quidem poetam latuisse crediderim. Nam in iis carminibus, quae extremo amoris tempore scripsit, parcius sententiis utitur et, ne langueat oratio, brevioribus etiam. Earum autem, quae non in amandi arte versantur, paucissima, ut diximus, haec sunt exempla: III, 1, 23. sq. III, 2. extr. 6, 5. III, 7. init. 31, 35—38. 13, 19. sqq. IV, 2, 19. 11, 7. 71. sq. Quinimmo omne id genus irridere videtur II, 8, 7. II, 18. init. 32. init., ubi prudentes sententiunculas in adversis vitae turbis nihil iuvare significat. Itaque quo magis superante affectu animus ad argumentandi artificia compositus sollicitatur, eo et rariores et breviores sententiae. Hic non modo coniunctiones passim negliguntur, ut orationis partes nullo quasi caemento interlitae proprio solum pondere cohaerere videantur — sed ratiocinationes ita relinquuntur imperfectae, ut VV. DD. non raro de integritate carminum dubitaverint. Cuius generis cum adeo plenae sint

Propertii paginae, ut hinc potissimum alii tenebricosum et inflatum scribendi genus ei exprobraverint, alii istam, quam scis, dissecandorum et transponendorum versuum audaciam sint auspicati, tamen, quoniam singulis locis suus est modulus suaque propria explicatio, cum ad enarrationes singulorum carminum, tum ad ea, quae in dispositione exposuimus, provocare satius duximus. Hic tantum paucis exemplis demonstrare iuvat, quae sit enthymematum et omissarum in conclusionibus partium apud Propertium ratio, quid iis quaeratur, quomodo coniunctionum — de his enim maxime nunc agitur — significatum in speciem longe a solito diversam deflectere videantur. Facillimum autem genus, cum conclusio omittitur, velut III, 9, 5—10., quibus versibus cum intentio contineatur, assumptione iam praemissa, desideratur, sed facile animo additur clausula. His compara I, 1, 26., ubi falso accepta a VV. DD. sententia emendandi causa fuit; II, 25, 5., ubi contrariarum rerum comparatione enthymema fit; item 11. sq. et rursus 15. sqq.; tum II, 18, 7. sqq. coll. 20. II, 13, 45. Neque igitur IV, 9, 57. Magno pro Magnam coniicere opus erat. Cf. II, 30, 1—6. Huc pertinet apodosis ratio nervosior, cum causam pro eo, quod ex causa colligitur, poeta ponit, sicuti IV, 11, 29.:

Si cui fama fuit per avita tropaea decori:
Afra Numantinos regna loquuntur avos —

ubi proprie hoc, quod tacite intelligit, in medio debebat interponere: mea fama mihi decori est; nam cett. Simile, cum ex contrariis causa intelligitur, ut IV, 9, 45. sqq.:

Sin aliquem vultusque meus setaeque leonis
Terrent: —
Idem ego Sidonia feci servilia palla
Officia —

ubi intelligitur: Abiiciat terrorem; nam idem ego cett. Adde I, 22, 3—10. III, 22, 5—18. IV, 3, 3. 4. 5. 6. I, 1, 9. coll. 17. et plurima exempla, quae in omissis adversandi particulis mox sumus allaturi. In fine denique carminum III, 19, 27. sqq. II, 3, 53. sq.

Maxima vero huius generis vis ad affectus exprimendos, praesertim si sententiae ἀσυνδέτως oppositae cum exclamationibus, interrogationibus, invocationibus, sermocinationibus iunguntur, ut El. III, 11., ubi cum bis ad idem argumentum revertatur, pars posterior abruptior etiam superiore hac ipsa illustratur. Opponitur enim populi Romani maiestas nefandis reginae meritricis ausis; hinc oprobrii magnitudo, si

Cleopatra victura erat. Hinc aeternum aequalium dedecus, si historiam suam tanta infamia maculari passi essent, apparebat. Maiorum enim egregia facta omniá subito lapsa iacuissent. Hinc et periculum superioribus omnibus damnosius, hinc Augusti meritis par nullum. Itaque v. 47.:

Quid nunc Tarquinii fractas iuvat esse secures —

ab altera parte respondent hi, sine coniunctionibus positi 59—64.:

Hannibalis spolia et victi monumenta Syphacis! cett.

Post hunc autem versum intelligitur tacita illa indignatio, quam v. 49. interrogatione rhetorica significaverat, intelligitur vero etiam Augusti victoria humanum modum ita superans, ut poeta iam particularum veluti compedibus ruptis in plausum et acclamationem exsurgat:

Haec di condiderunt, haec di quoque moenia servant.

Neque in proximis versibus, quamvis sidentibus iam sensim affectuum turbis, admirationis vis illas compositae mentis et cogitationis sobriae testes admittit. Optime. Quis enim in tam praeclara laudatione argumenta ab utraque parte curiose ponderata et rationes subductas aequo animo tulerit? Quas artes, ubi humilia tractat Propertius, tantum abest, ut refugiat, ut plus fortasse illic accuratae proprietati tribuerit, quam aut Tibullus, aut quicunque eiusdem aetatis poeta Latinus. Hinc illa (II, 6, 39. 40.):

Inferior multo cum sim vel matre vel armis,
Mirum si de me iure triumphat Amor?

vel III, 14. fin.:

Quodsi iura fores pugnasque imitata Laconum,
Carior hoc esses tu mihi, Roma, bono —,

vel adeo, quae Catullum paene vel Lucretium sapiunt, II, 17. fin.:

Quod quamvis ita sit, dominam mutare verebor.

Verum haec alias: nunc ad coniunctiones brevitatis studio omissas redeamus, quarum exempla promiscua παρενθέσεις praebent, quae figura frequentissima est nostro, praesertim cum verba interiecta breviori versu includuntur, in quibus saepissime causa interruptae sententiae, interdum etiam tempus continetur. Cf. III, 12, 30. 16, 32. 44. I, 17, 16. 22, 6. 9. II, 3, 10—12. 16. 12, 22. 20, 16. 24, 24. 29, 30. 7, 21. 16, 44. IV, 1, 89. 6, 28. 11, 18. 7, 36. 1, 14. sqq., unde explicandum esse demonstravimus El. III, 16, 34., coniecturamque nostram firmavimus IV, 4, 55.

Post causativas autem particulas adversantes saepissime omittuntur, praesertim ubi pronomine vel nomine ab initio versus posito oppositio fortius significatur, ut I, 1, 19. 31. 33. 4, 8. 6, 19. 25. 7, 5. 12, 19. II, 16, 41. coll. 39. 20, 9. 11. 27, 17. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 34, 59. 61. III, 5, 14. 9, 11. 15, 16. 47. 13, 23. IV, 1, 61., unde firmamentum petiimus nostrae difficillimi loci (II, 34, 31—46.) interpretationi; ubi idem usus apparet v. 31. 39. Singularior eadem res in pronomine relativo, velut II, 25, 17., ubi vid. comment. Item II, 29, 15. Magis etiam necessarias particulas concessivas iure credas. Quas tamen ne plane non omittere Propertium censeas, cf. II, 26, 21.:

Crudelem et Boream rapta Orithyia negavit:
Hic deus et terras, et maria alta domat —

pro eo: quamquam hic est ille deus, qui cett. Cf. IV, 4, 46. III, 13. fin., ubi Cassandrae ad instar, de qua illic loquitur, velut de cortina verba abrupta iaciens omnia haec orationis vincula spernit. Vulgarior conditionalium sententiarum ratio, in quibus cf. II, 26, 42. IV, 5, 9. II, 25, 41. sqq., ubi quinquies ea ellipsi utitur; IV, 2, 37. et, ubi protasis imperativi formam sumit, IV, 2, 23. 25. 31. II, 8, 4. Hinc emendavimus II, 13, 47. — Rarior multo consecutivarum particularum ellipsis, ut I, 8, 27. 29. II, 1, 51. Nec tamen propterea tentandus erat II, 22, 2., ubi hinc inserere voluit Lachmannus, aut II, 23, 21., ubi hae voluit ante quas. El. II, 6, 25. autem Iacobus frustra asterisco ut mutilum notavit. Nam totum illud carmen in enthymematis versatur et multa legentem intelligere admonitum cogit. Unde quam arte hoc genus cum dispositione cohaereat, apparet. Nam oppositarum partium ratio tanto saepe clarius elucescit, quanto magis sententiae longo consequentiarum agmine sunt liberatae.

§. 14. Coniunctionum usus audacior.

Neque tamen hoc capite debebant praeteriri, utpote quibus coniunctionum usus, sicubi videatur audacior, unice possit illustrari. Has enim, ubi enthymematum brevitatem et latentes syllogismos non sentirent, interpretes saepe fabuloso illo ἐναλλαγῆς praestigio expedire conati sunt, quo aliam particulam pro alia poni posse rati omnem non modo Latini, sed humani sermonis proprietatem sustulerunt. Cf. ad El. II, 7, 16., ubi quodsi oppositionem continet item ut II, 26, 57. Adde II, 32, 8. III, 2, 9. II, 24, 5. IV, 3, 49. III, 1, 25. II, 32, 2. 13, 45. 4, 15. IV, 2, 41. III, 19, 17. 11, 26., ubi nam cum pronomine interrogativo modo pro sed positum,

modo omnino supervacuum vulgo, sed perperam censent, et contra II, 32, 8., ubi sed pro nam dictum credunt. Ab eadem origine repetendum ideoque Propertianae elocutionis impetui accommodatissimum, cum particula, cuius propria in continua oratione sedes, ab initio carminis collocatur, ut ea, quae ante scriptionem poeta tacite apud mentem volverat, interrumpere subito et in medias quodammodo res legentem ducere videatur. Sic I, 8. init.: Tune igitur demens? III, 7, 1.: Ergo; item III, 23, 1. I, 17, 1.: Et, quamvis ea particula „frustra aliquid fieri" significari Lachmannus ad El. II, 27, 1. (III, 21, 1. ed. Lips.) frustra contendat, qua notione ab huius certe loci natura alienius esse nihil potest. Quapropter ne illic quidem (II, 27, 1.) librorum auctoritatem deserendam censuimus. Neque igitur capite decurtata El. II, 10., de qua cf. Quaest. L. III. cap. 2.

§. 15. Structurae mutatio.

In his igitur brevitas ex affectu: est, quando etiam varietas cum brevitate iuncta. Nam ubi in sermone vulgari aut novas sententias ordiri, aut ex aequo compositas cadere certe similiter iubemus, Propertius, ne uniformis fiat, diversas saepe constructiones ad unum verbum solet referre, ut II, 25, 13.: satius fuit — obdurescere — si pateremur. Cf. II, 24, 31. sq.: dura quae — et si qua — et ubi eadem vox diversa significatione bis accipitur, semel ponitur. Nam III, 11, 57.:

Issent Phlegraeo melius tibi funera campo,
Vel tua si socero colla daturus eras —

priore versu melius adverbium est, ad alterum adiectivum melius erat intelligitur. Quid? quod singula nomina cum totis enuntiatis ἐκ παραλλήλου ponit, nec modo adiectiva cum relativis, ut III, 11, 29. — sed etiam substantiva cum accusativo et infinitivo vel cum interrogationibus, ut I, 5, 19.: servitium — cogeris discere et — quid sit abire — nec pallorem mirabere — aut cur sim cett., et rursus III, 13, 27.:

Illis munus erant decussa Cydonia ramo
Et dare puniceis plena canistra rubis —

deinde tondere — referre — portare; II, 6, 9.: Me laedit, si — me soror (sc. laedit); I, 8, 34.: „maluit esse mea, quam regnum" et cum metaphora iunctum III, 3, 41.: Nil tibi sit praeconia flare —, aut quibus in campis proelia stent. Adde III, 4, 15. 1, 25—27. 12, 25. 36. 17, 21. II, 3, 9. III, 5, 25. sqq. II, 28, 5.

29, 36. Maxime autem singulare dicendi verbum tum cum accusativo nominis et interrogatione q. d. indirecta, tum cum oratione directa iunctum, ut El. IV, 1, 82—87.: Felicesque Iovis stellas cett. Quid moveant pisces cett. Dicam: „Troia cades et Troia Roma resurges", quae omnia velut una serie nexa ad verbum dicam referenda esse, nemo interpretum videtur sensisse. Est autem plane Propertianum. Nam alias quoque verbis, quae sunt rerum signa, ita utitur, quasi ipsae sint res, nec modo in hisce, quae sunt facilia, velut I, 18, 22.: „Scribitur et vestris Cynthia corticibus"; quo tamen apertius infra v. 31.: „Resonent mihi Cynthia silvae", ubi si Cynthiam vocatam esse significaret, accusativum debebat ponere — sed, quod egregie restituit Lachmannus, II, 22, 14.: „QUARE non habet ullus amor"; nec minus ingeniose Iacobus desperatum illud olim II, 25, 2.:

Excludit quoniam sors mea: SAEPE VENI.

§. 16. Zeugma.

Insolentius vero, cum ad sententias potius quam ad grammaticas rationes composita oratio ab una parte clauda videtur, ut I, 12, 15—17.:

Felix, qui potuit praesenti flere puella —
Aut, si despectus potuit mutare colores —

quod recte Lachm. ab Hemsterhusii coniectura defendit. Solent enim enuntiata relativa et conditionalia sic alternari et promiscue usurpari a Propertio, ut vera interdum nascantur ἀνακόλουθα, ut III, 8, 11.: „Quae mulier — iactat convicia — His ego tormentis — sum verus haruspex"; II, 2, 6.: Incedit — Iove digna soror — Aut cum Pallas — spatiatur — Qualis et Ischomache — et Sais fertur composuisse — ubi omnia essent expedita, si pro aut liceret ut rescribere. Hac autem figura transitus fit ad ζεῦγμα, quod si a faciliorum observatione ad insolentiora semper persecuti essent VV. DD., non toties turbas excitassent. Nam hoc etiam leve est, quod II, 30, 6.: „Nil tibi Mercuri proderit alta via" cum proprie ad solum v. 5.: „si te rapiant sectis talaribus aurae" pertineat, simul tamen etiam ad v. 3. refertur: „si Pegaseo vecteris in aere cursu." Nam hic omisso Mercuri nomine integra esset res. Quare mirum, quod ante Lachmannum nemo intellexit El. III, 22, 27. sic esse distinguendum:

Licet — Peliacae — trabis totum iter ipse legas —
Et si, qua Ortygiae visenda est ora Caystri cett.

Nam ex superiore versu communis notio solum supplenda est: iter ipse legas, cetera relinquenda. Cui simile, quamvis aliquanto iam audacius, IV, 6, 31.: Non ille attulerat crines in colla solutos — aut carmen — Sed quali aspexit — Agamemnona vultu — Aut qualis solvit. Per hos autem quasi gradus si ascenderis, tolerabile habebis, quod, quamvis omnium codd. auctoritate et ipsa loci, ubi scriptum est, vicinia tutum vexationes criticorum effugere non potuit, a Lachmanno primo defensum (II, 22, 35.):

Cornua nec valuit curvare in pellice Iuno,
Aut faciem turpi dedecorare bove,
Arboreasque cruces Sinis et non hospita Graiis
Saxa et curvatas in sua fata trabes,

ubi e verbis antecedentibus curvare et dedecorare simplicissima verbi transitivi vis repetenda est, h. e. vel habendi, vel faciendi. Cf. comm. ad e. l.

Alia species, quam ni fallor cum solo Ovidio Propertius habet communem (cf. ad El. I, 16, 11. 12.), cum altero loco idem quidem verbum, quod supra positum erat, sed alia significatione intelligitur, non sine aliqua ὀξυμώρου similitudine, ut III, 9, 5.: Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus, ubi nisi in verbo committere conatus significationem inesse Propertius voluisset, sententia stare non posset. Quod per se esset facillimum, nisi simul ad verbum nequeas plenam et absolutam eiusdem verbi actionem animo addere deberemus. Huc etiam pertinet, quod diu cruciavit interpretes, I, 3, 16.: „Osculaque admota sumere et arma manu“ — ubi alterum proprie, alterum translate dictum, ita tamen ut verba arma sumere artius coniuncta in eam formulam accipienda sint, qua accingere se vel parare se ad aliquam rem significare solemus. Quodsi illic scripsisset: „Oscula me sumere et ad pugnam accingere me Amor iussit“ — nemo de vera sententia unquam dubitasset. Nunc cum eadem sit sed brevius et per ζεῦγμα enuntiata, subito de armis nescio quibus obscenis, quae tamen tela rectius debebant dici, dictum interpretati sunt. Cf. III, 9, 23.: ponere secures — et iura. Verum ceteris omnibus longe singularius et cui geminum plane et par exemplum alibi nondum inveni, El. I, 16, 11. 12. a Lachmanno desperatum nec satis audacter a Iacobo restitutum, a nemine autem, quantum sciam, explicatum:

Nec tamen illa suae revocatur parcere famae
Turpior et saecli vivere luxuria,

de quo accuratius suo loco sumus dicturi. Hic tantum dicam

ex illo non revocatur apud animum refingendum esse: sed permittitur. Praeterea cf. §. 11.

§. 17. Praepositionum usus.

Eadem brevitas, eadem ex ipso periculo petita significantia, eadem denique interpretum inopia consilii, cum praepositiones, quae motum designant, iis verbis additae, in quibus nullā proprie movendi notio inest, ipsae demum hanc vim videntur procreare, ubi solutae orationis scriptor alius verbi vel participium vel infinitivum adderet. Nam ne de levioribus dicam, velut IV, 10, 11.: „spolia ex humeris sperare", vel IV, 6, 40.: „favet ex humeris hoc onus", audacissimum, sed pulcherrimum hoc, II, 17, 6.:

Ut liquor arenti fallat ab ore sitim,

ubi cum illud iam sit egregium, quod liquor sitim, i. e. sitientem Tantalum decipere dicitur (unde idem fallax dicitur IV, 11, 24.), hoc et novum et poeticum et nescio tamen an cuiquam intellectum, quod quomodo liquor sitientem et iamiam poturum fallat, sola praepositione breviter et strenue significetur. Haec enim cum, unde motus fiat, indicet, lectores cogit, ut Tantali imaginem apud mentem sibi repraesentent et ab ore relabentem aquam fallacem paene oculis adspiciant. Hanc constructionem, quam praegnantem non iniuria nunc grammatici dicunt, ipse alio loco videtur Propertius illustrare, III, 14, 5., iniuria coniecturis vexato:

Cum pila velocis (i. e. veloces) *fallit per brachia iactus,*

i. e. pila, cum per brachia repercussa (noto puerorum ludicro) ab eo, quo initio iacta erat, impetu deflectat, fallere et eludere iactus suos videtur. Cf. comment. ad e. l.

Hoc igitur usu illustratur locus, quem nemo satis explicavit, Broukhusius etiam, quamvis dubitanter, coniectura sollicitavit, II, 1, 42.: Caesaris in Phrygios condere nomen avos, i. e. Caesaris nomen celebrando in Phrygios usque avos carmine ascendere; item II, 32, 23., suspectus, ut fere fit, criticis:

Nuper enim de te nostras me laedit ad aures
Rumor.

In eodem genere cf. III, 4, 1. IV, 1, 70. III, 17, 24. IV, 10, 41. II, 12, 10. Restant aliae elegantiae, quibus quamvis ad praegnantem hanc structuram non pertinentibus nervosiorem efficiunt orationem praepositiones. Sic, cum ab modum atque rationem agendi notat, velut III, 25, 6.: „Sem-

per ab insidiis Cynthia fiere soles"; cf. III, 11, 24.; tum originem IV, 9, 9. 10, 9. 6, 37.; interdum paene pro ablativo instrumentali est, ut IV, 9, 24.:

Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus.

Cf. II, 27, 11. Revera tamen supervacuum videtur III, 2, 23. IV, 3, 39. Contra III, 1, 24. et IV, 1, 126. cum temporis significatione iunctum, quae aperta est IV, 7, 5.

Singularis vero usus praepositionis ad, quae non raro praesentem rem et conditionem, qua quid fit, indicat, ut apparet El. IV, 5, 47.:

Ianitor ad dantes vigilat —

h. e. si quis adest daturus; statim enim subiicitur: si pulset inanis. Hinc unice explicandum IV, 2, 19.: Sobrius ad lites; III, 2, 6. IV, 2, 39. II, 34, 38. 10, 3. 24, 25.: Lernaeas pugnet ad hydras — ubi adversum malis; sed cf. IV, 9, 40. II, 22, 20. I, 18, 30. II, 20, 13. Unde apparet, quantum et distet dativo et tamen similis sit. Nam cum ei rei, qua praesente quid fit, actio ipsa soleat accommodari (velut saltatio musicae modis, ut IV, 4, 70. III, 4, 14, II, 22, 16. 34, 42. IV, 8, 42. 1, 24.), mox idem fere fit, quod ratione habita, ut II, 13, 42.: Nonnihil ad verum conscia terra sapit, vel IV, 1, 52.: carmina — Longaevum ad Priami vera futura caput. Cf. IV, 11, 2. 83.

Significantior etiam ratio praepositionis in cum ablativo. Nam cum usitatissimum Propertio genus sit, quale III, 8, 34.: in te pax mihi nulla placet, i. e. si tecum mihi res est — unde paene idem fit, quod contra, ut III, 17, 23. — ultra progressus causam eo significat, ubi in personis propter vel per, in rebus ablativus instrumentalis vulgo solet usurpari. Nec tamen prorsus perinde ea esse, in altero docet El. II, 20, 11.: „In te ego aeratas rumpam — catenas" (cui loco adde II, 18, 2. III, 12, 15.), in altero autem II, 15, 11.: Non iuvat in caeco Venerem corrumpere motu — coll. II, 1, 46. IV, 8, 63. III, 18, 16. I, 2, 6. II, 15, 39. coll. 40. Hinc in verbis amandi, ubi alii poetae solo ablativo uti solent, ut I, 13, 7.: perditus in quadam; III, 8, 28. II, 6, 4. atque adeo II, 8. extr.: gaudeat in puero. Si cum accusativo iungitur, mutatae figurae significationem Propertius, vulgaribus non contentus (qualia sunt II, 22, 21. 31, 3. III, 22, 14. 9, 37. IV, 4, 79. 3, 48.), in varios usus declinat, ut IV, 11, 82.: Somniaque in faciem credita saepe meam. Sed plane novum III, 9, 18.: Est quibus in celeres gloria nata pedes, ubi

non tam consilium et finis, quam eventus simul et commodum significatur dativo proximum, cui apte conferas III, 11, 32.: addictos in sua regna patres.

In praepositione sub hoc fortasse adnotasse operae pretium est, quod ad describendam loci clausi naturam pro in posita videtur. Non enim locus ipse vacuus in medio relictus, sed margines editi spectantur, ut in hoc: sub valle iam est vulgare. Itaque Propertius non modo habet: sub antro II, 32, 39., sub pectore I, 18, 31., sub aula IV, 4, 55., sed etiam, quod nonnullos offendit, III, 9, 36.: sub exiguo flumine tuta ratis — et vere γραφικῶς II, 27, 15.: Stygia sedeat sub arundine remex.

§. 18. Ablativi usus.

Cum praepositionibus arte continetur ablativi usus, per quem cum multo magis, quam ulla alia re propria latini sermonis brevitas efficiatur, a Propertio hunc prae ceteris fotum et in varias species excultum esse, consentaneum est. Itaque sine praepositione in etiam tum ponitur, cum locus clausus significatur, ut II, 12, 16.: Assiduusque meo sanguine bella gerit, quo optime eiusdem carminis v. 6. illustratur: Fecit et humano corde volare deum, ubi falsos esse, qui deum humano corde coniungendum esse existimarent, eo ipso loco docebimus. Quo tamen multo insolentior IV, 2, 8.: Ustus et Eoa decolor Indus aqua — quod cave casum instrumentalem existimes. Hic enim praepositio in ipsa si posita esset, idem atque ad sonaret, ut El. I, 3, 6. II, 18, 9., quod Musis iratis Weberus interpretatus est. Eodem modo I, 14, 1.: abiectus Tiberina unda et II, 13, 53.: Illis formosam iacuisse paludibus. Adde I, 3, 22. II, 11, 2. 9, 45. 20, 57. 34, 59. I, 7, 23. 17, 22. IV, 10, 28. post verbum ponere. Hinc orta est ratio laxior, qua neminem saepius Propertio usum esse cognovi, non illa cum ablativo absoluto temere confundenda, quamvis huius quoque originem eandem esse concedam. Cuius generis audacissimum est III, 22, 13.: Qua rudis Argoa natat inter saxa columba pinus. Eo enim ab ablativo absoluto differt, quod illic causa vel conditio, si structuram solveris, totum enuntiatum ita explet, ut alter substantivi ablativus eius subiectum fiat, alter sive participii, sive eius vocis, quae participii loco est, praedicatum. Itaque si esset scriptum columba duce, ablativus is esset absolutus; nam si solveres, haberes: cum columba esset dux. Nunc longe differt. Nam columba Argoa si sic solvas: cum columba (subi.) esset Argoa, non poterit stare sententia;

nihil enim est. Itaque sic accipe: cum columba Argoa (subi.) adesset (praed.). Unde simul apparet, quomodo haec significatio Propertio admodum familiaris ex superiore recte deducatur. Sic autem intelligas III, 17, 21.: Aetnaeo fulmine partus; III, 6, 21.: Ille potest nullo miseram me linquere facto. Hinc interpretati sumus I, 19, 19.: mea favilla; I, 21, 3.: nostro gemitu. Durius etiam II, 24, 45.: „Iasonia Medea carina" et, quod primi nos expedivimus, IV, 11, 40.: Quique tuas proavo fregit Achille domus, h. e. quibus adest, vel quas tuetur proavus Achilles. Quod tamen superiore exemplo tanto est facilius, quanto propius ei generi, quod per ellipsin participii praeditus vel similium solent explicare, quale apud nostrum II, 33, 15.: fuscis Aegyptus alumnis. Adde II, 30. extr. 32, 11. et, quod collocatione verborum durius est, IV, 10, 43.: virgatis iaculantis ab agmine braccis. Hinc lucem accipit locus non satis ab interpretibus intellectus II, 25, 35.: si saecla forent antiquis grata puellis, ubi ne antiquis puellis pro dativo accipiendum et cum vocabulo grata coniungendum censeas, cf. et quae de hyperbato Propertiano diximus et El. II, 2, 10.: Ischomache — mèdio grata rapina mero, quod eodem modo atque supra Aetnaeo fulmine partus dictum est, i. e. inter medium merum. Hinc duplex usus ortus et quem primus ni fallor Iacobus recte intellexit (ad El. IV, 8, 10.), ut ablativus aut verbo finito appositus dativi vices sustinere aut cum substantivo aliquo nullius verbi auxilio artius coniunctus pro genitivo positus esse videatur, velut IV, 3, 63.: Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris, cui nullo paene discrimine distat genitivus El. III, 12, 3.: Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi? — Itaque I, 4, 13. pro: multis decus artibus — alius fortasse multarum artium scripsisset. Quamquam hoc ipso exemplo apparet, quam facilis hinc sit transitus ad ablativum instrumenti, quo tamen solo frustra expedias audacissimum illud II, 34, 91.: multa formosa Lycoride vulnera — i. e. a formosa Lycoride inflicta. Adde II, 13, 23.: odoriferis ordo lancibus; II, 32, 13.: creber platanis surgentibus ordo. Sed de altero modo ut dicamus: hic saepe ita imposuit VV. DD., ut obsoletum dativum Ennii sermone vel Scipionum monumentis dignum Propertio obtrudere conarentur, velut IV, 8, 10.: Cum temere anguino creditur ore cibus, i. e. cum adsit et teneat os anguinum, tamen creditur ei cibus. Sed ne aut hic, aut El. III, 9 (i. e. 11.), 40. Burmanni error te seducat, neve El. I, 8, 22. vel III, 4 (i. e. 6.), 20. Sca-

ligeri interpretatione multo etiam, quam est Burmanni error, magis admirabili decipiare: nullum dubitandi locum dat verus ablativus III, 6, 24.: insultet morte mea, in quo explicando mire secum dissidet Burmannus. Geminum enim huius locum I, 19, 19.: „Quae tu viva mea possis sentire favilla" iam supra attigimus. Utrumque autem idem quod: cum mortuus fuero. Hunc igitur ablativum agnosce, non dativum, I, 17, 21.: illa meo donasset funere crines, h. e. cum adfuerit funus meum. Interdum, cum sit eadem ratio, praepositionem abesse credas, velut I, 14, 2. ex: Cum — Mentoreo vina bibas opere; vel cum, ut I, 7, 26.: Saepe venit magno fenore tardus Amor; IV, 20, 25.: Cossus at insequitur Veientis caede Tolumni. Adde II, 1, 10. Quamquam iterum hic quis instrumentalem vel causalem dixerit. Sunt enim hac etiam parte fines contigui. Nam El. I, 2, 14.: volucres nulla dulcius arte canunt — cum aperte sit: si nulla ars adest —, tamen hoc ipsum, quod non adest, causa est dulcioris cantus, unde non in ablativo, sed in metonymia eius loci difficultatem positam esse dicas. Similis ratio El. I, 17, 4.: Omniaque ingrato litore vota cadunt, ubi qui El. IV, 11, 6.: Nempe tuas lacrimas litora surda bibunt, et deinde I, 16, 38.: Et mea nocturno verba cadunt Zephyro comparaverit, causalem casum eripi sibi vix patietur. Cf. praeterea I, 5, 14. I, 17. fin. El. autem IV, 1, 66.: Ingenio muros aestimet ille meo, qui versus Paldamum valde offendit, pro ablativo simplici utique malueris: pro ingenio meo vel secundum i. m. Sed est idem noster ablativus, qui iuxta aestimandi verbum positus in pretii significationem sponte declinavit. Cf. comm. ad e. l. Contra usu in rebus vulgatissimo, in personis novo II, 8, 38.: Inferior multo cum sim vel matre vel armis; i. e. quod ad matrem attinet.

§. 19. Attractiones.

Sequuntur attractionis species variae, quas Graeca oratio dum neglecta logicae subtilitate sensuum evidentiam sectatur et sententiarum partes distinctionum intervallis caesas in unam et continuam speciem conflare studet, per omnes grammaticae locos egregie excoluit: ob eam ipsam causam a Propertio quoque saepissime expetitae. Inter quas facillima, qua apud infinitivum accusativus pronominis omittitur, cum idem alio casu iam in superiore enuntiati membro positus sit, ut I, 1, 22.:

Tunc ego crediderim vobis et sidera et amnes
Posse Cytaïnes ducere carminibus —

vel II, 32, 28.: Testis eris puras, Phoebe, videre manus, ubi te suppletur. Hinc tuendam duxi ingeniosam Iacobi coniecturam IV, 4, 68.: nescia vae! Furiis accubuisse novis. Tanto vero audacior, quanto rarior inter Latinos licentia, cum apud infinitivum non modo omittitur subiectum, sed casus etiam praedicati mutatur, ut II, 9, 7.: Visura et quamvis nunquam speraret Ulixem, quod exemplum artium scriptores latuisse miror, et III, 6, 40., ubi utraque structura coniuncta:

Me quoque consimili impositum torquerier igni
Iurabo, et bis sex integer esse dies.

Frequentior et omnibus poetis probata attractio pronominis relativi, praesertim si quando demonstrativum omittitur tantum, non mutatur, ut II, 23, 21.:

Et quas Euphrates et quas mihi misit Orontes,
Me capiant —

quod non commemorassem, nisi Lachmannus propter suspectam sibi latinitatem hae pro et olim reposuisset. Nam eadem prorsus constructio II, 6, 40.: Quam peccare pudet, tuta sat est. Cf. praeterea I, 5, 24. II, 7, 34. 15, 22. III, 9, 15. IV, 7, 66. Audacior vero multo, ubi relativum et adnexum huic in praedicato nomen demonstrativi casum sequitur, ut II, 26, 5.: Vidi te — Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen, Graece οἵην Ἕλλην, pro hoc: Vidi te talem, qualis Helle erat cett.

Est etiam Graeci sermonis imitatio, cum praeter attractionem etiam numerus mutatur, quo genere nescio an Propertius unus Romanorum usus sit; sic III, 4, 17.: Est quibus — concurrit palma, ubi v. Broukh.

In vocativo duplex est attractio, quam vulgo non recte segregari et cum tertio eoque legitimo genere saepe confundi docebimus ad El. II, 13, 8. Legitimum enim, quod Propertius habet II, 15, 2.: Lectule — facte — beate. Nam hic praedicatum beate suum subiectum sequitur. Contra vera attractio III, 22, 30.: Nec fugis Ausonias, Phoebe fugate, dapes; nam illic participium ad fugis referendum erat, cuius subiectum tu haud dubie nominativum obtinet; item II, 13, 8.: Siccine, lente, iaces. Multo vero ceteris insolentius I, 8, 18.:

Ut te felici praevecta Ceraunia remo
Accipiat — Oricos cett.

Nec tamen quia difficile, ideo ense recidendum. Nam multos huius usus gradus esse, per quos sensim ad illam audaciam possit ascendi, collatis El. I, 11, 9. 10. apparet:

Aque utinam mage te remis confisa minutis
Parvula Lucrina cymba moretur aqua.

Quod quamvis per aliquas verborum calumnias aliter explicari posse videam, vereor tamen, ne sic dum audaciam emendare velis, concinnitatem tollas.

Alia vero genera omni latinitati communia, nec tamen ubique recte intellecta; cf. El. I, 3. fin. III, 4, 5. IV, 1, 14.

§. 20. Genitivi usus singularis.

Est etiam quaedam attractionis vicinia cum usu genitivi, qualem in Propertio solo invenisse mihi videor. Neque vero nunc eum dico nominis proprii genitivum, quem appellativo addere solent, quo id accuratius definiatur, usu non nimis inter Romanos vulgari, velut urbs Romae, faciliore in collectivis, ut populus Medorum. Hunc enim exemplo in omni, quantum sciam, latinitate singulari cum nominativo plurali iunctum habet Propertius, ut II, 9, 25.: Cum — tibi — liceat — Medorum — ire per hostes, ubi ingeniose Burmannus, quamvis frustra, hastas voluit. Sed nunc de alio genere. Ubi enim substantivum aliquod ad alterum intercedente verbi notione erat referendum, ut dativum potius vel praepositionem quam genitivum positum velles, hunc tamen pro illo usurpatum a Propertio animadvertimus, ut El. IV, 1, 101.: Iunonis votum facite impetrabile, quod Iacobus librorum omnium auctoritate fretus iure reposuit pro eo, quod vulgo legitur: Iunoni. Nec tentandum igitur IV, 10, 43.: Illi (i. e. illius) iaculantis — torquis decidit. Hinc quoque omnibus libris flagitantibus eodemque Iacobo vindice nunc legitur III, 11, 17.:

Coniugis obsceni pretium Romana poposcit
Moenia —

ubi recte ille: „Pretium coniugis, quod coniux dat.“ Sed quoniam etiamtum poscebatur necdum revera datum erat, alius scripturus fuerit: a coniuge. Cf. ad e. l. Hinc II, 1, 20. Lachmannus reposuit: ut coeli Pelion esset iter — pro vulgata: coelo, quamquam is non satis discrevit exempla a se illic congesta. Nam non in eo difficultas posita est, quod coeli iter de itinere in coelum facto dicitur (hoc enim vulgare; sic mortis iter III, 7, 2.; Phasidos via I, 20, 18.), sed quod iuxta verbum esse, praeterea autem, quod ipsum Pelion iter audit. — Quod vero in nomine genitivus, hoc in pronomine personali cognata possessivi forma efficit. Itaque huc quoque pertinet El. II, 9, 30.: Aut mea si staret navis in Oceano — quo non

significat, se habere navem, sed hoc vult, si sibi esset navis, eaque staret in Oceano. Aliter II, 14, 29., ubi vita navigationi comparatur. Amat autem hoc genus imprimis Propertius; sic enim III, 2, 11.: mea pomaria; II, 20, 31.: mea poena; II, 7, 11.: mea tibia; II, 13, 25.: mea pompa; IV, 1, 147.: tua puppis; II, 22, 11.: tuo remige et, ubi supervacuum videtur, IV, 11, 41.: Testor me — nec ulla labe mea — erubuisse focos.

§. 21. *Πρόληψις.*

Itaque in his quoque, quae fortasse cuipiam nimis minutae videantur observationis, ingenium poetae strenuum et irrequietum apparet, cum ea, quae futura sunt atque in sola cogitatione versantur, tamquam praesentia et iam facta animo occupat. Quod genus accuratius intuentibus ad eam figuram pertinere patebit, quae *προλήψεως* vel *ἐπεξηγήσεως* nomine inter grammaticos est vulgata. Hac igitur si Propertius et frequenter et novo interdum modo usus interpretibus non raro fraudem fecerit, non mirabere. Itaque ne de vulgaribus dicam, qualis est accusativi usus hoc in genere fere legitimus (ut III, 14, 22. II, 18, 12. [10]), minus in aliis casibus est a VV. DD. observatus. Sed ita tamen explicandum III, 11, 10.: Colchis — armigera proelia sevit humo — nam draconum demum dentibus insitis armigera fit terra — et cum praepositione IV, 8, 45.: me per talos Venerem quaerente secundos; nam tali tum demum felices futuri erant, si Venerem misissent, poetae vero eo, de quo loquitur tempore, infelicissimi re vera erant; nam „Semper damnosi subsiluere canes.“ Adde II, 20, 21. 25, 27. I, 16, 22. 42. Hinc Lachmannum non debuisse locum sanum sollicitare apparet, I, 3, 36.: clausis expulit e foribus, ubi cf. comment., et recte Iacobus III, 17, 2. bacchato pro pacato restituit. Interdum etiam pleonasmi vel adeo *ὀξυμώρου* speciem trahit haec figura, ut I, 20, 2.: Id tibi ne vacuo defluat ex animo — quasi quid ex vacuo possit defluere. Sed hoc voluisse Propertium certum est: ne animus defluendo vacuus fiat. Cui loco simillimi sunt II, 25, 5. 23, 12. III, 10, 9. I, 9, 27. 10, 30. 1, 34. 13, 2. duplici pleonasmo: quod abrepto solus amore vacem, ubi solus est desertus; I, 9, 17.: Ut meus oblito pulvis amore vacet, ubi si oblito amore artius coniunxeris, plane contraria ei, quae exigitur, sententia nascetur. His adde II, 25, 30. I, 13, 8., ubi sola hac explicatione fulcitur Iacobi restitutio: Incipis — primo lapsus adire gradu.

§. 22. De usu participii futuri eleganti.

Atque hic quidem locus videtur, ubi de usu participii futuri elegantissimo simul et apud Latinos rarissimo dicamus, quem in Propertio aliquoties animadvertimus. Nam primum ille ea, qua scis, brevitate et facta antea, et quae tunc futura erant, nunc vero iam sunt praeterita, ita in unum coniungit ambitum, ut oratio contra severam cogitandi normam pugnans diversorum temporum varias conditiones simul sub oculos subiiciat. Hinc igitur illud IV, 7, 22.:

Foederis heu taciti, cuius fallacia verba
Non audituri diripuere Noti.

Profecto enim tum, cum diripiebant, non fuerunt non audituri, sed non audientes. Immo hoc vult, Notos, qui verba diripuerunt, iam tum, cum foedus fieret, noluisse quodammodo audire. Sed haec non magis apud Propertium quam apud alios. Huius vero altera ratio haec est, ut part. fut. praeterito verbi finiti additum id significet, quod non modo tum, cum res agebatur, futurum erat necdum perfectum, sed quod ne nunc quidem, cum loquimur, absolutum est. Nihil enim vulgo refert, id, quod nunc praeteritum est, quondam futurum fuisse, dicere. Inceptam igitur neque tamen unquam finitam, i. e. interruptam et re vera non factam rem significat. Atque hic quidem illius is est usus, quo in enuntiatis conditionalibus contrarium eius, quod in protasi ponunt, significantibus, apodosin coniunctivi imperfecti aut plusquamperfecti loco solet obtinere. Quod genus Propertius novo et hercle pulcherrimo modo ita exornavit, ut omissa conditione naturae necessitatem victam precibus repraesentaret. Hinc III, 10, 12.:

Tu quoque, qui aestivos spatiosius exigis ignes,
Phoebe, moraturae contrahe lucis iter —

i. e. iter Lunae, quae nunc quidem aestivo anni tempore, si naturae legibus obsequatur, diutius sit moratura, contra has leges contrahe. Nam si propriam et primam significationem velis tueri, frustra eris. Absurdum enim. Efficacius vero etiam et nescio quo flebili frustratae spei temperamento mixtum hoc, in quo, quid ipse optet, illo participio significat, El. I, 3, 32.: Luna moraturis sedula luminibus, i. e. quae morari debebant, quae certe, si me secuta essent nec improbae isti et crudeli naturae necessitati obtemperassent, diutius erant commoratura. In eo denique, qui restat, loco IV, 5, 59.:

Vidi ego odorati victura rosaria Paesti
Saepe matutino cocta iacere Noto —

dubium esse videri possit, utra ratione poetam usum esse dicas: rosaria, quae, si leges naturae valuissent, victura erant, an — quae debebant vivere i. e. quae vellem victura fuisse. Sed si bene Propertium novi, hoc alterum voluit dicere. Idem enim orationis color, qui El. I, 3, 32.

§. 23. Sententiae summa in appositis collocata.

Proximum prolepsi, cum praedicati summa non verbo finito continetur, sed vel participio, vel adiectivo, quod praedicato tamquam accessio additum est, velut II, 1, 7. 8.:

Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
Gaudet laudatis ire superba comis.

Hic enim non tam in gaudio Cynthiae apodosis summam versari, quam in laude puellae comis tributa, quandocunque illa speciosis capillis processisset, sententiarum nexus apertissime declarat. Cui loco simillimus IV, 11, 4. Adde III, 15, 30. 13, 66., a Iacobo primo intellectum, ibid. v. 2. et quae ad II, 16, 16. congessimus exempla. Hinc unice tuendam codd. scripturam docui II, 17, 15.: si vera meae comitarem castra puellae, i. e. si vera essent castra meae puellae, quae comitor — et I, 8, 22. Passeratii inventum probo, vera pro verba legentis. Vid. enim comm. ad e. l. El. II, 19. fin. III, 5, 2. II, 13, 40. — His paullo diversi loci, quibus in apodosi sententia cum causa sua tam arte est nexa, ut nisi structura grammatica perturbata solvere eas non possis, quale est II, 32, 29. sq.:

Sin autem longo nox una aut altera lusu
Consumpta est: non me crimina parva movent,

latet enim enthymema: non me haec movent — sunt enim parva crimina. Vel contra II, 30, 5.:

— si te sectae rapiant talaribus aurae:
Nil tibi Mercuri proderit alta via —

i. e. nil proderit; nam ne Mercurii quidem via prodest, in quibus adeo quaedam pleonasmi species, quoniam causa facillime ex superiore intelligitur. Cf. etiam II, 30, 22. Nam de fortiore genere, ubi sola in apodosi causa ponitur, supra in enthymematis diximus. Nec tamen aut illic vere pleonasmus est, aut cum verba eundi vicibus fungi verbi substantivi videntur, quod genus Propertius in deliciis habet, velut II, 1, 2.: Quaeritis — Unde meus veniat mollis in ore liber. Nam propriam praedicati vim non in verbo veniat, sed in mollis positam esse, ablativus post praepositionem in docet, frustra a criticis tentatus. Nec tamen prorsus

perinde est, ac si dixeris: mollis in ore est. Nam ita motus significatio, in quo mollities versuum cummaxime apparet, tolleretur. Item in gemino exemplo III, 1, 8.: Exactus tenui pumice versus eat, et maiore etiam vi II, 2, 7.:

— *incedit* (Cynthia) *vel Iove digna soror.*

Adde II, 7, 16. 34, 45. I, 4, 10. 18, 14. II, 34, 81. I, 15, 4. I, 5. extr. 10, 25. Contra pro futuro verbi substantivi est IV, 4, 56.: Dos mihi non humilis prodita Roma meis; cf. II, 15, 24. III, 4, 5.

Vides hic quoque brevitatem et nervos. Neque aliter est, ubi in sententiis, quae proprie per accusativum cum infinitivo enuntiatae subiecti vices obtinere, praedicati autem loco adiectivum aliquod subiunctum habere debebant, pro infinitivo verbum finitum ponitur, adiectivum vero illud in adverbium mutatum tamquam accessorium additur, ut est IV, 1, 39.: huc melius misisti Troia penates. Cf. III, 11, 37. IV, 1, 53. Hinc tuiti sumus versum a Lachmanno impugnatum II, 34, 31., ubi vide exempla aliunde congesta. Nam hic quoque membris eiusdem enuntiati quodammodo per mutuum nexis densior fit structura atque, ut ita dicam, quadrata.

§. 24. Hypallage adiectivi.

Haec vero etiam una est et sola causa, quae dicendi figuram peperit duram admodum nostris sensibus atque insuetam, antiquis vero poetis et Propertio imprimis maxime familiarem, adiectivi *ὑπαλλαγήν*. Etenim cum duo nomina interno quodam nexu ita inter se sunt iuncta, ut unam efficiant et inseparabilem speciem (quam rationem genitivo casu saepe solemus indicare): frequenter adiectivum, quod genitivo illi erat adiungendum, nullo discrimine a poetis alteri nomini subnectitur. Quo in genere faciliora sunt, qualia III, 11, 11.: feros clausit serpentis hiatus — hiatu enim maxime feritas apparet —; I, 3, 9,: ebria cum traherem vestigia (pro: ebrius ego); I, 16, 40. 15, 21. III, 13, 37. IV, 7, 23. Magis iam nos offendat I, 16, 42.: oscula nixa dedi gradibus (pro: ego nixus), vel II, 5, 21.: Nec tibi (Cynthiae) periuro rapiam de corpore vestem — ubi cummaxime periurae expectes. Adde III, 8, 56. II, 18, 5. I, 13, 10. Quare ne temere mutes III, 8, 52.: Et miser invisam traxit hiatus (Paeti) aquam. Habet enim Propertius hoc in genere tam insolentia, ut ad verbum interpretantibus necessario sint absurdum sonitura, velut IV, 8, 24.: armillatos colla Molossa canes — et rursus IV, 5, 51.: quorum titulus per barbara colla pependit. Adde IV, 6, 16.: Qua sinus

Ioniae murmura condit aquae, et quod statim subiicitur: Actia Iuleae pelagus monumenta carinae, ubi alii pronum erat scribere: sinus Ionius et Actium pelagus. Interdum ne vera quidem effici videtur sententia, ut II, 23, 22.: furta pudica tori — pro: furta tori pudici; II, 18, 14.: Invitum terris praestitit officium (Luna) pro: Luna invita, et quod durissimum II, 29, 4.: puerorum turba minuta, ubi non turbam parvam, sed pueros parvos poetam significare certum est. Quocirca recte se habet, quod contra Lachmanni suspiciones defendimus, III, 21, 28.: Librorumque tuos, docte Menandre, sales, pro libr. tuorum sales. Porro ubi nomen illud, quod in genitivo erat collocandum, communem quandam habet significationem, qualem homo, vir, res. Hic enim cum substantivo omisso iam solum adiectivum pro substantivo sit, velut maritus, amicus, facilius etiam in proximi nominis casum cedit. Hinc III, 7, 10.: cognati rogi; IV, 11, 34.: faces maritae, coll. IV, 3, 11. III, 20, 26. I, 20, 30.: volucres insidiae; I, 21, 1.: consors casus, pro consortium; III, 3, 48.: Ebria signa, pro ebriorum; I, 20, 10.: Thessalis umbra, ubi v. comment. III, 13, 54.: Gallica ora i. e. Gallorum ora. Unde fit, ut causam eius notionis, quae proprie in iis inest, adiectiva videantur continere, ut II, 24, 31.: tumidus honor; III, 13, 15.: Felix — lex, cf. IV, 1, 83. III, 21, 13. 10, 11. II, 29. extr. IV, 4, 69. 11, 28. III, 7. extr. II, 20, 25.: munera beata; cf. IV, 7, 60. II, 28, 4.: siccus canis; I, 4, 7.: formosi temporis aetas; III, 5, 4.: gemma dives; cf. III, 2, 19. IV, 7, 36.: Pallida vina, cf. III, 13, 37. Quod cum in certis locutionibus nimis sit vulgare factum, cautius in quorundam adiectivorum definitionibus agendum est. Quod vero in adiectivis valet, hoc etiam in pronomina adiectiva cadere necesse est. Quinimmo quanto tenuior horum natura est faciliusque sensum fallit, tanto etiam frequentius. Neque igitur quemquam offendet II, 1, 56.: Una meos quoniam praedata est femina sensus, Ex hac ducentur funera nostra domo — pro: ex huius domo, nec rursus Lachmannus haerere debebat in El. IV, 11, 36.: Iungor, Paulle, tuo sic discessura cubili: In lapide hoc uni nupta fuisse legar — i. e. in lapide huius meo —, nec idem II, 13, 55.: illis paludibus. Cf. ad El. II, 34, 85. 9, 25.

§. 25. Adiectiva pro adverbiis.

Vicina ratio adiectivorum est pro adverbiis positorum: non eo, quem in eundi verbis significavimus modo; illic

enim iustum est et verum adiectivum, sed cum notio, quae verbi propria est, in nomen transfertur, ut I, 21, 4.: Pars ego sum vestrae proxima militiae pro eo: proxime eram p. v. m. Add. I, 9, 23. sq. ubi alterna manu pressit, pro hoc: alternis vicibus pressit manu; item III, 12, 29.: alternas scissa Charybdis aquas, h. e. alternis vicibus scissa et non scissa, et quod non intellexit Broukh. II, 26, 24. Durius etiam nostro sensui, quamvis usu vulgatum, quod adiectiva temporis pro adverbiis, nullus pro non (I, 17, 12.), vel nunquam I, 18, 18. Coniuncta autem haec figura cum superiore novam efficit figuram et singularem, quam semel in nostro inventam nec a quoquam recte intellectam frustra sollicitarunt El. II, 16, 16.: Indigna merce puella perit. Est enim perinde quasi dicas: indignum est, merce puellam perire. Nam cum non ita quidem vulgare, levius tamen quam nostrum fuisset indigne perit: iam iterum in adverbii locum cessit adiectivum.

§. 26. De similitudinibus.

Sed hae, quas hucusque persecuti sumus, figurae orationis eo solum ad illustrandum Propertii ingenium conferre potuerunt, quod quae in omnibus operibus hic illic dispersa invenimus variorum generum semina collecta simul lecturis proposuimus. Restant autem duo genera, quae cum non hoc vel illo loco appareant, sed passim et ubique, plus quam reliqua omnia peculiarem illam poetae nostri quam vere Propertianam dixeris orationem designare possint, i. e. metaphora et metonymia. Quarum prior quam apta sit Propertii indoli, demonstrare nunc non attinet. Per se enim patet. A similitudine autem quin metaphora originem habeat, haud ambiguum. Qua cum poeta lyricus nullus possit carere (vid. enim quae supra Cap. IV. de allegoria exposuimus), quid Propertius in tanta imaginandi et facultate et copia? Sed plenas illas similitudines, in quibus imagini res ipsa ex adverso respondens per singulas partes comparatur et redditur (redditionem enim proprio vocabulo Artium scriptores illam appellant), illas igitur continuas similitudines rarius usurpat; quamquam minime inficetum, quod habet II, 3, 47.:

Ac veluti primo taurus detractat aratra,
Post venit assueto mollis ad arva iugo:
Sic primo iuvenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti post haec aequa et iniqua ferunt.

Cui loco add. II, 15. fin. 22, 34. 5, 11. 10. fin. et, quod

diu non intellexerunt, III, 15, 33—36. — Sed haec ut diximus rariora. Nam quae epici carminis flumini pleno illi quidem et largo, sed latius saepe usquequaque expatianti egregie sunt accommodata, eadem concitatum lyrici impetum non decent, nedum Propertii. Praeterea etiam saeculo sua cuique et laus et proprius loquendi decor. Nam cum Homerum patrem lentius res exponentem atque adeo suaviter loquacem non toleres modo, sed ames et ita demum probes: ea contra aetate, cui cum ex assidua superiorum poetarum lectione, tum ex variis praesentis vitae occupationibus imagines undique et argumenta affluunt, carmina quoque, ut homines, ne copia premantur, festinare oportet, earumque rerum, quae olim integrae ponebantur, capita tantummodo tangere placet. Itaque similia primum interiectionum modo (i. e. παρενθετικῶς) collocata et ἀνταποδόσεως indigentia, velut II, 3, 9. sq. et quod oblitteratum librariorum stribliginibus IV, 5, 19.: Exorabat opus verbis — ceu blanda perurat Saxosamque terat sedula lympha viam. Deinde, ut exempla, sic similia dissolute posita tum praesertim, cum enthymematum more adhibita nescio quam sententiis confinem speciem trahunt. Sic, ne de El. I, 2, 9. sqq. dicam, II, 22, 41.:

Nam melius duo defendunt retinacula navem,
Tutius et geminos anxia mater alit —

vel II, 1, 45.:

Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves.

Quibus cf. prorsus similia III, 11, 5. sq. II, 5, 19. 25, 5—8. 15. 16. 25. sq. 34, 47. III, 3, 27. sq. IV, 5, 61. 10, 4. III, 9, 5. sq. Quibus exemplis et cumulari saepius similia discas, nec tamen nostrum tantum saeculo suo concessisse, ut lautiorum velut epularum luxuriae assuetis sanum illum et simplicem, qualem ipsa natura solet praeparare, cibum ponere timeret. Nam similium vis omnis cum in ipsa naturae imitatione versetur, hac si quis fastidita cupedias sectetur, id ipsum, cuius causa simile expetitur, i. e. evidentiam perdet. Neque igitur recte quis simile dicat, sed exemplum, quod est I, 3, 21. sq.:

Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
Qualis Apelleis est color in tabulis.

Item III, 17, 39. 59.

§. 27. Translatio.

Sed omnium frequentissima translatio, quae quo artius dicendi ambages circumcidit et pressiorem efficit ora-

tionem verbaque magis significantia, eo et acceptior cultis hominibus et elegiaco lyricoque generi utique aptior, contra prorsus, quam in epicis. Haec si continuatur, allegoria fit. Sin omnia simulata sunt, nec unquam verum perlucet, aenigma. De allegoria autem supra satis diximus. Aenigma, nisi animi causa et in ludibrium sit expetitum, semper vitium erit. Neque igitur Propertius illud unquam admisit, quamvis quibusdam contra videatur El. IV, 6. exord.: Sacra facit vates cett. At nec verum sacerdotem, sed poetam, neque alium, qui rem divinam faciat, sed se ipsum intelligi velle satis indicat, itemque alibi. In his autem plurimum audeat poeta, non modo licet, sed oportet etiam. Nam cum vel sermo quotidianus in plerisque vocabulis, iis praesertim, quae a sensuum significatu ad mentem et cogitationem sunt translata, hac usus sit figura, partim eorum ita sensim sunt declinata, ut propria sententia prorsus exolesceret, partim usque adeo usu trita et attenuata, ut translationem non amplius sentias, velut in illo: dura puella. Itaque poeta, cuius omnis ars in visionibus versatur atque in illa, quam scis, sub oculos subiectione, pro vulgaribus illis verbis nova quaeret et vere significantia, nec solum duram puellam dicet, sed ferream. Hinc etiam frustra vulgo praecipi apparet, ne, a qua orsus sis metaphora, hanc in fine deseras. Propertius certe quantopere variare translationes amet, El. III, 1. exemplo apparet, qua cum tota paene in illa figura versetur, tamen ne uno quidem versu poeta sibi constat. Quibus cf. El. II, 10, 1. coll. 2. 23. 24. 25. 26. IV, 6, 2. coll. 3. 7. 10. II, 16, 7. 9. 34, 41. 42. coll. 43. 44. III, 3, 15. 16. 18. 21. 22. 26. 39. 51. 7, 3. 4. Sed hoc quoque interdum intellectui obfuit, quod vera rerum ratio rescisso quodammodo similitudinis velo etiam illic perlucet, ubi minime expectes. Nam cum primus metaphorae sit gradus appositio, velut in hoc: oculi, geminae, sidera nostra, faces, sive proprium in subiecto, fictum in praedicato est, ut:

Tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola penates,

vel:

Haec mihi devictis potior victoria Parthis:
Haec spolia, haec reges, haec mihi currus erunt —

(adde II, 17, 2. III, 1, 3. II, 22, 34.): efficacius vero hoc, cum proprium genitivo casu e translato pendet: „Non est ingenii cymba gravanda tui“ — vel magis etiam vera delitescente sententia: „Gaudeat in puero, si quis amicus erit; Tranquillo tuta descendis flumine cymba: Quid tibi

tam parvi litoris unda nocet?“ (II, 4, 19.). Insolentius tamen, et quod Viros DD. interdum fefellit, cum per medias metaphoras in uno vel adiectivo vel verbo, fortuito quasi vera verborum vis erumpit, ut El. III, 9, 29.: „In tenues te colligis umbras“ — ubi v. comm.; III, 1, 4.: orgia ferre. Huc etiam pertinet II, 34, 43.: angustus tornus et III, 3, 18.: parvae rotae; IV, 6, 10.: mollitum laurea iter; cf. praeterea infra El. IV, 6, 7.: carmen libare. Praeterea, quamvis tanto magis translationes niteant, quanto longius possis similia animo prosequi, poeta tamen ipse sibi temperans, saepe pauca modo indicat, plura lectori divinanda relinquit, ne omnia urgendo et ad vivum quodammodo resecando dum facetior haberi vult (id quod Ovidio non semel evenit) putidus videatur. Sunt enim quaedam metaphorae, quamvis non in quotidiano sermone ita haeserint, ut verae figurae faciem perderent, tamen tralatitio quodam et veluti hereditario iure, poetarum commune quoddam patrimonium factae. Haec igitur illa quasi materia poetica est, quae, si quid video, ab Alexandrinis primum inventa, a poetis Romanis elegiacis imprimis et lyricis propagata deinde et ita est exculta, ut alter alterius verba expressisse saepe videatur, ne dicam surripuisse. Hic cum commodum natum est interpretibus, tum difficultas. Tamenetsi enim plurimos horum poetarum locos comparatis aliis, qui ad singula saepe verba concinunt, et illustrare licet et tam certa coniectura emendare, quam in nullis cuiuslibet aut aetatis aut populi scriptoribus aliis contigerit: tamen, cum non omnes tanta sive facilitate sive levitate, quanta Ovidius totos versiculos aliunde transcripserint, sed eruditis modo aequalibus ut se quoque doctos probarent, similitudines vel metaphoras, superiorum poetarum lectione iam pervulgatas, uno verbo indicare, quam recocta iterum tamquam sua ponere verecundius duxerint, multa inventa sunt translationum vestigia, quorum Viri DD. cum originem et exemplum unde expressa essent praeterviderent, modo in interpretando satagerent, modo locos sanissimos nocentibus medicinis vexarent. Hinc igitur aestimanda illa: II, 10, 43. 13, 3. III, 1, 2. IV, 7, 51. III, 3, 36. IV, 6, 10. III, 1, 6. 10, 26. IV, 6, 7. 1, 59. II, 10, 1. III, 10. extr. 1, 39. II, 14, 29. 25, 21. sqq. I, 8, 21. ibid. 16. II, 7, 15. III, 3, 47. sq. I, 1, 1. 5, 11. 8, 12. coll. II, 16, 44. 28, 8. Sed haec hactenus. Nam quae ipse Propertius invenit similia singula hic recensere nec multitudo patitur, quae est paene infinita, neque ipsa exemplorum natura, quorum cum unumquodque suam requirat et propriam interpretationem, commentariis haec rectius dabuntur.

§. 28. Metonymia.

Aliter metonymia, quae cum divisionem non modo recipiat, sed, quo accuratius eius usus cognoscatur, etiam requirat, iam hic singulis quaeque locis exempla assignanda decrevimus. Hac autem in figura, multo etiam magis, quam est superior, Propertio frequentata, periclitatus est ille plurima, quae ut felicissimi cuiusque ingenii audaciam facile novitate vincant, ita recentiorum linguarum usui saepe adversantur, ut non sententias sed ipsa verba interpretaturo inextricabiles pariant difficultates. Nam metonymia, quam apto nomine mutationem Tullius vertit, ita a metaphora differt, ut res aliqua non pro simili ponatur, sed pro cognata altera, i. e. pro ea, quam aut qualitate aut quantitate — liceat enim haec verba a logicae professoribus mutuari — aut denique aliqua relatione contingit. Hinc accuratius definientibus non modo *συνεκδοχὴν κατάχρησιν* multasque *ὑπαλλαγῆς* species eo nomine comprehendi apparebit, sed plurima etiam constructionum genera, quae aut *κατὰ σύνεσιν* facta vulgo solent perhiberi, aut per syntaxin, q. d. ornatam passim et sine ordine spargi. Totius autem huius generis origo eadem est, quae universae poesis. Nihil enim vult, nisi ut notio rei et *ἰδέα* menti infixa, et quae pura et integra tantum cogitatione comprehendi posse videatur: haec autem *ἰδέα* ut corpus quodammodo et figuram nacta sensibus subiiciatur. Duplici id modo fit. Primum enim qualitas certae vel rei vel personae magis ceteris propria, ab illa re vel persona absoluta et quodammodo divulsa, ipsa novam personam ita induit, ut prius et proprium nomen, cuius vicibus nunc hoc alterum fungitur, genitivo casu ex eo pendeat, velut I, 20, 15.: error Herculis — fleverat — pro: Hercules errans; II, 16, 52.: fulminis ira cadit; I, 13, 23.: amor Herculis pro: Hercules amans, et contra I, 20, 6.: ardor Hylae pro: Hylas amatus; I, 16, 2.: Tarpeiae pudicitia pro: Tarpeia pudica; adde IV, 7, 57. Hinc iniuria aliquando impugnatum IV, 6, 72.: Blanditiaeque fluant per tua colla rosae, i. e. rosa blanda fluat; item IV, 7, 4. Hinc, quoniam adiectivum de nomine factum vel pronomen possessivum pro genitivo est, II, 28, 31.: inter Tityi volucres mea poena vagetur, h. e. ego punitus; III, 19, 15.: patria succensa senecta pro: patre sene; I, 2, 31.: nostra vita pro: nos, dum vivimus. Adde II, 28, 39. 13, 22. I, 17, 12. 17, 8. II, 5, 22. I, 18, 13. 17, 19. II, 16, 32., ubi v. comm.; I, 6, 21.: tua aetas, i. e. tu, ista aetate; II, 18, 5. 10, 7., aut sicubi geniti-

vus facile e proximis intelligitur, ut IV, 11, 80.: siccis oscula falle genis i. e. liberos te exosculantes; II, 17, 6.: aqua sitim fallit i. e. sitientem; sed singularius multo III, 22, 22.: victrices temperat ira manus, et addita hypallage adiectivi, insolentissime IV, 9, 62.: Nec tulit iratam ianua clausa sitim; III, 7, 59.: Quo rapitis miseros primae lanuginis annos i. e. me Paetum miserum his pr. l. annis. Mirum igitur, quod in tanta similium locorum copia tam diu desudarunt in initio El. III, 1. „Callimachi manes et Coi sacra Philetae", ubi v. comm. Huc etiam pertinet, quod in comparatione duarum rerum nomen aliquod cum alterius qualitate confertur, velut I, 20, 14.: Quarum (heroinarum) nulla tua fuerit mihi — forma — gratior. Cf. III, 9, 31. Nec tamen hic usus in sola qualitate subsistit. Nam I, 1, 22.: illa meo palleat ore magis. Cf. ad El. II, 3, 21. — Huic autem generi proximam figuram et Virgilio imprimis usitatissimam, ἓν διὰ δυοῖν semel tantum, quod sciam, Propertius admisit (III, 4, 9.: Crassos clademque piate) nec, puto, casu sed consulto. Brevitati enim plus obest, quam favet.

Diversa autem ab hac, quam hucusque tractavimus, metonymiae specie altera est, cum qualitas illa non uni rei vel personae abstracta est (ut error — Herculi erranti), sed a toto quodam rerum genere sumpta (velut forma a formosis), iam pro singulis omnibus, in quibus illa qualitas invenitur, ponitur, ut si forma coniunctim pro formosa puella dicitur. Sed haec, quae passim apud Propertium inveniuntur, ut II, 28, 53. 13, 9. figura; I, 4, 9. iuventas; II, 1, 75.: crimen et illa fuit; III, 19, 15. rumor eris; I, 5, 29. — vulgaria iam sunt facta. Exquisitius vero, quamvis ne ipsum quidem semper a communi usu remotum, cum notio illa generalis, ne ad unam quamque eius generis rem vel personam possit referri, sed ut una eaque certa intelligatur, iterum vel genitivo vel quocunque alio modo artius circumscribitur et definitur, ut si non crimen aliquis dicitur, sed (ut Baiae apud Propertium I, 11. extr.) crimen amoris. Huic autem generi frequens in praedicato locus, vulgari fere modo, ut II, 1, 26.: tu Caesare sub magno cura secunda fores. Adde II, 1. extr. 21, 7. 4, 15. 5, 28. IV, 1, 81. 5, 29. Elegantius iam I, 21, 4.: pars ego sum vestrae — militiae, et ubicunque pars de re dicitur, quae cum sola cogitatione percipiatur, dividi proprie non potest, ut I, 4, 11. 7, 34., ubi v. comm. Audacissime contra I, 11, 23.: Omnia tu nostrae tempora laetitiae —, cui simile II, 25, 47.; porro I, 14, 18. 18, 15. 22, 6.

II, 13, 20. IV, 10, 10. Unde egregia Lachmanni coniectura IV, 4, 17.: urna potuit mors esse puellae — nec temere tangendum IV, 8, 3.: Lanuvium est tutela draconis. Nam saepe haec figura eam speciem habet, quasi pro causa effectus sit positus, praesertim cum notio generalis non praedicati locum obtinet, sed per appositionem alteri nomini additur, ut I, 2, 17.: Idae et cupido — discordia Phoebo — Eveni filia. II, 1, 21. I, 15, 22. 11, 30. II, 1, 73. III, 7, 14. et frequens illud: cura mea II, 16, 2. 25, 1. I, 1, 36. II, 34, 9. Sed veram esse vel certe poetae ingenio aptiorem multo nostram explicandi rationem ea exempla docent, ubi cum metonymia iuncta metaphora, velut II, 34, 86.: Varro Leucadiae maxima flamma suae, vel ubi collectivo propius abstractum, ut II, 16, 2.: Praetor — maxima praeda tibi. Cf. II, 2, 9. I, 12. fin. Ceterum hic quoque apud mentem interdum intelligi potius, quam de industria addi nomen, quod hac figura significatur, ultro colligas. Quamquam rarior in Propertio haec ratio, ut I, 13, 30.: Ledae partus, quem Tyndaridas intelligit; I, 15, 20.: Aemonium hospitium, qui est Achilles. Adde vulgaria magis: I, 20, 9. II, 16, 30. 34, 9. I, 8, 22.: mea vita, frequentissima puellae appellatio; II, 5, 18. 3, 23. 26, 1. 19, 27. 24, 29. 30, 14. Egregie vero IV, 6, 50.: picti metus. Sed proxima prosae orationis usui *συνεκδοχῇ*, tum demum elegantior, cum pluralis pro singulari ponitur, ut El. IV, 9, 34.: Pandite defessis hospita fana viris, ubi unus Hercules intelligitur; IV, 11, 30.: Numantinos — avos, ubi unus Scipio. Cf. ad El. II, 7, 15.

Quoniam vero res aliqua non solum qualitate excellit, sed etiam vel insigni quodam, vel parte sui tam propria et singulari, ut haec ipsa pro qualitate fiat, pars quoque pro toto suo et insigne pro ea re, cuius est insigne, ponitur. At ne hic quidem *ἓν διὰ δυοῖν* reperitur, aliis frequentissima figura, Propertio nimis trita, cum alterutrum, aut pars aut totum, sit supervacuum. Quamquam duorum, qui huc pertineant, locorum memini, II, 9, 13.: tanti corpus Achilli — maximaque — sustulit ora, et III, 17, 19.: Per te (Bacche) et tua cornua vivam. Contra genitivo adiuncto audacissimum III, 19, 12.: Testis, quae ... induit cornua falsa bovis pro: bovis cornutae figuram; IV, 1, 45.: Bruti secures — Caesaris arma — pro: Bruto consule et Caesare belligero; IV, 3, 58.: tua hasta pro: tu hastatus; cf. IV, 4, 12. I, 6, 19., ubi vid. comm. Item ad II, 26, 18.: Delphinus, qui — Arioniam vexerat lyram pro: Arionem citharistam. Deinde per appo-

sitionem: IV, 1, 12.: Pellitos, rustica corda, patres (cf. magis vulgaria IV, 11, 55. II, 1, 36.); unde tenemus IV, 7, 63.: Andromedeque et Hypermnestre — historiae pectora nota suae, quod non liberum manserat a criticorum suspicionibus. Eadem figura nostram emendationem fulsimus II, 28, 54.: Troiani muri, diruta regna senis.

Rursus συμβολικῶς III, 9, 51.: silvestre uber pro: nutrice silvestri, i. e. lupa Martia dicitur; III, 10, 11.: felicibus edita pennis, i. e. avibus vel augurio; II, 19, 28.: lucifer, i. e. dies; II, 22, 25.: Arctos, i. e. nox; IV, 6, 81.: pharetrae Eoae, i. e. Parthi sagittarii. Add. I, 9, 10. 20, 18. 13, 34. II, 6, 24.

Porro, quoniam variis rationibus varia rei qualitas efficitur, siquidem in opere aliquo auctor et instrumentum vel etiam materia, ex qua factum est, apparet, nec eadem res manet, si ab aliis possidetur, et quae diversis locis gignuntur, diversam trahunt naturam: plurimae oriuntur mutationum species, quarum vix ullam Propertius intactam reliquit. Neque tamen hic de vulgaribus dicemus, qualia sunt, cum vel dii pro donis suis ponuntur (cf. Cap. IV.), vel auctores pro libris, vel manus pro artificiis (cf. tamen III, 21, 30.): materiam vero pro re inde fabricata audacius dici a nostro ideo commemoramus, quod El. III, 10, 22. simul cum καταχρήσει iuncta ea figura summas VV. DD. turbas movit, qui cum onychem pro alabastro, i. e. vase unguentario dictum non intelligerent, de murrinorum natura varias commenti sunt fabulas. In regionum autem nominibus, quae pro incolis ponere vulgatissimum est, hac re Propertius eminet, quod attributa iis addit, quae in solos locos, non in homines cadunt. Itaque cum facile sit et nequaquam nove dictum IV, 8, 1.: Disce, quid Esquilias hac nocte fugarit, h. e. Esquiliarum incolas: praeter omnem expectationem est, quod nihilominus addit: — aquosas. Nec facile alius Dircaeas Thebas diceret, si Thebanos, non urbem vellet significare. Contra III, 7, 40.: naufraga Graecia, et IV, 7, 78.: lascivum forum, ubi tamen accolas intelligi cetera vetant. Neque igitur aliud, cum sensus sensu carentibus tribuitur, ut vigilax Subura et incertum Canopum et cetera id genus plurima. Elegantissimum vero, quod Dardana puppis IV, 1, 41. pro Aenea et sociis dicitur, et cinis pro Troiani populi reliquiis ibid. 53. Quo multo etiam magis poeticum et Propertianae tam evidentiae quam brevitati accommodatissimum, quod pro auctore facti aut causam saepissime ponit, aut instrumentum. Nam cum omne, quidquid fit, et

propter aliquid fiat et per aliquid, poeta hic quoque non modo rebus omnibus et cogitationibus et affectibus separatam tribuit a personis suis vitam et voluntatem (interdum adeo cum personis pugnantem, velut II, 25, 20.: invitis ipse redit pedibus, cf. I, 19, 23. 15, 40. 16, 32.), unde talia:

Aspera Centauros eadem dementia iussit
Pocula in adversum frangere Pirithoum —

et totus ille de affectuum imperio locus (in quo cf. I, 3, 35. 13, 28. 15, 16. 18, 18. II, 16, 39. sq. III, 19, 18. et paene cum specie προσωποποιΐας I, 22, 5.: Romana suos egit discordia cives) — sed etiam causam agendi ipsius agentis persona commentari vult. Quod genus, ut cetera, a levioribus initiis ortum, qualia vulgaris etiam oratio plurima admittit, velut III, 26, 24.: portas fraude reclusit amor, et I, 13, 25.: Una dies omnes potuit praecurrere amantes — versus, ut fit, a criticis iniuria vexatus, cui cf. I, 17, 3. II, 1, 57. 3, 28. — mox duriora iam nostris sensibus exhibet, ut II, 4, 4.:

Et crepitum dubio suscitat ira pede —

et III, 11, 35.: Tres ubi Pompeio detraxit arena triumphos, cui cf. IV, 11, 10. — donec in tantam audaciam adolevit, quantam si quis poetici spiritus nescius severiori rationes quodammodo trutina velit expendere, tamquam tumidum iure sibi videatur castigare. Ac profecto, si qui poeta versus egregios III, 9, 41. sq.:

Moenia cum Graio Neptunia pressit aratro
Victor Palladiae ligneus artis equus,

— equus enim causa deletae Troiae ductique super ruinas aratri — illos igitur si quis versus hac aetate et apud nos velit ad verba exprimere, risum debuerit nostris hominibus. Item in instrumento. Nam cum facillimum sit II, 26, 50.: urna profudit aquas, cf. III, 17, 37. IV, 4, 16. 54. 6, 4. II, 6, 37. II, 12. extr. 15, 48. 19, 26. 21, 10. III, 2, 12. 6, 12. 7, 39. 12, 64. IV, 6, 39. 7, 38., iam non vulgare hoc III, 10, 22.: crocino nares murreus ungat onyx. Insolentius vero IV, 8, 76.: Nec cum lascivum sternat arena forum. Cf. II, 4, 6. 6, 27. coll. 30. 7, 12. 13, 19. 26, 33. III, 11, 15. Nec nos ab initio offenderit I, 20, 17.: „Ferunt — Pagasae navalibus Argo Egressam longe Phasidos isse viam“ —; sed cum pergat poeta: Et iam praeteritis — Athamantidos undis — appli-

cuisse ratem, subiectum paene memoria excidisse illi videtur. Similiter tamen I, 22, 6.: pulvis Etrusca — tu — nullo contegis ossa solo. Novum denique plane et hercle pulcherrimum II, 31, 12.: Valvae — Altera deiectos Parnassi vertice Gallos, Altera moerebat funera Tantalidos. Mire enim fecit poeta, quod operi muto sensus artificis, qui illud effinxerat, tribuit. At ne hoc quidem vile II, 34, 87.: haec cantarunt scripta Catulli, et mox v. 89.: haec confessa est pagina Calvi. Cf. I, 18, 29. III, 1, 18. 3, 21. 25, 17. IV, 1, 103. sq. 4, 63. 10, 30.

Haec igitur omnia quae recensuimus exempla ad principem et primariam mutationem eam debent referri, qua initio qualitatem pro re vel persona, cuius est ea qualitas, poni diximus — quod abstractum pro concreto vulgo solent appellare. Restat contraria huic et opposita ratio, cum ἰδέα, i. e. communis rei cuiusdam notio mente concepta, certas induit certarum rerum formas — concretum pro abstracto positum aiunt. Quod quoniam semper fit a poeta et ubique et toto carmine, nequaquam est ea protinus figura appellanda. Neque igitur tum, cum singulis sententiis apparet, velut El. I, 2, 1. sqq.:

Quid iuvat ornato procedere, vita, capillo
Et tenues Coa veste movere sinus? —

et quae deinde sequuntur luxuriae variae species, quae aliis gratae simplicitatis exemplis ex adverso oppositae ipsum efficiunt carminis argumentum. At ne in singulis quidem nominibus pro argumenti parte figuram mihi obtrudi patiar, velut cum per συνεκδοχὴν speciem pro genere positam autumant. Nam quod El. III, 18, 19. ait: Attalicas supera vestes; res pretiosas in universum significare poetam, „nil amplius“ Heynianae illi interpretum cohorti non concedam. Sed si dicit Attalicas vestes, intelligit quoque, et cum III, 13, 37. sic ait:

Pinus laetas circumdedit umbras —

non quercum, nec fagum, nec arborem in universum designatam intelligo, sed eam ipsam, quam dicit, pinum. Nam certarum rerum imaginem si sustuleris, omnem poesin e natura rerum tolles. Itaque figuram tum demum agnoscas, si poeta generalem illam, de qua diximus, notionem certis rerum formis subesse se velle, structura a vulgari dicendi modo paullum deflexa ipse indicat. Quod primum fit genitivo, velut II, 28, 39.: ratis fati, i. e. ratis, qua mors et fatum ipsum videtur vehi. Unde explicandum,

in quo nemo offendit, quamvis non ita planum I, 1, 3.: lumina fastus, i. e. oculi, in quibus fastus et superbia quasi praesens habitat, superbiae domicilium et regnum. Hinc II, 1, 27., cum enallage adiectivi iunctum: Siculae classica bella fugae, quod ad verba Germanice vertere vix cuiquam contingat, pro bellis classicis Siculis fugae plenis. Item III, 9, 54.: Parthorum astutae tela remissa fugae; I, 7, 2.: arma militiae fraternae; IV, 7, 69.: lacrimae mortis. In praedicato vero positam qualitatem, cum res ipsa sit subiectum, vel vice versa, ad idem, quod supra excussimus genus redire, patet. Contra appositio aliquanto differt a superiore (pag. 151.). Huc enim, ut exemplo utar, pertineret I, 15, 20.: Euadne — Occidit Argivae fama pudicitiae — si simul cum eius mulieris morte etiam Argivorum famam periisse poeta diceret. Contra re vera ad nostrum hoc novum genus referatur El. II, 16, 37. sq.:

Cerne ducem, modo qui fremitu complevit inani
Actia damnatis aequora militibus —

ubi v. comm. Hanc figuram ipse Propertius quodammodo interpretatus est IV, 6, 42.: patria — Imposuit prorae publica vota tuae — ut reipublicae salus illa navi salva stare, fracta cadere videretur. Quo multo etiam significantius III, 19, 22.: Scylla — Tondens purpurea regna paterna coma, quoniam ex illa coma fatali regni fortuna pendebat. Adde IV, 8, 21.: Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit; II, 15, 28.: Masculus et totum femina coniugium. Hinc res ipsae pro rerum insignibus positae verborum denique significationes mutare et turbare normas grammaticas videntur, ut in hoc, II, 1, 35.: Et sumpta et posita pace fidele caput — ubi togam sumptam et positam, pacis insigne, poeta intelligit; alioquin enim sumere pacem non esset Latinum. Itaque etiam pro infinitivo vel nomine verbali illud nomen ponitur, quod cum infinitivo per accusativum casum debebat necti, infinitivi autem ipsius notio, quae primaria debebat esse totius sententiae, participii passivi forma tamquam accessorium quid additur. Quod genus cum in usu part. fut. passivi pro gerundio positi sit vulgatissimum, in participio perfecti interdum aliquam habet offensionem, velut II, 28, 2.: Tam formosa tuum mortua crimen erit, pro eo: tam formosam mortuam esse cr. er. Quo durius etiam IV, 1, 41.: quod nihil illam Laeserat abiegni venter apertus equi, quod crassa Minerva interpretaturis absurdam efficeret sententiam. Significat enim, nihil inde Troiam damni tulisse, quod

venter equi apertus esset. Item II, 7, 5.: Devictae gentes nil in amore valent, i. e. victoriae de gentibus reportatae. Hinc demum recte interpreteris I, 1, 19.: deductae fallacia lunae, cf. §. 8. Adde I, 17, 7. III, 20, 26.: novo toro, i. e. eo, quod quaeritur n. t. Atque sic demum ea, quae supra figuras esse negavimus, figurate dicta erunt, si quae notionis alicuius insignia sunt, sive natura, ut lacrimae doloris (cf. IV, 1, 121.), sive usu (*θέσει*), ut securis consulatus, non proprie intelligenda esse sententiarum nexus apertus cogat, velut IV, 1, 102.: libris est data palma meis; III, 9, 34.: tropaea; IV, 16, 58.: Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas, i. e. regnum Cleopatrae navali pugna deletum est. Item El. III, 11, 47.: Quid nunc Tarquinii fractas iuvat esse secures? Rursus in singulis verbis II, 9, 40.: Sanguis erit vobis maxima palma meus, cf. IV, 10, 5. 1, 140. Sic IV, 1, 119.: astra pro fatis; ibid. 128.: lares pro re familiari; IV, 4, 62.: torus; ibid. v. 60.: palla pro nuptiis, ubi v. comm.; IV, 11, 65.: sella curulis pro honore curuli.

Hic usus simulatque verba occupat (partem orationis *ῥῆμα* intelligo), alterum genus parit structurae *κατὰ σύνεσιν* factae: de altero enim in metaphora diximus. Nam cum lacrimae doloris aut metus sint signum: quicunque flet, aut doleat aut metuat necesse est. Hinc flere modo accusativo cum infinitivo, modo coniunctioni ne a Propertio iungitur, ut II, 7, 3.: Flemus uterque diu, ne nos divideret, et I, 7, 17. sq.: agmina flebis iacere, cf. III, 9, 37. IV, 4, 29. Utrumque simul II, 27, 7—10. Elegantius etiam III, 12, 9.:

Illa quidem interea fama tabescit inani,
Haec tua ne virtus fiat amara tibi.

Nam pallor quoque et tabes metus sunt signa. Neque alio modo explicandum IV, 5, 35.: tundat Amycle, Natalem Maiis idibus esse tuam. Tundendo enim significamus, quid sentiamus. Recte etiam I, 15, 35. post iurare positum ut. Nam inter iurandum mala sibi delicturae imprecatur. Sic mirari III, 10, 1. cum interrogatione, usu iam vulgari, et laudare cum accus. et infinit. I, 7, 10. Hinc denique infinitivus explicandus, quem Graeco more positum vulgo sed falso existimant. Certe omnia Propertii exempla accuratius si excusseris, nullum invenies, quo non generalis quaedam notio (qualis est verborum velle aut posse aut coepisse) lateat, quam infinitivus sequatur legitimus. Hinc

post eundi verba, quae voluntatem continent, I, 1, 12. 20, 23. 21, 1. II, 1, 3. I, 8, 4. Deinde II, 5, 17.: parce nocere, i. e. noli; I, 1, 20.: non meminit ire, i. e. nescit, non amplius potest. Adde II, 1, 41. 11, 12. I, 9, 5.: Non me Chaoniae vincent in amore columbae dicere — pro eo: melius nequeunt dicere. Adde II, 21, 16. I, 16, 7., locum iniuria suspectum. Eadem ratio adiectivorum, ut IV, 5, 13.: audax, qui audet; I, 19, 9.: cupidus; doctus (II, 3, 20. IV, 6, 24.); item facilis (II, 21, 15. IV, 8, 40.). Contra lassus — qui labore defessus non amplius potest aut vult (II, 33, 26.). Adde II, 10, 33. III, 5, 35.: serus, qui cunctatur. Rectissime autem habet II, 3, 52.: cognitus surripuisse, cui conformatum IV, 10, 41.: nobilis. Via autem est (III, 14, 30.) et data libertas (III, 15, 4.) idem sonat, quod licet. Audacius utique pro eodem III, 13, 38.: nec fuit poena videre.

Res igitur ipsas pro rerum formis animo conceptis poni, si propriam esse huius figurae virtutem intellexeris, minus profecto mireris imagines rerum ad veritatem expressas ipsarum rerum nomine appellari, quod est vulgare (mirum tamen III, 22, 36.: bove faciem dedecorare, pro: bovis figura, et appositio pulcherrima II, 31, 8.), nec modo Cynthiam carmen iuvenile Properti dici, sed alibi quoque sententias cum verbis, sententiarum signis, et carmina cum argumentis suis confundi. Unde Cynthia carminibus sublata (I, 11, 8.) eadem in aure sonare dicitur (I, 12, 7.), utrumque pro nomine Cynthiae. Sic IV, 9, 72. Sancum orat, ut dexter insit suo libro. Hinc etiam illud II, 1, 10.: totum e Coa veste volumen erit. Quinimmo id, quod factum ab aliis describit, ipse fecisse videtur poeta, unde II, 34, 63. sq.: Virgilius — Aeneae Troiani suscitat arma, Iactaque Lavinis moenia litoribus, et in sequentibus plurima, quae duntaxat descripsit, fecisse ipse dicitur, cf. I, 7, 17. Ipse vero Propertius prosequitur currus ab utroque litore orantes (III, 9, 53.) et muros Romae disponit (IV, 1, 57.), loco frustra tentato. Nam eandem figuram videmus cum metaphora iunctam pulcherrima III, 3, 41. sq.:

Nil tibi sit rauco praeconia classica cornu
Flare, nec Aonium cingere Marte nemus.

Quin ipsum condendi verbum, in poematis proprium, ad hanc metonymiam interdum referendum esse docent et alii loci et II, 1, 42.

§. 29. De attributis et de pleonasmo.

His igitur figuris omnibus duplex ingenii Propertii natura haud ambigue apparet. Neque ab ea aliena *ἀντονομασία*, quae res attributis suis illustrans verbis tamen parcit, omisso proprio, quod a doctis facile suppleatur, rei vel personae nomine. Hinc puer toties pro Cupidine (III, 10, 28. I, 6, 23. 7, 15. 19, 5. 9, 21. IV, 1, 138.), et sorores modo pro Musis (II, 30, 29. III, 1, 7.), modo pro Parcis (II, 13, 44.), atque adeo pro Danaidibus (IV, 11, 17.). Hinc Syrium munus (II, 13, 30.), Libycus dens (II, 31, 22.), Hippodamiae regnum I, 8, 35. Adde II, 23, 21. 29, 9. 34, 29., ubi vid. comm.; III, 1, 19. 26. 32. 38. 3, 2. 31. 11, 17. 29. sqq. talium aenigmatum plenos, quique maximas interpretibus difficultates pepererunt. Nam meretricem Canopi reginam ne semel quidem proprio nomine appellat. Itaque ne concha quidem Erycina (III, 13, 6.) tangenda, quod nihilo doctius dictum, quam Idalium astrum IV, 6, 59., aut ea, quae El. III, 22. init. non sine librariorum et interpretum turbis leguntur. Adde II, 28, 54.: Phoebei muri — diruta regna suis, et v. comm. ad e. l.

Contra pleonasmum, utcunque evidentiae orationis favet, tamen, quoniam alteri ingenii Propertiani parti pugnare videtur, non ita raro inveniri in his carminibus iure mireris. Apertus enim est in epithetis, non modo ad doctrinam pertinentibus — de quibus in inventione satis diximus — aut de ornantibus illis, sine quis nulla esse potest vera descriptio, sed quae a sensibus remota iterare nomina et bis eadem dicere videntur, ut cum vacuus et solus coniunguntur, velut III, 6, 23. I, 20, 2. I, 10. fin. 1, 34. 13, 2.: quod abrepto solus amore vacem; I, 8, 4. 19, 6. Sed in mortis attributis usus paene solennis, ut I, 19, 2.: extremo rogo; I, 17, 23. III, 2, 20. II, 11, 4. His adde I, 5, 7. II, 1, 21. III, 11, 4. II, 24, 47. IV, 5, 33. Neque igitur tangendum III, 17, 8.: testatur in astris — ad coelum vecta Ariadna —. A qua specie non longe abesse *ἐπεξήγησιν* supra exposuimus §. 21. Apertior tamen eadem abundantia in particulis, velut II, 25, 25.: Aut prius infecto deposcit praemia cursu, Septima quam metam triverit ante rota; II, 3, 50.: dehinc posthaec; II, 9, 18.: etiam — et; I, 16, 47.: semper supervacuum; item II, 16, 26. 25, 31. III, 25, 6. I, 10, 19. et saepe I, 13, 1. II, 18, 21.

§. 30. Amplificatio.

Longe tamen diversa amplificatio, quae cum com-

positione orationis artissime coniuncta non in singulis verbis, sed in totis sententiis versatur. Nam quod acute Dissenius perspexit (Praef. Tibull. p. CXIX.), dividere in partes sententias Tibulli, amplificare repetitione Propertii esse; hoc certe sic valebit, si quas repetitas ille sententias ait, varias eadem cogitatione ortas imagines esse accipiamus. Nam bis eadem dicere infantis est, non poetae nedum Propertii. Verum cum verba, quae sermo loquenti suppeditat, raro satis esse videantur ad explendam sententiam aliquam talem prorsus, qualem animo praeformavimus: poeta, qui non indicare cogitata, sed integra et omnibus numeris absoluta sensui subiicere gestit, hinc illinc orationem vertat necesse est. Itaque modo eiusdem generis species diversas quidem, similes tamen coniunget (1.), modo generali enuntiato speciem subnectet (2.), modo, quod affirmaverit, non fieri posse negabit (3.), quo fortius affirmetur, modo simile mutabit (4.), modo proprio translatum, rectae orationi figuratam addet et contra (5.). Nec tamen haec omnia, quorum plenae sunt Propertii paginae, quicunque pleonasmos credit et supervacua verba, effugiet, quin et evidentiam et copiam, id est totius lyricae atque elegiacae poesis robur tristissimi sermonis frigore expellere prudentibus videatur. Itaque talia:

1. *Nec si Pegaseo vecteris in aere dorso,*
Nec tibi si Persei moverit ala pedes,
Vel si te sectae rapiant talaribus aurae —

vel:

2. *Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas,*
Nudus at inferna, stulte, vehere rate —

vel:

3. *Haec tibi contulerunt coelestia munera divi:*
Haec tibi ne matrem forte dedisse putes:
Non, non humani partus sunt talia dona,
Ista decem menses non peperere bona —

vel:

4. *Nil tibi sit rauco praeconia classica cornu*
Flare, neque Aonium cingere Marte nemus —

vel:

5. *Nam quis divitiis adverso gaudet amore?*
Nulla mihi tristi praemia sint Venere —

quae duo novissima genera sunt frequentissima — talia autem non modo ferimus, sed probamus etiam atque laudamus. Neque adeo propter eandem causam protinus inutilis abundantiae arguimus, si quando talia inveniuntur:

Spargere et alterna communes caede penates,
Et ferre ad patrios praemia dira lares —

vel:

Dura est, quae multis simulatum fingit amorem,
Et se plus uni si qua parare potest.

Semper enim nova etiam adduntur. Quamquam ne nunquam nostrum dormitasse dicamus, languidius sane dictum nemo laudabit II, 23. fin.:

Libertas quoniam nulli iam restat amanti:
Nullus liber erit, si quis amare volet.

Nam paene eadem sunt verba aliter duntaxat declinata, unde magnopere errare, qui alterum versum protasin, alterum apodosin eiusdem sententiae habeant, ad e. l. demonstrabimus.

§. 31. Ἀντίθετα.

Sed de amplificatione satis. Quae quamvis omnium sit frequentissima in Propertio figura, cavendum tamen est, ne Dissenium (l. l.) temere secutus alteram, quae est divisio, nimis eum evitasse credas. Quo errore facile labi possit, qui ἀντίθετον, genus et ipsum huic simillimum, cum divisione confuderit. Nam verum ἀντίθετον non tam ad elocutionem quam ad dispositionem pertinet. Etenim cum omne carmen contrariarum rerum certamine contineri viderimus, si res oppositae et inter se pugnantes uno versu vel ambitu obviam sibi fiunt et quodammodo cominus manum conserunt, ἀντίθετον nascatur necesse est. Veluti in hoc:

Et mihi iam toto furor hic non deficit anno —
Cum tamen adversos cogor habere deos,

vel:

Quamvis magna dedit, quamvis maiora daturus:
Non tamen illa meos fugit avara sinus.

Cuius generis exempla ubique per carmina sunt dispersa. Sed fortius etiam, cum invicem quasi se amplectuntur in eodem membro opposita:

Tum mihi constantis deiecit lumina fastus
— Amor,

vel:

Naturaeque decus — mercato perdere cultu.

Sed efficacissimum, nec sine summo affectuum aestu, cum utraque ratio coniungitur, veluti:

Ut, qui pacato statuisset in orbe columnas —
Tam dura traheret mollia pensa manu,

et mox:

Scilicet incesti meretrix regina Canopi — cett.
Ausa Iovi nostro latrantem opponere Anubin
Et Tiberim Nili cogere ferre minas.

Romanamque tubam crepitanti pellere sistro
Baridos et contis rostra Liburna sequi
Foedaque Tarpeio conopea tendere saxo —

et quae deinde sequuntur nobilissimorum sensuum plena omnia. Quae quamquam, ut diximus, ad dispositionem proprie pertinent, egregie tamen etiam elocutionem illuminant. Sicuti enim in picturis contrarii colores iuxta positi ipsi se accendere videntur, ita in oratione sententiae. Qua in re tamen verus poeta providebit, ne opposita illa animi causa arcessita nullo cum argumento nexu contineantur, sed ut nervorum modo totum carmen penetrent et vinciant. Itaque El. II, 16, 21.: „Candida tam foedo brachia fusa viro" attributorum repugnantia perversam illam et contra naturam pugnantem Cynthiae levitatem accusat, in qua reprobanda eius elegiae summa versatur. Item El. IV, 1., quae tota plena est contentionum talium — „qua maxima Roma — collis et herba fuit; ubi stant sacra palatia — concubuere boves" et quae exinde per plus sexaginta versus pertinent. Qua sola oppositione effici elegiacum illud, quod Propertii αἰτίοις admixtum esse diximus, fermentum, Cap. II. s. fin. significavimus. Neque vero talia tantummodo acuminis ostentandi causa expetita dixeris, quale III, 11, 16.: Vicit victorem candida forma virum — vel II, 15, 50.: Omnia si dederis oscula, pauca dabis. Suavissima enim inexpleti desiderii ὑπερβολή, quod toto carmine diffusum hic maxime splendescit. — Iam vero, quae restant ἀντίθετα attributorum, quibus praeter evidentiam descriptionis nulla alia laus quaeritur, pro carminum volumine omnino sunt paucissima, ut I, 20, 37.: lilia Candida purpureis mixta papaveribus, cf. II, 3, 10. sqq. 22, 11. 13, 28. sqq. IV, 4, 21. 8, 26. 9, 52. Nam aliorum praeter decorem etiam usum esse acutior sensus intelliget, velut III, 5, 24.: Sparserit et nigras alba senecta comas. Adde II, 9, 14. III, 12, 12. IV, 9, 49. 50. 3, 24. 44. I, 14, 3. 4., ubi animum amice curis liberum per varias iucundi otii imagines leniter vagantem facit.

Ab hoc genere longe diversa alia duo, quorum prius, quamvis prima fronte contra videatur, amplificationem continet, si dilemmatis, q. d., altera parte negata, altera, quae superat, fortius affirmatur, ut in illo:

Hostis si quis erit nobis, amet ille puellas:
Ardeat in puero, si quis amicus erit.

Quid enim hoc aliud nisi hoc: cum semel amandum sit, nolim amicus meus puellam amet; restat igitur, ut puerum. De hoc igitur dictum supra §. 30.

Saepissime vero, quae ἀντίθεσις videtur, sola est divisio. Nam si quid in universum et generatim affirmes, vagum id videtur, nec satis significans. Itaque si duae omnino nec plures eiusdem generis species sunt, contrariae sibi, ut consentaneum, et oppositae: utraque coniuncta totum nervosius amplectitur. Plus enim est omnia dicere, quam totum. Itaque pro eo: „omni tempore mea erit" multo hercle clarius et efficacius: Sive dies seu nox venerit — illa mea est. Item: Illius arbitrio noctesque diesque videbis, et quae sunt eius generis exempla infinita. Sin una divisione res omnis non expleatur, aut repetitur et per plura membra ducitur, aut, quod multo nervosius, extrema quaeque ponuntur, ut, quoniam actionis cuiusvis initio et fine summa continetur:

solus amator
Nec cito desisto, nec temere incipio —

vel:

Ultima talis erit, quae mea prima fides.

Interdum ex uno genere eminentissima quaeque eliguntur, ut in illo:

Victor cum victis pariter miscebitur umbris;
Consule cum Mario, capte Iugurtha, sedes.

Contra si nihil amplius, quam duas personas idem facere vel duas res eodem modo comparatas esse significatur, vix illud quisquam ἀντίθετον dixerit, ut in hoc:

Hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles,
Hunc super et Zethes, hunc super et Calais

et quae sequuntur.

Horum autem omnium exemplorum farraginem, unde singula excepta ad suum quodque locum facili negotio referas, in ἀναφορᾷ et ἐπιφορᾷ et in compositione pentametri congessimus. Nunc tamen his, quae modo recensuimus, adde I, 20, 27. 28. II, 21, 19. 25, 41—45. (ter) 26, 34. 28, 42. IV, 8, 30. 52.

Sect. III. De verborum formationibus.

Haec igitur ad syntaxin Propertianam. Nam quae restant, vel proprie vel audacius dicta, cum nihil ad illustrandum poetae ingenium faciant, et ab aliis vel saepius vel eadem licentia sint expetita, omisimus de industria. Idem valet de usu verborum singulorum grammatico. Quid enim hoc ad indolem elocutionis Propertianae, quod colum El. IV, 9, 48. 1, 72. genere masculino habet, aut quod II, 25, 47.: insomnia plurali numero pro insomnia (fem.) dicit, aut

denique, quod undisonos deos (III, 21, 18.) Graeco more appellat, qui undis strepitum cieant. Nec equidem commemorassem, nisi essent, qui etiam Latinis poetis nova quaedam invenire licere, nec, quae semel tantum reperirentur in scriptore aliquo, statim ut soloecismos damnanda esse, non intelligerent. Quocirca mirandum quod Lachmannus, qui El. IV, 11, 50.: assessu, III, 32, 40.: memorator, I, 1, 24.: Cytainis (de quo tamen v. comm. ad e. l.) probaverit, III, 3, 21. autem: sevecta itemque II, 32, 40.: Naica dona ipse Propertio reddiderit; tamen nec II, 3, 24.: ardidus, nec II, 9, 12.: „fluviis vadis" postliminio restituere sustinuit, cf. comm. ad e. l. Nos vero et haec, quae nemo imitatus est, et IV, 7, 51.: revolubile tuemur, quod postea ab Ovidio receptum usus Latinus comprobavit, cf. praeterea ad El. IV, 11, 24. Nam in hominum et locorum appellationibus grato sono et mensurae versibus accommodatae plurimum dedisse Propertium patet. Hinc brevius adiectivorum formae, inter quas ne de vulgaribus dicam (ut III, 11, 52.: Romula vincla, coll. v. 68. et III, 12, 29.) solus ausus est dicere: Baiae aquae (I, 11, 30.) et Curii fratres pro Curiatiis (III, 3, 6.). Quibus exemplis freti III, 9, 44.: Dore pro dure, quod nihili erat, restituimus, cf. ad e. l. Unus etiam Propertius Lycmo fecit de Lucumone (IV, 1 29.), idemque Lycomedius IV, 2, 51., ubi v. comm. Adeo amat Graecas nominum positiones. Nam in ipsis Graecis nominibus formas Graecas non modo perpetuae veterum lectioni assuetus sed propter iucundum etiam et plenum earum sonitum (Quintil. XII, 10, 53.) Romanis saepissime praetulit. Unde si religiosius codd. mss. excusseris, hanc legem Propertium ipsum sibi scripsisse videbis, ut ubi utraque forma Romanis auribus pariter esset probata, Graecam semper praeferret, nisi si Latina versui esset commodior: contra, si Latina usu poetarum communi magis esset recepta, hanc quidem in universum mallet, nec tamen alteram, si aptior videretur numeris, nimis refugeret. Itaque in femininis primae nominativum in *e* desinentem legitimum esse vult, ut Hypsipyle, Euadne, Cassiope, Calliope, Ischomache, Niobe, Cymothoe, Amymone, Leucothoe, Pasiphae, Penelope, Dirce, Antiope, Cybele (cf. ad III, 26, 10.); atque etiam Europe, Helene, Persephone. Hinc quoque genitivos ducit et accusativos: Antigones, Cybeles, Danaes, Persephones, Tisiphones, Niobes, Circes, Penelopes, Helles, Pagases, Erinnes — Antiopen, Meroen, Helenen, Cybelen, Leucothoen cett. Quin immo ut numeros fulciat, in iis etiam, quae Attico et communi sermone *a* habent, Ioni-

cam positionem assumit, ut Nesaee, Lampetie, Andromede, Hypermnestre (IV, 7, 63., ubi v. Burm.). Rursus Latinam interdum terminationem ea, quam diximus, lege admittit, ut II, 3, 18. III, 17, 8.: Ariadna; III, 8, 32.: Helenae; II, 3, 32.: Helenam. Quibus locis omnibus Graeca forma admissa versus perderetur. El. autem I, 4, 6., ubi librorum optimi Hermionae vel aperte exhibent, vel ipso librarii errore legendum esse significant, non erat cur Lachmannus Hermiones reponeret. Nam Propertius pro ea, quam in compositione pentametri sibi scripsit, norma (de qua cf. Sect. IV.), cum initio versus Spartanae posuisset, paene necessario debebat in fine Hermionae dicere. Quo facto, ne nomina invicem sibi respondentia inter se discreparent, in superiore quoque versu Antiopae non Antiopes scribendum erat. Contra ubi talium causarum nulla adest, ubique Graecis acquiescendum. Neque igitur eorum coniectura probatur, qua III, 22, 3.: Cybelae genitivo casu efficitur; nec II, 26, 48.: Lernae palus — sed secundum libros Lerne palus per appositionem accipiendum est. Andromedae autem, quod omnibus libris certum stat, a Lachmanno (III, 22, 29. Ed. Lips.: IV, 22, 29.) non genitivus est sed dativus, itemque Alcmenae II, 22, 25. Quibus omnibus perpensis in uno atque solo, quod superest, exemplo II, 22, 31., ubi nulla idonea causa Andromachae legitur, quin aliquid a librariis turbatum sit non dubitamus, praesertim cum Propertius verbum surgere nunquam cum solo ablativo coniungat (cf. II, 15, 14. 26, 24. 10, 11.). Itaque facillima mutatione rescripsimus: Andromachae e lecto. Ceterum in ablativo semper Latina forma usus est: Helena, Semela, Andromeda.

De masculinis, quorum praecipue accusativus ambigitur, multo difficilius est certum aliquid constituere. Nam litterarum *n* et *m* ut per se maxima similitudo, ita compendium est promiscuum. Neque tamen, quamvis Hylan (El. I, 20. fin.) tutum codicibus esse videatur, idcirco Aeneam, Philetam, Boream mutaverim. Alterius accusativi in *en* eadem est inconstantia. Etenim cum Euphraten (IV, 6, 84.) versus tueatur, tamen III, 11, 25.: Euphratem legitur. Contra recte, ut semper, Persen et patronymica Aesoniden, Ixioniden, Menoetiaden. Quibus etiam contra codices Alciden (IV, 9, 38.) addendum sentio. Ulixem autem (II, 9, 7. 26, 37. altero loco a Lachmanno, altero ab Iacobo licenter mutato) et Achillem praeter codicum auctoritatem usus quoque vulgo receptus, ne tangamus, persuadet. In nominativo fere semper Graeca terminatio obtinet, siquidem

semel tantum, quod casu recto vix alibi invenias, Atrida (II, 14, 1.) metro gratificatus est; eorundem genitivos atque ablativos nisi Latinos non admittit. Certior ablativi in *im* vel *in* desinentis ratio est. Nam cum ante litteram *p* et in finibus versuum Latina forma constanter legatur — causa satis manifesta — velut Phasim, Anubim, Parim, Itym (unde falso El. II, 15, 53.: Adonin; II, 34, 73.: Alexin correxerunt), in alia sede Thyrsin, Daphnin, Parin, Tanain partim codicibus partim ipsis versibus defenduntur. In ceteris tertiae declinationis formis usus constantissimus. Nam in femininis, quibus ultima *is* genitivo casu crescit, nunquam Propertius formam Latinam admittit. Itaque cum conspirantibus libris Nycteidos, Phasidos, Thaidos, Briseidos, baridos, Athamantidos, Boebeidos, Glaucidos, Doridos, Phyllidos, Tantalidos legatur, Beroaldi coniecturam (IV, 5, 34.) pro sideris — Isidis reponentis, quamvis vulgo receptam, falsam esse sequitur. In reliquis et usum sequitur et *εὐφωνίαν*. Itaque Palladis scribit, utpote nimis vulgatum nomen (II, 18, 12. 30, 18. III, 20, 8.), sed cum maiorem impetum oratio sumit, formam pleniorem Pallados praefert (IV, 4, 45.). Genitivus masculinorum, qui in nominativo syllaba *eus* terminantur, saepius per synizesin *e͡i* sonat, ut Persei͡ (bis), Capanei͡, Phirei͡, Eripei͡; bis ab initio versus, ne numeri turbentur, *eos*, ut Nycteos (III, 15, 12.), Pentheos (III, 17, 24.).

Contra cum nominativi ultima vocalem *o* continet, ne bis in continuis syllabis eadem vocalis posita ingratum sonum faceret, semper Latino genitivo usus est, ut Cithaeronis, Heliconis, Platonis, Myronis, Polymestoris, Acherontis, Minois cett. Praeterea Latinum genitivum videtur evitasse, nisi quod semel Phoenicis, semel etiam monosyllabum Phrygis legitur. Nam de Scaligeri invento Teuthrantis (I, 11, 11.) ingenioso, ut quod maxime, nimis dubia res est. Myos autem recte protulit alteri Myis, quod absurdum erat sonituram antiquis auribus. Porro accusativus eorum nominum, quorum secundus casus impar nominativo, solo gentili illo Phryx excepto eoque monosyllabo, quod in Phrygem declinat IV, 1, 2., constanter *a* habet, unde non modo Salmonida, Briseida, Minoida, Phyllida, sed etiam Agamemnona, Pythona, Amphiona, Pana, Androgeona, Helicona, Eurymedonta, Thermodonta, Hectora, Castora, Simoenta, Capharea, Nirea, Persea, et barbarum aut certe Italum nomen Acronta; item in plurali: Tyndaridas, heroidas, Hamadryadas, Titanas, Phaeacas, Pulydamantas, et quantum versuum

mensura colligere licet, etiam nominativum pluralis Graecum esse voluit, ut Erinnyĕs, Nereidĕs, Panĕs. Quinimmo dativum pluralis e Graeco sermone in sua carmina transtulit, quamvis ab ignorantibus librariis identidem mutilatum, ut Adryasin, Hamadryasin, Thyniasin. Reliqua Graeca aut admodum sunt vulgata, ut Argus (gen.) et Argo (acc.), Naxos, Isthmos, Tyros, aut metri causa expetita, ut beryllon, Ilion, Patroclon. Sed horum omnium arbitrium ex ipsa sonorum natura diversa pendere patet.

Sect. IV. De compositione.

Paratus igitur transitus ad eam elocutionis partem, qua non modo id agitur, ut imagines rerum ratione sequestri animo repraesententur, sed ut ipsis protinus sensibus et auribus insinuentur. Haec enim est compositio, cuius rursus duplex est ratio, altera, quae legibus metricis continetur, altera, quae a syllabarum temporibus remota ordine ipso verborum et contextu partibusque complexionum aeque distributis numerosam efficit orationem. Quem numerum cum poesis communem habeat cum sermone soluto, eo differt, quod haec verborum ambitus cum constantibus versuum normis et intervallis certa lege praescriptis consociare debet. Nam cum ipsa rei natura in universum hoc praecipi videatur, ut versuum singulorum finibus orationis quoque atque adeo cogitationis partes singulae includantur: quanto id magis in distichum elegiacum valeat, quod quasi quoddam melicae strophae genus supra definivimus, nemo non videt. Haec autem metri necessitas, quam durum certamen orationi Romanae per magnos verborum circuitus multiplici coniunctionum, participiorum, pronominum denique relativorum nexu, quasi quadrato agmine graviter incedenti initio praebuerit, donec Graecis legibus victa assuesceret, non modo Ennius aut Lucilius, sed Catullus etiam docet, cf. Cap. III. init. Quae ruditas in elegiis certe tanto est ingratior, quanto solida illa verborum structura foro et actionum tristitiae quam his amatoriis lusibus est aptior. Itaque egregie Tibullus primus Romanae orationis impetum cohibuit et verborum circuitus brevius adstrictos, raro extra singulorum distichorum gyros expatiari passus est, cf. Dissen. Praef. Tibull. p. CXXIV. Neque enim tenuius eius dicendi genus et tersa simplicitas melius elegis accommodari potuit. Ovidius autem, ut erat inconstans et leve eius ingenium, caesis minutatim sententiis saepe in contrarium priscis ambagibus vitium lapsus est. Contra Propertius ut neque antiquam orationis gravitatem desereret, nec molles tamen pentametri pedes durioribus vin-

culis perderet, media quasi via instituta compositionem effecit, quam ingenio eius maxime accommodatam vel mediocriter huic lectioni aures assuetae facillime a reliquis dignoscerent. Nam catervatim ille quidem multa frequentans una saepissime complexione devincit: sed membra tamen sententiarum singula cum singulorum versuum finibus pariter dimensa includantur, ipsis intervallis fortius percussa ambitus efficiunt, ut longissimos, ita optime articulatos, et qui versuum numeris egregie respondeant. Simul autem impetus orationis affectuum illi, de qua toties diximus, vehementiae aptus tantum abest ut frangatur, ut ipso versuum decursu aequabili provectus omne quod obstet provolvere videatur. Itaque non tantum simplices expetit illas adversantium et copulantium particularum rationes, versibus alioquin aptissimas, quantum, quibus artius sententiae constringuntur, consecutivarum, causalium, finalium cett.; nec eorum more, qui solutius dicendi genus sectantur, adverbiis maxime enuntiata leviter conserit (velut nam, enim, igitur, tum cett.): sed coniunctionibus (cum, quoniam, ut, ne, quin, postquam, cum cett.) fortius colligat. Nec tamen omnes periodorum formae pariter gratae. Frequentissimae enim conditionales, inter quas perplexa maxime El. II, 22, 5—12. Praeterea autem coniunctionem si centies septies decies in omnibus carminibus invenimus. Tum temporales, causales, disiunctivae, quae quidem per conditiones fiunt (seu-seu). Has per tria (I, 7, 31—36. III, 8, 11—16.) atque adeo sex versuum paria (II, 1, 5—16.) circumducit. Quibus exemplis simile vix ex alio poeta attuleris. Laxior etiam comparationum nexus ideoque elegis facilior, cum fit per pronomen qualis vel coniunctionem ut, quae paene toties habet, quoties exemplis vel similibus utitur. Nervosior contra particula quam post comparativas adiectivorum formas, quam tamen novies invenimus. Neque adeo frequens apud poetas Propertii aequales pronominis relativi usus is quo tota enuntiata copulantur, qualis I, 1, 19. 25. 6, 3. 9, 29. II, 12, 21. 23. 16, 43—46. 24, 31. 34, 65. III, 1, 9. 4, 3. 11, 15. Eae autem coniunctiones, quae consequentiam significant (ut, quin) et quae finem (ut, ne), rarissime apud alios transitum efficiunt inter disticha, cum Propertius altero genere septies usus sit (I, 6, 15. 18, 15. II, 13, 5. 19, 21. III, 11, 17. 21., ubi ne pro ut non; II, 19, 31., ubi quin), altero ter, IV, 1, 63. II, 7, 3. I, 20, 23.

Similis ratio est accusativi cum infinitivo, quem, ne alia dicam, El. I, 13, 15. sqq. et I, 30, 19. sqq. per quattuor

versus ducit, I, 20, 17. sqq. per sex; simplicem item infinitivum III, 11, 41. sqq. sex versibus continuatum. Interrogatio autem, quam vocant indirectam, I, 2, 9. sq. sex versus atque adeo III, 5, 25—46. dimidium carminis omnis explet. Quid multa? Propertius cum περιόδους composuerit, in quibus omnes, quas modo commemoravimus, rationes coniunctae mutuisque vinculis perplexae atque adeo participiis et interiectionibus auctae (παρενθέσεις dico, de quibus vid. Sect. II. §. 13.) inveniantur, quales praeter priscos istos nemo poeta ausus est (ut I, 20, 7—16. 22, 3—10. II, 29, 25—28. III, 3, 1—14. 4, 11—18. II, 1, 17—24. 26—36. 71—78. 1, 9—22. III, 18, 1—10. 22, 5—18. IV, 8, 3—8. 11, 37—42. I, 2,. 13—16. 3, 27—33. 11, 1—6. 11—18. 15, 29—32. 16, 1—6. II, 32, 42. sq. 34, 33—40.), nusquam tamen contra numeros elegorum offendit. Nec toties posita particula quodsi (qua vicies quater usus est) aut aliae, quae ipsae iam per se nimis sobrium quid sonare videntur, velut si post pronomen relativum — quare si; quare ne; quin etiam si (II, 15, 19.); quandocunque igitur (II, 13, 17.); vel adeo: quod quamvis ita sit (II, 17, 17.) — ea qua leguntur sede aequabili versuum flumini obstant. Contra caesa, qualia Ovidius in deliciis habet, raro Prop. admittit, nec fere aliter, nisi cum concitatissimi et exultantes affectus omnia orationis vincula spernunt, velut I, 8, 28. sqq. 12, 9. II, 1, 5. 6, 9. 13. 21, 5. sq. 10, 11. IV, 6, 53. 5, 27. et tota paene El. II, 8. Quod idcirco magis etiam adnotare visum est, quia in iuvenilibus illis libri quarti carminibus contrariam adhuc rationem secutus est. Nam illic in universum leviter per seriem nexa est oratio, quam perpetuam rhetores appellant (cf. Aquil. Rom. c. 18.), rarissime vincta et circumscripta, saepius etiam caesa (ut IV, 1, 53. 73. 75. 2, 3. 5. 19. 22. 23. 27. 29. extr. 4, 73. 10, 36. 37. 45.). Unde iis argumentis, quibus Quaestionum harum Libr. III. Cap. III. extremam El. IV, 1. partem posteriore multo tempore scriptam esse demonstrabimus, etiam compositionem addere licebit. Nam cum in priore parte (v. 1—70.) exigua tantum complexionum sint initia (v. 43.: cum; v. 63.: ut; v. 65.: si), earundem plena est altera pars, velut v. 82—87. v. 89. sq.: „dixi ego, cum produceret“ — deinde parenthesis v. 90., tum infinitivus ex superiore verbo pendens. Item v. 99.: „idem ego cum traheret — et faceret (v. 100.) — dixi“ (v. 101.). Adde 103—106. 122—128. 129. 131—134. 147—150. Qui exitus admodum similis elegiarum clausulis III, 10. II, 1. III, 9.

Semper autem cum pentametro claudi ambitum, legitima est ratio. Ubi enim quid contra accidit, velut I, 3, 33. 11, 6. IV, 11, 35. sententia tamen breviori versu inclusa supplementum est et accessio superioris, neque ipsa longior pentametro. Neque aliter est II, 32, 47—51. 52., quamquam eo durius, quod pentametri sententia statim sequentibus versibus amplificatur. Hinc autem interpungendi rationem vulgarem emendavimus IV, 1, 87. Sed de industria sibi huius legis exceptionem concessit, cum grave aliquid et praeter expectationem accidisse significat. Tum enim adeo ex integro versu heroico oratio in breviorem circumducta subito in medio pentametro subsistit, ut hinc nova sententia ordiatur, ut II, 7, 3.: Flemus uterque diu, — ni nos divideret: — quamvis cett., ubi interruptis versuum numeris oppositionis gravitas apparet. Rursus III, 15, 35. post longum intervallum finis enuntiati: „sera — tamen pietas" — in hexametrum differtur, ut expectatione suspensus animus fortius exitu feriatur. Item IV, 7, 53. 8, 69. — Eruitur —, et quod sic positum minax aliquid habet nomen Galli barbarum IV, 10, 41.: Virdomari. Sed longe efficacissimum III, 11, 46.:

Quid nunc Tarquinii fractas iuvat esse secures,
Nomine quem simili vita superba notat,
Si mulier patienda fuit? — Cape Roma triumphum cett.

ubi nec indignationis gravitas, neque illud παρὰ προσδοκίαν melius poterat illustrari quam intercisis longa respiratione hexametri numeris. At ne eiusdem quidem sententiae κῶλον, uno vel duobus verbis longius hexametro, ex hoc in pentametrum saepe praependet, velut I, 11, 15.:

Ut solet amoto labi custode puella
Perfida — communes nec meminisse deos.

Quod cum Tibullo sit frequentissimum, ita imprimis, ut subiectum superioris enuntiati primam pentametri sedem obtineat, a Propertio, modo ne plus duo κῶλα uno disticho contineantur, non multo saepius quam quadragies, si bene memini, factum est. Quem numerum qui cum Tibullo comparaverit, pro versuum ratione satis parvum esse fateatur.

Sed contrario genere nemo saepius quam Propertius usus est. Id enim dico, cum pentametri sententia iam ab ultimis hexametri pedibus orditur, quod nunquam sine aliquo pondere fit, praesertim cum pronomen monosyllabum novissimam sedem obtinet, velut II, 1, 25.:

Bellaque resque tui memorarem Caesaris: et tu
Caesare sub magno cura secunda fores.

Eodem modo I, 4, 5. 13. 19. 9, 15. 12, 9. II, 5, 7. 15, 1. 23, 17. 24, 51. 25, 17. 27, 11. 28, 47. III, 1, 9. 31. 3, 15. 8, 3. 9, 59. 23, 13. IV, 5, 17. II, 21, 9. Adde paullo diversiora II, 20, 1. III, 18, 33. Nam ille quasi scrupulus solito versus flumini in fine obiectus omnium decurrentium numerorum impetum in se recipit. At ne illud quidem sine aliquo vigore II, 1, 65.:

Hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus
Tantaleae poterit tradere poma manu —

vel II, 13, 23.:

Desit odoriferis ordo mihi lancibus: adsint
Plebei parvae funeris exequiae.

Cf. II, 1, 53. IV, 6, 13. Contra mollius, si pronomen duarum syllabarum cum adversativa vel copulativa particula iunctum amphibrachyn de fine hexametri demit, velut II, 26, 49.:

Iam deus amplexu votum persolvit: at illi
Aurea divinas urna profudit aquas.

Cf. El. I, 20, 49. ibique comm. II, 16, 19. III, 24, 11. IV, 2, 35. 39. 4, 15. 7, 11. 29. 11, 41. Minoris momenti talia: II, 8, 15.: an usque, cf. II, 26, 53. IV, 2, 37. 3, 27. —, aut si plus quam trium syllabarum spatium longiori versui praeripitur, velut I, 6, 9.: illa minatur. Adde I, 12, 7. 14, 23. II, 3, 45. 6, 19. 16, 25. 21, 7. 26, 39. 30, 1. 32, 21. III, 4, 19. 5, 27. extr. 7, 17. 25. 8, 35. 13, 23. 15, 9. 17, 7. IV, 1, 82. 2, 3. 34. 3, 47. 4, 49. 53. 85. 5, 35. 7, 57. 9, 59. 66. 10, 23. 37. 45. 11, 9. 21. 69. 75. 89.

Ceterum non ubique vinctam esse Propertii orationem, at ne saepius quidem, quam solutam et planam, vix ut in poeta commemorare opus est. Quinimmo, cum singula disticha non semper duo enuntiata iuxta posita, vel unius periodi κῶλα aeque per utrumque versum dispertita habent, sed vel tribus membris constant per versuum intervalla circumductis, ut:

Et quaerit toties: — Quaenam nunc porticus illam
Integit? — et campo quo movet illa pedes —

vel etiam pluribus, ut:

Ventorum est, — quodcunque paras — haud ulla carina
Consenuit — fallit portus et ipse fidem —

cuius generis ad octoginta exempla in omnibus Propertii carminibus invenias —: oppositio si qua illis membris inest,

vel potius partitio, ea sic optime illustratur, si sententiis aequo pondere inter se expensis aequalia numerorum spatia assignantur. Cui rationi aptissima et veluti eo comparata pentametri est natura, qui hemistichia sua oppositis sententiis ultro accommodat. Itaque, quamvis etiam hexametri talia praebeant (II, 22, 43.):

Aut si es dura, nega — si non es dura, venito —

cui loco cf. III, 17, 5. 8, 23.:

Aut in amore dolere volo — aut audire dolentem —

propria tamen, ut diximus, eius sedes in pentametro. Unde statim illi, quem modo significavimus, versui subiicitur:

Sive meas lacrimas — sive videre tuas.

Sic II, 15, 36.:

Huius ero vivus — mortuus huius ero.

Add. II, 16, 2. 20, 34. 36. I, 12. extr. Quibus exemplis omnibus poetam eo, quo ipsa huius versus natura ducebat, secutum esse sentias. Unde cum semel numeris pariter cadentibus sententiarum similem habitum illustrare coepisset, figuras a similitudine soni repetitas, quarum alias est parcissimus, omnes simul effundit, *ἀναφοράν*, *πλοκήν*, *ἐπανάληψιν*. Cf. praeter superiora II, 9, 36. 28, 14. 16, 46. 12, 18. 26, 16. 28. 44. 56. 34, 77. 82. 28, 14. III, 12, 32. II, 25, 4. 30, 24. et ubi figurae duplicatae, proximis etiam hexametris occupatis et mutuo nexis, II, 25, 41.:

Vidistis pleno teneram candore puellam —
Vidistis fusco — ducit uterque color —
Vidistis quandam Argiva prodire figura —
Vidistis nostras — utraque forma *rapit —*

et II, 3, 43.:

Sive illam Hesperiis — sive illam ostendet Eois,
Uret et Eoos — uret et Hesperios.

Quibus cf. El. IV, 9, 18.

Ὁμοιοτέλευτον vero, ut ipsa illa exempla docent, unice huic generi expetita figura, et maxime, cum *ἀντιθέτοις* accommodata, tum vero etiam ipsius pentametri naturae. Itaque inter 2400 pentametros, quibus omnia Propertii carmina conficiuntur, *ὁμοιοτέλευτα* 726 invenimus. Ex quo numero 18 ad *ἀντίθετα* pertinent, 686 nominum sunt et attributorum, 22 tantum fortuito similiter sonantium syllabarum concursui debentur haec: I, 5, 8. 20. 22. II, 1, 44. 48. 72. 3, 16. 44. 8, 2. 9, 36. 20, 14. 27, 6. 34, 20. III, 12, 2. 18. 22, 18. IV, 3, 7. 5, 38. 7, 24. 74. 9, 16.

10, 6. Unde apparet, non fortunae lusu aliquo hunc concentum ortum esse, sed certis compositionis legibus. Quamvis enim maxime sollicitum poetam de connectendis inter se versuum paribus et de periodis arte circumducendis vidimus, simplicissima contra est singulorum distichorum structura et, si cum Tibulli ratione comparaveris, paene dissoluta. Etenim idem ille, qui complexiones verborum magnificas altius extollere non ausus est, intra angustiores distichi fines summa est usus diligentia, siquidem primum, ubi idem enuntiatum per utrumque versum extenditur, hanc legem sibi Tibullus statuit, ut subiectum breviorem obtineret (Dissen. Praef. Tib. p. CXXII.), rarissime contra. Quae res inde habet laudem, quod cum animus imperfectam necessario intelligat heroi versus sententiam, occupare ventura et suspendere post hexametri finem respirationem cogitur. Unde fortius colligi et mutuo quasi necti orationem sequitur. Itaque, quamvis alterum habeat El. II, 1, 39.:

Sed ne Phlegraeos Iovis Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus —

protinus tamen subiungit:

Nec mea conveniunt duro praecordia versa
Caesaris in Phrygios condere nomen avos —

ubi si quis post versa claudere sententiam velit, non laboret structura. Hinc quae addantur laxius saepe et praeter expectationem accidere non negamus. Quod magis etiam sentitur, ubi pentameter attributum solum superioris nominis continet, velut II, 2, 9.:

Qualis et Ischomache Lapithae genus heroinae
Centauris medio grata rapina mero —

et statim in fronte carminum:

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus.

Vitiosum diceres, nisi aliis virtutibus compensaretur, veluti cum πλοχῇ nomen illud repetitur, de quo genere dixi supra. Quinetiam fortasse oratio iam maioribus illis periodis satis circumscripta si praeterea per singula etiam membra novis nervis alligaretur, ut strangulata potius quam decore adstricta videretur, futurum fuisse quis existimet. Itaque etiam de reliquis, quae huc spectant, legibus Propertium securum videmus. Nam cum Tibullus, ubi duo vel plura sunt in utroque versu subiecta, sed quae ad unum verbum referantur, hoc ipsum pentametro assidue soleat tribuere (cf. Dissen.

l. l. p. CLXVI.): Propertius saepe contra facit, velut II, 6, 9. sqq.:

Me iuvenem pictae facies, me numina laedunt,
Me tener in cunis et sine voce puer:
Me laedit, si multa tibi dedit oscula mater,
Me soror — cett.

Verum totum hoc genus non nimis frequens cum singulis subiectis singula verba (*ῥήματα*) fere ubique assignentur, et addere *συνώνυμα*, quam apud animum semel omissa supplere Propertius malit, velut II, 5, 11.:

Non ita Carpathiae variant Aquilonibus undae,
Nec dubio nubes vertitur atra Noto.

Saepius contrarium evenit, ut duo verba unum subiectum habeant. Tum accommodatior utique eius sedes in sequenti versu. Neque Propertius eam rationem spernit, velut I, 1, 3.:

Tum mihi constantis deiecit lumina fastus
Et caput impositis pressit Amor pedibus —

neque tamen nimis sollicite expetit, ut I, 1, 17.:

In me tardus Amor non ullas cogitat artes,
Nec meminit notas ut prius ire vias.

Itaque ne tum quidem, cum redundante heroi versus sententia ipsum subiectum in pentametrum dilatum est, protinus cum sequenti enuntiato nectitur. Quod perspicuum est El. I, 6, 15.:

Ut mihi deducta faciat convicia puppi
Cynthia, et insanis ora notet manibus —

ubi, quin Tibullus scripturus fuerit Cynthiaque insanis — nullus dubito. Cf. Bach. ad Tibull. I, 9, 7. Sic etiam alias Propertius, ut IV, 7, 55.:

Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem,
Turbaque diversa remigat omnis aqua —

neque aliter interpretandum esse censemus II, 32, 35.:

Quamvis Ida Parim pastorem dicat amasse
Atque inter pecudes accubuisse deam —

ut deam utriusque infinitivi sit subiectum. Verum tamen nec ubique neque necessario. Quare non erat quod Lachmannus de integritate El. I, 12, 6. dubitaret. Saepius vero, ne sequens membrum subiecto suo careat, pronomen ille additur, ut I, 9, 23.:

Nullus amor cuiquam faciles ita praebuit alas,
Ut non alterna presserit ille manu.

Quod genus etiam per duo disticha pertinet, ut I, 1, 9. sqq.:

(Milanion) — *saevitiam contudit Insidos;*
Nam modo Partheniis amens errabat in antris,
Ibat et hirsutas ille videre feras.

Cf. I, 10, 25. II, 16, 11. 25, 45. I, 5, 11. 13, 31. 15, 19. II, 20, 18. 33, 6. IV, 6, 48.

Haec de adornandis distichorum partibus. In singulis autem versibus certior est lex, structura solidior, membrorum diligentius observata proportio. Primum enim, quo et stabiliora fiant nomina et evidentiora, vocabulis singulis singula adiectiva sunt attributa. Cuius legis ita raram exceptionem sibi concessit, ut in decem primis primi libri elegiis trecentis quadraginta octo versibus sine adiectivis plus quadraginta non inveniantur. Iam vero quo artius versus pedes contineantur, adiectivum semper praecedit ante substantivum suum. Quam normam tanta observavit religione, ut intra eundem quem diximus versuum numerum quater decies tantum contra fecerit, nec fere nisi metro cogente, ut I, 2, 9. 3, 11. 4, 2. 5. 5, 1. 9. 21. 6, 4. 7. 10. 17. 8, 23. 42. 9, 32. Sin duo substantiva singulis adiectivis praedita in eodem sint versu, haec sine dubio gratissima est figura, qua simul et firmitati et varietati et aequae partium distributioni optime consulatur:

Languida desertis Gnossia litoribus.

Illa igitur a Propertio maxime est expetita. Rarior iam, quamvis et ipsa decora:

Libera iam duris cautibus Andromede.

Nam altera illa pertextis verbis tenacior. Neque igitur chiasmi alia forma accepta est, quam quae nec dividi nec novissimis verbis decurtari possit, quin statim imperfectam sententiam intelligas, ut

Lilia purpureis mixta papaveribus.

Contra reliqua genera omnia, ubi aut substantiva ab attributis intervallo nullo sunt separata, velut in hoc:

Ardoris nostri | magne poeta iaces —

aut salva sententia licet subsistere in medio versu et reliqua omittere, velut:

Heu quanto referat verba dolore | mea —

aut denique, ubi duorum attributorum neutrum substantivo suo est praepositum, ut in eo:

An sine te vitae cura sit | ulla meae —

haec igitur genera omnia rarissime inveniuntur, nec fere unquam, nisi in pronominibus adiectivis: ceteroquin enim ne hoc quidem, quod tamen illis vitiis caret:

— *toto furor hic non deficit anno.*

Ut autem utrumque substantivum seponeret, suo cuique attributo subiuncto, qualis hic est Tibulli versus:

tunicisque solutis
Vota novem Triviae nocte silente dedi —

nunquam memini Propertium commisisse. Quod vero aequo veluti pondere per versuum partes distribuere verba eum diximus, hoc adeo valet, ut exitus versuum substantivis, πενθημιμερεῖς attributis eorum, aut etiam inverso ordine, tamquam certas sedes assignaverit, nec modo in pentametro, sed etiam in heroo — quamquam in illo saepius etiam. Nam inter universos hexametros 686, i. e. tertia fere pars, eo modo conditi inveniuntur, pentametri autem in eodem numero 925, i. e. altera paene pars. Hinc igitur illud ὁμοιοτέλευτον natum esse patet, quo aequa haec partium distributio magis etiam quam solo metro aures feriret, et voces sententia coniunctae pari quoque sonitu quodammodo sibi responderent et invicem se quaererent. Hoc etiam recentioris poesis invento originem dedit, quo pariter desinentes in fine voces iam veluti necessarium versuum condimentum quaeruntur. A quo genere non ita procul abesse Propertium pluribus rationibus intelligo. Nam cum ὁμοιόπτωτον saepe in ὁμοιοτέλευτον abiit, ut non modo passum esse illud poetam, sed de industria expetiisse satis appareat, tum vero etiam, ne sonitus illis perderetur, insolentiores et obsoletas verborum formas pro usitatis et in medio positis arcessivit. Neque enim I, 20, 35., quod in promptu erat, scripsit: „Quam supra nulli pendebant debita curae“ sed nullae; itemque El. I, 4, 6. non Graecum genitivum Hermiones, quo tamen alibi constanter utitur, sed propter adiectivi Spartanae concentum Latinam positionem praetulit. Cui deinde v. 5. etiam nomen Antiopae accommodatum est (cf. supra Sect. III.). Hinc assuetas semel ei generi aures ne aliarum quidem vocum consonantiam expavisse consentaneum est, neque ii, qui versus leoninos, qualem I, 8, 11.: Nec tibi Tyrrhena solvatur funis arena — atque adeo I, 17, 5.: Quin etiam absenti prosunt tibi Cynthia venti (cf. I, 20, 3. II, 24, 21. 33, 43. III, 13, 13.) ferrent, aliorum integritatem debebant suspectam habere, quales II, 26, 27.:

Multum in amore fides, multum et constantia prodest,
Qui dare multa potest, multa et amare potest.

Nedum improbes I, 5, 10.:

— — *exclusum quid sit obire domum.*

Nam illic Lachmannus subtiliore lege constituta, qua quae probanda essent ὁμοιοτελεύτων species doceret, ita omnem veluti commeatum reliquis exemplis interclusit, ut, nisi id ipsum, par alterum inveniri vix posset. Atque his quidem legibus, quibus et verborum compositio numeris elegorum egregie accommodatur, et sententia apta versuum structura magis fit perspicua, prima mihi mollitiei istius vestigia videor animadvertere, quam ut summam laudem Propertius toties sibi vindicat (III, 1, 8. 19. 3, 18. coll. II, 34, 42. IV, 1, 62.), quamque primum se Romanos docuisse non semel gloriatur (cf. ad III, 1, 3. 18. 3, 25.). Nam cum prima versus virtus haec sit, ne identidem pugnantibus inter se versuum et sententiarum clausulis numeri prorsus perturbentur, illud tamen si quis vitium evitaverit, non protinus, ut versus, ita molles versus composuisse se iure contendat. Sed intra singulorum etiam versuum fines removenda sunt obstacula, ne circa sententias laborans animus invitus saepe subsistat, et inanibus moris aequabile illud metri quasi flumen hic illic retardet. Itaque non solum aeque distribuenda per versuum partes vocabulorum sunt pondera, sed orationis contextu mentem cogi oportet, ut ultro quasi cum numeris ad finem leviter properet. Quinetiam aures ipsae sono sunt assuefaciendae, ut inceptae sententiae exitum tamquam necessarium expectent et, cum venerit, sponte arripiant. Neque vero omnibus argumentis pariter apta eadem est metri facilitas. Nam ut in exultantibus affectibus versus etiam caesis sententiarum membris exultare quodammodo vidimus, et ubi quid insolens acciderit de industria turbatos in fine numeros animadvertimus, ita tota saepe carmina delicatam illam curam respuunt et graviorem sibi poscunt et veluti masculum incessum. Itaque Propertius et durum versum tamquam proprium heroo carmini tribuit (cf. ad III, 1, 20. II, 34, 45. coll. I, 7, 19. IV, 1, 61.), et ubi argumenta tractat illi generi similia, compositionem etiam mutat, siquidem, ut exemplo defungar, El. III, 11., cuius argumentum omne fere est epicum, inter versus septuaginta duos ὁμοιοτέλευτον in pentametri hemistichiis sexies solum habet. Verum haec, de qua nunc agitur, mollities non modo in versuum et sententiarum concordia, sed etiam enuntiandi facilitate apparet. Itaque, cum hexametri ea sit natura,

ut ab initio velut assurgens orationis nisus circa medium subsistat, unde tamquam a fastigio in contrarium versus per devexum alveum impetu sub finem semper augescente excurrat: haec igitur cum sit eius versus natura, sic optime verba erunt adornata, ut in priore parte accentus eorum naturalis cum singulorum pedum ictu saepe pugnet, in altera parte sit consociatus. Id quod eatenus Propertius observavit, ut in ultima sede ionicum a minori bis solum admiserit, neque unquam nisi in Graecis, ut II, 34, 33.: referás Acheloi, et III, 7, 49.: Oriciá terebintho, quorum exemplorum alterum Virgilius ei praeiverat (Aen. X, 156.). Eleg. vero IV, 7, 33.: mercéd' hyacinthos huc non pertinet. Praeterea, nisi ipse novissimus pes monosyllabo frangitur (quo de genere supra diximus), duo extrema verba naturali semper utuntur tenore. Rursus in priore parte versus frequentissimam esse accentuum repugnantiam iam hinc sponte colligas, quod inter 2004 hexametros caesura, quae κατὰ τρίτον τροχαῖον dicitur, quinquies decies solummodo invenitur, solam ἑφθημιμερῆ item quindecim tantum versus habent, reliquorum omnium centum viginti quattuor ἑφθημιμερεῖ aliam praemittunt post secundam elationem, qualis haec est figura:

Ecce iacés | supplexque venís | ad iura puellae.

Iam vero qui restant 1850 universi πενθημιμερῆ exhibent. Atqui in his unum certe vocabulum (nisi id ipsum, quod raro fit, est monosyllabum) reluctante ictu ut percutiatur, necessario sequitur. Saepius tamen plura, ut

Illa velút poterít magnés non ducere ferrum.

Atque illa quidem, quae cum molossum efficiant, secundam syllabam natura habent acutam, in priore versus parte semper sic ponuntur, ut prima et extrema arsin succedat, in posteriore parte contra, veluti:

Tum mihi cónstantís | deiécit lumina fastus.

Unde si eadem vox bis ponitur in eodem versu, primum illud adversante fit accentu, deinde congruente, ut in hisce omnibus:

Omnia vértuntúr | certe vertúntur amores.
Cóntendát | mecum ingenio | conténdat et arte.
Vóbiscum est Iope | vobíscum candida Tyro.
Áversís Charisin cantas | avérsus Apollo.
Rómani montés | et móntibus addita Róma.
Hoc perdit miseras | hoc pérdidit ante puellas.

Quae duo exempla novissima aliquatenus certe huc referenda sunt. In disyllabis autem interdum contra fit, velut:

Mágni saepe duces | magní cecidere tyranni —

vel:

Aúro victa fides | auró venalia iura.

Nam in iis, quae aut dactylum efficiunt aut bacchium, aut amphibrachym aut anapaestum, nulla conceditur accentus variatio. His igitur ita usus est, ut dactylum clausulis, anapaestum initiis frequentius adhiberet, bacchium et amphibrachym ultimae sedi reservaret, ubi palimbacchio iunctus fortissimum efficit exitum, velut *peccare puellae; servare pudicum;* rarissime contra. Nam initiis insertus non modo mollem sed elumbem reddit versus incessum. Neque igitur his duobus versibus, quos male factos poetae excidisse fatendum est, II, 33, 9.:

Cum | te iussit | habere | puellam | cornua | Iuno —

et IV, 8, 41.:

Et | graviora | rependit | iniquis | pensa | quasillis —

similem tertium in omnibus carminibus inveneris. Rursus autem pentameter, cuius numerus, prorsus hexametro contrarius, bis posita πενθημιμερεῖ iterum in se revertit, contrariam etiam in accentu legem sequatur necesse est. Quod cum ex iis exemplis, quibus ὁμοιοτελεύτου rationes illustravimus, tum ex iis apparet, in quibus attributa et nomina per hemistichiorum exitus disposita sunt. Haec enim in hexametris diversas habent arses, in pentametris similes, velut statim in limine carminum:

Cynthia prima suís miserum me cepit océllis|
Contactum nullís ante cupídinibús.
Tum mihi cónstantís deiecit lumina fástus,
Et caput impositís pressit Amor pedibús.

Eadem, quae in accentuum usu, in iuncturis verborum facilitas atque mollities. Neque enim unquam consonantium concursu fragosam fieri orationem passus est, neque hiatum vocalium aliter sibi indulsit, nisi cum sub fine πενθημιμεροῦς positus fortissima versus percussione excusaretur, ut III, 7, 49.:

Sed Thyiae thalamo | aut Oricia terebintho.

Unde Propertio reddere non dubitavi II, 34, 39.:

Amphiaraeae | haud prosunt fata quadrigae.

Cf. comm. ad e. l. et specimen Quaestt. Propertt. Hal. 1835, p. 4. n. 17. Praeterea nusquam. In eadem vero hac sede

vel consonantem *m* ante vocalem bis tulit, et syllabam natura brevem elatione versus produxit, ut II, 15, 1.:

O me felicém | o nox mihi candida cett. —

et II, 32, 45.:

Haec eadem ante illám | impune et Lesbia fecit —

locis omnium codicum auctoritate tutis.

Cognata ratio ubi brevis alia in eadem sede solo ictu producitur, ut I, 10, 23.:

Neu si quid petiít | ingrata fronte negaris —

vel in ἐφθημιμερεῖ II, 28, 31.:

Et tibi Maeonias | intér | heroidas omnes —

iuvante tamen liquidae natura. Neque enim in eadem cum Iacobo audeam IV, 11, 53.: aliquíd | est arbiter. Vid. enim comm. ad e. l. Nam cetera usu omnium poetarum communi frequentata. Quare ne excusatione quidem eget, quod a VV. DD. Propertio iniuria ereptum restituimus IV, 7, 85.:

Tiburtina iacét | hac aurea Cynthia terra.

Semel etiam Virgilii exemplo longam ante sequentem vocalem corripuit, sed nomine cogente, cui alioquin in hexametro aptus locus non erat, III, 11, 17.: Ōmphălĕ īn t. cett. Rursus synaloephe nec ita frequens, nec nisi bene inter se vocales coeant. Verum prioris verbi ultimam longam elidere aliquoties brevi sequente ausus est, ut El. I, 13, 14. 15. bis: Vīdi ĕgŏ; III, 21, 17.: Ērgo ĕgŏ; II, 28, 19.: Īno ĕtĭam. Adde IV, 1, 89. 7, 36. 8, 81. III, 2, 7. IV, 1, 36. 2, 35. 5, 61. 67. Id quod tum imprimis nostris sensibus durum videtur, cum uniŭs syllabae vocula, in qua praeterea sententiae summa et oppositionis vis posita esse videatur, paene tota oblitteratur, velut II, 25, 9.:

Ăt mĕ ăb ămore meo diducet nulla senectus —

II, 20, 11.:

In tĕ ego et aeratas rumpam, mea vita, catenas —

II, 11, 1.:

Scribant de tĕ alii —

II, 18, 19.:

At tŭ etiam iuvenem odisti me perfida cett.

Levius II, 32, 5., ubi non tanta vis in pronomine posita est. Ceterum synaloephe frequentior Propertio, si per

ἔκθλιψιν consonae *m* fit, quam contra. Atque ante tertiam quidem arsin, ubi elisio, si longiore voce sequente caesura πενθημιμερής inde perditur, per se durior est, hac sola, ni fallor, uti voluisse Propertius videtur, ut II, 24, 23.: Cóntendát mecum íngenio; ibid. 7.: Néc sic pér totam ínfamis; II, 23, 3.: Íngenuús quisquam álterius; 25, 43.: Vídistís quandam Árgiva; 9, 9.: Néc sic éxanimem ámplectens; 6, 29.: Ílla puéllarum íngenuos; 17, 11.: Quém modo félicem ínvidia; 18, 19.: Át tu etiám iuvenem ódisti. His exemplis freti El. II, 15, 43. codicum scripturam: „Non ferrum crudele | neque esset bellica navis" — pro eo, quod vulgatos libros obtinet: Nón ferrúm crudéle esset — restituimus. De El. autem III, 6, 39.: Me quoque consimili impositum cett. — adhuc dubito. Quamvis enim emendatio una lineola unoque apice (ĭ) dempto sit facillima, rursus tamen etiam nulla synaloephe est facilior, quam si eadem vocalis sibi iuncta secum coit. Sed haec de commissuris vocum satis.

Post harum enim facilitatem plurimum ad versus laevigandos faciunt longiores voces. Quas cum in fine praesertim pentametrorum positas omnes viri docti nescio quid molle addere versuum numeris affirment, causam cur ita sit, nemo, quantum equidem sciam, prodere dignatus est, dubium superbia an ignorantia. Neque tamen, si accuratius quaeras, causa tam longe petenda. Nam cum post verborum singulorum fines utut optime coeuntes spiritus aliquantulum certe semper contineatur, et temporis quamvis minutissima spatia quasi muta versuum cursui interiiciantur: si multa fuerint brevia, frangi numerum et subsultare indecenter orationem necesse est. Contra verbis per plures pedes continuatis facillimum versus decursum habebit nec ullo impedimento retardatus ad exitum suum ipse se quodammodo devolvet. Porro, quoniam et contrariae rationes ita maxime sensibus percipiuntur, ut loco inter se sunt proximae, et longioris vocabuli exitus fortius aures ferit maiusque parit respirationis intervallum, quam exilis et minuti: ea caesura, quam cum omnino acerrimam, tum propter pentametri concentum elegis aptissimam diximus, πενθημιμερής sic demum optime versum percutiet, si in longius verbum inciderit. Hinc magnifica illa utrorumque versuum initia, in quibus Graecorum nominum potissima est auctoritas. Haec enim pulchra litterarum temperatura rarisque consonantibus volubiliora etiam fiunt, nec tamen, cum plenae sint vocales et rotundae, trepide festinant. Hinc igitur non modo octo morarum voces, ut I, 20, 31.:

Iam Pandioniae | cessat genus Orithyiae —

quae interdum per synaloephen magis etiam porriguntur, ut IV, 1, 28.: Idem Agamemnoniae | — (adde I, 9, 10. 16, 46. 20, 3. 37. II, 1, 30. 38. 3, 20. 54. 4, 8. 9, 8. 15, 14. 21. 22. 32. 26, 21. III, 5, 41. 7, 2. 21. IV, 1, 111. 4, 80. 6, 4. 32. 7, 22. 24. 8, 24. 36. 11, 84.), sed tota interdum *πενθημιμερὴς* uno expletur vocabulo, ut I, 20, 5.: Thiodamanteo; II, 34, 39.: Amphiaraeae; III, 3, 2.: Bellerophontei; III, 14, 14.: Thermodontiacis; IV, 9, 1.: Amphitryoniades. Nam quae septem continent tempora velut: Aut quid Orontea | — Teque peregrinis | — et ipsa cum proximis vocibus per synaloephen saepe coeuntia, iam inter vulgaria habenda sunt, siquidem 68 eius generis exempla in carminibus Propertii invenimus. Neque vero illud est de nihilo, quod reliquorum versuum plus quam dimidia pars sex morarum pedes illos fortissimos et gravissimos, choriambum atque molossum, ea sede exhibet. Nam in libro primo 228, in secundo 376, in tertio 312, in quarto 289 eo modo sunt compositi. Plures tamen molossi, velut: Sed neque Phlegraeos | —. Haec de *πενθημιμερεῖ*, in qua mollities numerorum caesurae acrimonia frangitur atque compensatur, et vox quasi fluxa initio erigitur iterum et firmius insistit. Itaque aestuantem quidem per contraria numerum dixeris, fortasse etiam lascivientem, at non enervem aut profusum. Contra in distichorum clausulis, ubi sententia proprio quodammodo talo stare et submissis sensim numeris acquiescere debet, longiores voces minus solent laudari. Nec certe omni argumento pariter sunt accommodatae. Itaque Propertius, qui in amatoriis primi libri carminibus inter 353 versus octoginta sex habet choriambos in extrema sede positos (huc enim etiam I, 15, 34.: perfidia est pertinet propter synaloephen), novies iambum cum anapaesto eadem voce continuatum, atque adeo tricies solum anapaestum, qui propter exultantem antecedentis verbi accentum eo loco maxime solet improbari: idem tamen in heroicis libri quarti argumentis (El. 1, 1—70. El. 2. 4. 9. 10.) bis solum choriambum posuit, nunquam anapaestum, aut quinque syllabarum vocem. At, si quid video, Propertius ipse nimis delicatum illum et paene effeminatum versus incessum postea videtur intellexisse. Nam cum in iuvenilibus primi libri carminibus tam frequentes sint *πολυσύλλαβοι* exitus, iam multo rariores apparent in libro secundo, siquidem inter 681 eius pentametros quinque syllabarum voces septem, choriambi quadraginta

octo, anapaesti sedecim inveniuntur. In tertio libro etiam evitasse ea videtur, cum inter 495 versus choriambi novem, reliquorum duorum generum singuli solum pedes extent, donec in extremae aetatis carminibus prorsus paene delitescunt. Nam in trecentis El. IV, 1, 71—150. IV, 3. 5. 6. 7. 8. 11. versibus duo sunt omnino choriambi, unus anapaestus, unus iambus cum anapaesto continuatus. At ne illud fortasse soli limae sollertiae tribuendum esse credas, quam in primo libro praecipue evidentem, reliquis carminibus quominus pariter adhiberet, praematura morte poeta sit impeditus: neque in universum ita rudia posteriorum librorum carmina iure dixeris, neque in iis ipsis elegiis, quibus mollem versum sibi prae ceteris poetis vindicat (III, 1. et 3., cf. supra et cap. insequ.), ne semel quidem longiore usus est exitu.

Neque vero in brevium atque longarum temperatura aliud quid secutus est, quam ut gravitatem numerorum cum varietate, quoad eius fieri posset, coniungeret. Itaque, quamvis plures in hexametris spondeos, quam dactylos esse vellet, tamen ita hos dispertitus est, ut alter semper priorem versus partem alter sequentem obtineret. Cui quoniam accedit, ut molossi pondus ante caesuram multo quam ceteri pedes gravius esse videatur, haec prodiit hexametri figura longe frequentissima:

Tum mihi constantis deiecit lumina fastus
— ∪∪ | — — | — || — | — — | — ∪∪ | — —

ad cuius exemplar inter 353 primi libri hexametros, 58 versus sunt expressi; inter 681 libri II: 116; inter 495 libr. III: 83; inter 175 libr. IV, El. I, 1—70. El. 2. 4. 9. 10.: universi 28, inter 300 reliquarum eiusdem libri elegiarum: 59. Quae est omnium hexametrorum pars fere septima. Huic proxima figura:

Donec me docuit, castas odisse puellas.
— — | — ∪∪ | — || — | — — | — ∪∪ | — —

Unde ad libr. I: 47; ad II: 74; ad III: 47; ad IV^{a}: 22; ad IV^{b}: 21 versus pertinent, i. e. 211 universi, sive decima fere omnium pars. Nec multum numero distat, quamvis incitatior ratio haec:

Nam modo Partheniis amens errabat in antris.
— ∪∪ | — ∪∪ | — || — | — — | — ∪∪ | — —

Contra rarissimi qui aut ex meris dactylis constant, quorum triginta tres universi inveniuntur, aut ex pluribus, hac figura:

— ∪∪ | — — | — || ∪∪ | — ∪∪ | — ∪∪ | — —

cuius generis sunt 62; pauciores etiam, quorum pedes iniquius sunt dispositi, hoc modo:

— — | — ∪∪ | — ‖ ∪∪ | — ∪∪ | — ∪∪ | — ∪

Horum enim item atque in solis dactylis sunt 33. Omnium autem rarissimi, qui ad hoc schema facti sunt:

— — | — — | — ‖ ∪∪ | — ∪∪ | — ∪∪ | — ∪

nam numerum 25 non superant.

Multo contra plures, qui quinta sola sede excepta solis spondeis compositi sunt. Sunt enim 117 numero. Quamquam epicis argumentis minus accommodati visi fuerint Propertio, siquidem 175, quibus illa carmina conficiuntur, hexametris ter modo ea figura usus est. Quod magis fortasse etiam in hoc schema cadit:

— — | — — | — ‖ ∪∪ | — — | — ∪∪ | — ∪

quod cum in universum sexagies novies admiserit, in illis carminibus plus quam semel non invenitur. Spondiacum vero hexametrum sexies tantum omnino posuit. Eorum porro, qui pro πενθημιμερεῖ alias caesuras habent, multo minorem esse numerum, iam supra diximus; sed inter eos, qui post alteram arsin incidunt et deinde ἑφθημιμερῇ adiungunt, haec utique figura usitatissima:

— ∪∪ | — ‖ — | — ∪∪ | — ‖ — | — ∪∪ | — ∪

quae tricies semel in omnibus carminibus invenitur. Quae omnia tam accurate excutere et quasi ad decempedam poetae ingenium exigere velle si cui putidum videatur atque adeo infelicis sollertiae: nae equidem illi lubens assentiar, modo aliter certi quid omnino de hoc loco posse constitui doceat. Iam vero quoniam semel versuum natura solis longarum et brevium syllabarum dimensionibus et intervallis variis intelligitur, qua tandem alia ratione eam expendas, quam numerando et metiendo? Ergo hic ipse labor, quantumvis videatur ieiunus, illud certe praestiterit, quod qui laboriosum omne tamquam servile infra se positum ducunt, nunquam assequentur, ne fallaci sensuum iudicio contenti profundius quid sapere nobis videamur, si hunc vel illum versum magis aut minus Propertianum esse tamquam de tripode dictemus. Quale est splendidum Paldami arbitrium, qui (De Erott. Romm. p. 69. not. 97.) Broukhusium ad El. II, 25, 3. pro vulgato hoc:

Vix unum || potes infelix || requiescere mensem —

sic, quamvis frustra coniectantem:

Vix potes infelix || unum requiescere mensem —

eo argumento refutare conatur, quod hic versus Ovidianam prorsus volubilitatem, superior ille gravitatem Propertii prodat. Qui si alienis auribus plus quam suis credidisset, nunc confidentia sua risum nobis non debebat. Nam haec figura, quam modo damnavit, quamque vere Propertianam esse bonus ille Batavus probe persenserat, saepius invenitur apud nostrum, quam universa exempla illius, de qua diximus, ἐφθημιμερούς, cuius altera haec figura pars tantum est perexigua. Nam in libro I vicies, in II tricies octies; toties item in III, in IV autem septuagies sexies occurrit.

Pentametrorum ratio simillima hexametris, quamquam in his de solo priore hemistichio agitur, cuius haec forma — ∪∪ — — — — ‖ omnium frequentissima (1018 enim exempla inveniuntur, quae est plus quam dimidia omnium pentametrorum pars); ea quae solis longis componitur rarissima. Nam non saepius quam ducenties septuagies bis extat. Quae autem contraria huic, in qua dactylus bis sibi iungitur, una minus est frequentissima (414 enim ad id schema facti sunt versus): nimirum hic quidem pentametri natura, quae respondentem sibi utriusque hemistichii rhythmum expetit, quamvis robustiori illi et graviori secundae sedis pedi ultro cesserit, plus tamen, quam sola varietas valuit. Ceterum haec ipsa severior pentametri lex, quae plus quam quattuor modis variari numeros non permittit, uniformem magis elegorum sonum efficit, quam carminum heroicorum. Cui cum accedat, ut in ipsa argumentorum varietate similis tamen quidam omnibus poematis color sit obductus: non est admirandum, quod in hoc genere rarius res gestas adaequato versuum sono persequi et quasi imitari licet. Quamquam Propertius, quod quidem intra hos fines praestari potuit, praestitit. Ne enim hic, quae de vario caesarum sententiarum usu dixi, repetam, quibuscum duplicis caesurae ratio artissime est coniuncta, neve iterum hic colligam, quae passim proximis paginis attigi: quis non ipsis numeris, i. e. caesuris et brevium longarumque syllabarum mixtura, sententias exprimi et quasi auribus infundi sentiat his versibus:

At vos incertam mortales funeris horam
Quaeritis —

vel:

Culus inaurati celebrarunt limina currus.

Alter enim gravitatem admonentis spondeorum pondere simulat, alter procerarum vocum tumore magnificum aliquid sonat. Rursus leviter properantium syllabarum gratam negligentiam

in El. III, 23. quis non admiretur? Aut quis imperitantis Apollinis vocem audire sibi non videatur IV, 6, 52.:

Tempus adest | committe rates | ego temporis auctor cett.?

Praeterea etiam diversae litterarum sunt virtutes, quarum temperatura alia aliis argumentis est idonea. Nam cum in carminibus, quae maiore spiritu efferuntur, plenae dominantur et rotundae vocales, quales sunt *a*, *o*, *u* et diphthongi et quae a Graecis Latinitas est mutuata: humiliorem sermonem planae illae et exiles *i* atque *e* unice decent. Quod Propertium minime neglexisse sentiet, qui carmen illud dithyrambicum III, 17. cum quovis primi libri amatorio comparaverit. Rursus obscurae illae et velut de profundo sonantes moestum aliquid habent et lugubre. Quapropter optime ἐπικήδιον in Marcelli mortem II, 18, 1. sic orditur:

Clausus ab umbroso qua alludit Pontus Averno —

itemque in Cornelia:

Vota movent superos: ubi portitor aera recepit,
Observat herbosos lurida porta rogos.
Sic moestae cecinere tubae, cum subdita nostrum cett.

Nec consonantium ubique idem usus. Nam cum in universum rarius positae tum et liquidae et spirantes et inter mutas mediae mollem efficiunt et suavem sonum, qualis in his:

Qua formosa suo Clitumnus flumina luco
Integit, et niveos abluit unda boves —

vel:

Quamvis ille sua lassus requiescat avena.

Contra densae et tenues et frequens littera canina fragorem cient et crepitum, expetitum interdum in descriptionis evidentiam, ut III, 17, 33. sq.:

Mollia Dircaeae pulsabunt tympana Thebae,
Capripedes calamo Panes hiante canunt.

Verum hic cum omnia iam artificia illa simul in certamen veniant, non procul abest id genus, quod ὀνοματοποιΐαν vocant, IV, 8, 29.:

Cum subito rauci sonuerunt cardine postes
Et levia ad primos murmura facta lares.

IV, 4, 10.:

— tubicen vicina Curetis
Cum quater et lento murmure saxa Iovis.

IV, 3, 65.:

Plumbea cum tortae sparguntur pondere fundae,
Subdolus et versis increpat arcus equis.

Nonne plus quam Homericum audis: λίγξε βιός? Sed evidentius etiam III, 17, 35. sq:

Vertice turrigero iuxta dea magna Cybebe
Tundet ad Idaeos cymbala rauca choros —

et quod frustra sollicitaverunt I, 20, 48.:

Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.

Atque haec quidem fere fuerint, quae sanctissimas usquequaque et abditas orationis poeticae veluti latebras perscrutatis nobis idonea visa sunt, quibus ingenium Propertii atque ars paullo accuratius, quam adhuc factum est, possit aestimari. Restat, quod etiam ab iis, qui operosam hercle illam et non raro spinosam investigationem vero poetae studio ducti nobiscum sustinere non veriti sunt, iamdudum efflagitari intelligo, ut tandem ad studiorum eius subsidia et instrumenta perveniamus, quibus ingenium aluerit artemque ad illud fastigium duxerit. Nam cum de reliquis eius vitae rationibus primo iam libro egerimus, poetarum Alexandrinorum, quorum carmina non modo probasse, sed admiratum se esse atque expressisse etiam ipse toties profitetur, in transcursu solum mentionem fecimus.

Caput VII.

De imitatione poetarum Alexandrinorum.

(Cf. Observationes in aliquot Sex. Aurelii Propertii locos, quibus Callimachum et Philetam imitatum se esse profitetur. Halberstadii 1836. 4. scholasticis libellis praemissas.)

Atque primum quidem hoc neminem admiraturum esse credo, Alexandrinorum poetarum exemplaria, quae libera republica a Romanis diu adeo despecta iacuissent, ut Cicero etiam Euphorionis cantorum (Tusc. III, 19., quem locum varie interpretati sunt Weichertus de Horatii obtrectatoribus §. 3. Poett. Latt. rell. p. 288. Obbar. in Annall. Iahn. III. p. 95. Meinek. in Euphor. Chalcid. vit. et scriptt. p. 33. sqq. et rursus Weichert. de Licinio Calvo §. 8. p. 28. et Obbar. in Annall. Litt. Berolin. a. 1834. Sept. p. 114. Cf. Paldam. de Eroticis Romanorum. Gryphisw. 1833.) iudicium tamquam quorundam effeminatorum iure sibi contemnere videretur, tum cum Augusto principe in unum dominum summa rerum vertisset, unice expeti et lectitari coepta esse. Nam similes vitae conditiones similia procreare studiorum genera consentaneum est. Atqui primo quidem aspectu non ita dissimiles tum res Romanae videntur fuisse Alexandrinis tem-

poribus. Amissa enim libertate rei publicae cura nisi penes dominos nulla, privata omnia, et utrobique inventi, qui totam vitam litteris impenderent. Sed haec, ut dixi, primo adspectu. Nam accuratius intuentibus vereor, ne plurima illius similitudinis pars evanescere videatur. Romanis enim hominibus Italia patrium solum; omnia magnae memoriae plena; Romani nominis apud exteros maior, quam unquam fuerat, auctoritas. Praeterea reipublicae non modo species quaedam duraverat, sed multi civitatis proceres opulentia domuum et antiqui nominis splendore reliquias quasdam libertatis sustentabant. Neque enim illud de nihilo, quod praeter ipsum Augustum Maecenas quoque et Messalla et Pollio ille Asinius bonarum artium patrocinio certabant. Nec statim omnes in adulationem ruere, sed multa pro illis temporibus dicendi simplicitas; siquidem non Livio, quod Pompeianus videretur, Caesar fiebat infestior, et libertatis vindices Philippenses non modo lugere mortuos, sed laudibus etiam extollere liberum erat (cf. Sueton. Aug. 54. Tacit. Ann. IV, 34. Heindf. ad Hor. Sat. I, 2, 36. 48. Prop. III, 11, 33. sqq. et adnot. ad interpret. Germ.). Quid multa? Augustus debiti fatis imperii heres (cf. ad Prop. IV, 1, 46. 6, 38. et quae disputavimus libro I. de diis patriis c. 18. p. 44. sqq. et 20. itemque L. II. c. 9. p. 84.) et sospitator populi paterque patriae merito habitus (III, 4, 1. 11, 55. sqq. IV, 6. tota). Nec tantum patrias religiones et antiqua gloriae Romanae monumenta restituebat, sed mores etiam emendare, et quantum fieri liceret, ad pristinam frugalitatem reducere tentabat (cf. Lib. I. Cap. 5. Hor. Od. IV, 15, 9. sqq. 5, 21. sqq. Epist. II, 1, 2. Sueton. August. 27. 32. 34. 42. 72. 73. Ovid. Tristt. II, 232. Mett. XV, 833. Flor. IV, 12. extr. Cass. Dio. LIV, 16. Oros. VI, 22. et quos de lege Papia et Poppaea agentes citavimus ad interpr. El. II, 7. Germ. itemque Quaestt. harum L. I. Cap. 6. III. Cap. 1. Dissertat. inaugur. Hal. 1835. p. 22. n. 80.). Ac procul dubio multi Italorum antiquam morum integritatem servaverant *), qui cum municipes frugi et innocentes passim Romam migrarent, senescentis veluti civitatis venis novum semper et sanum succum infundebant. Quotusquisque enim eorum est, quibus tum Romanae litterae nomen debebant, quin aut in Apuliae Pelignorumve montibus aut qualicunque

*) Cf. Interpp. ad Hor. Epod. 2, 41. 42. Stat. Silvv. V, 1, 122. sqq. Hinc et agrestis vitae simplicitas et rusticationum studium: de quibus cf. Hor. Sat. II, 6, 62. sqq. Virg. Ge. II, 458. Prop. II, 19.

obscuro patriae angulo penates suos coluerit? Adde, quod sermo Latinus tum demum cultus et expetitus ipse quodammodo argumenta, in quibus vires exerceret, circumspiciebat. Adde quod integrae vires, quod recens ad litteras tum demum repertus est impetus. Apud Alexandrinos omnia contra. Deiecta Graecia, eversae civitates, externi reges, saevi domini. Ea ipsa autem, cui olim Graecia historiae suae famam debuerat, civitatum singularum libera potestas, qua minutatim divisae gentes publicarum rerum omnes participes essent, haec ipsa *αὐτονομία* potissima communis perniciei causa. Nam ut alia taceam, perditorum morum pestilentia ne minimum quidem oppidum contagione liberum reliquerat. Vix Aetoliae pastores simplices remanserant, sed qui nunquam humaniorem cultum affectassent. Tum vero intestinae turbae et crudelia bella, cum omnes civitates pariter in medio positae essent, nulli pepercerant. Ubique terror et fuga et tumultus, ubique urbium et agrorum vastitas, miseria ubique (cf. instar omnium Droysen. de Alex. successoribus III, 3. init. p. 422.). Quid mirum, quod tam diris temporibus simul cum morum disciplina etiam sermonis Graeci pura facilitate perdita Athenis mediis Attice loqui obliti sunt? (Cf. Bernh. hist. litt. Graecc. I. p. 353. sqq. coll. p. 390.) Iam vero in illa immani calamitate unicum Musarum refugium, mox orbis cultioris vertex, Alexandria caput populi barbari, abiecti, infamis (cf. ad Prop. III, 11, 39. sqq. Interpp. ad Theocr. Adoniaz. 50. Iuven. Sat. IX, 84. XV, 46. Bernhardy. l. l. p. 350.). Ipsa Nilotica turba sentinae ex omnibus populis et civitatibus haustae congluvies (Polyb. XXXIV, 14. Drumann. de rebus Ptolemaeorum. Bernhardy. l. l. p. 352.). Vel optimi viri, et litterarum quod supererat verum decus, patria tamen profugi illic exulabant. Nec quidquam in eo exilio invenerunt, quo poetarum ingenia excitari, ali, incendi solent. An tu mihi aulae regiae splendidam magnificentiam commemoras? quae vero pulchri sensu et tenero Graecarum Venerum quasi flore exuta semper frigebit. An templorum maiestatem et solemnes in deorum honorem cultus institutos et pompas? quae sine vera immortalium fide et religione inania sunt omnia. An studium regum benevolorum, hercle, et qui de bonis artibus immortaliter meriti sint? At absurda adulatio surgentes spiritus pressit, neque honor a regibus utique doctrinae habitus eatenus saltem valuit, ut castrensia ioca et ludibria semper arceret (cf. Athen. XI. p. 493. D. sqq. Diog. Laert. II, 111. Heynii Opuscc. I. p. 89.). Ne multa, saeculi vitia potentium decretis aut munificentia nunquam emendabuntur, nec unquam regalibus impensis collectae plu-

viae aquae vivum iugis fontis gurgitem praestabunt. Quare non est quod miremur, si iidem viri, quorum laborem indefessum et immensam doctrinam omnis aetas admirata est, in poematis nihil aliud quam suum saeculum expresserant. Itaque Callimachus, qui iure instar omnium eius aetatis poetarum saepe nominatur, in plerisque eorum carminum, quae nunc quidem comparent, versificator potius videtur quam poeta. Nam quidquid intento labore et sedulo studio effici potest, illud quidem praestitit; numeri enim molliter properantes nunquam nec fragore nec hiatu aures laedunt; rhetoricis flosculis callide dispositis variegata oratio et perpolita rarioris doctrinae emblematis plus quam vulgare sapientibus placere studet. Sed cum in argumentis circa externas semper rerum species haerens nunquam in ipsum pectus descendat: nec affectibus percellit legentes nec dulcioribus sensibus delinit, et dum versuum tinnitus auribus excipimus, nullos in animum aculeos admittimus. Quocirca hymnorum praesertim splendidum illud frigus intuentibus nimis etiam benignum Ovidii iudicium videatur, qui Amorr. I, 15, 13.:

Battiades, ait, *toto semper cantabitur orbe;*
Quamvis ingenio non valet, arte valet.

Nam cum eam supra viderimus inveniendi et eloquendi cognationem, ut ipsa demum argumenti ubertas orationem tollere et pennas ei addere posset, hac ille felicitate destitutus et circa singula anxius, fortiter assurgere veretur, humi semper iacet et unus omnium maxime ἀπτώτου appellatione dignus (cf. Longin. 33, 6. Spalding. ad Quintil. X, 1, 59.), nunquam probabilem illam dicendi mediocritatem superat, quam solam Apollonio laudem Quintilianus concedit (X, 1, 54.). Quod autem circa externas rerum species et veluti umbras eum haerere diximus, hoc ideo aperte elocutioni nocet, quod cum flosculis et affectato cultu inania exornat argumenta et tanquam gravissimas res venditat, absurda nascitur rerum atque verborum repugnantia. Hoc vero κακόζηλον ita omnia eius carmina occupat, ut, cum iis dicendi figuris, quae in repetitione verborum versantur, per singulos paene versus utatur, iure dubites, quomodo earundem semper vocum repercussum ad taedium usque sonitum cum brevitatis studio, quo idem Callimachus iactare se solet, recte componas. Nam ut uno pro millibus exemplo defungar, quod tantum est auri pretium, ut in Deli honorem (Hymn. in Delum v. 260.) quinque versibus aurea omnia in ea insula facta esse praedicet:

Χρύσεά τοι τότε πάντα θεμείλια γείνετο Δῆλε,
Χρυσῷ δὲ τροχόεσσα πανήμερος ἔῤῥεε λίμνη,
Χρύσειον δ' ἐκόμισσε γενέθλιον ἔρνος ἐλαίης,
Χρυσῷ δὲ πλήμμυρε βαθὺς Ἰνωπὸς ἑλιχθείς,
Αὐτὴ δὲ χρυσέοιο ἀπ' οὔδεος εἵλεο παῖδα.

Cui geminos locos duos cf. Hymn. Apoll. 32. et Dian. 110., ubi tanquam primas laudes aureum omnem Apollinis et Dianae apparatum recenset. Quanto rectius Propertius in corruptorem illum generis humani invectus:

Auro pulsa fides, auro venalia iura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

Hic enim repetitionem postulat argumenti gravitas, illic vana omnia verba et splendor inanis. Talibus igitur si ineptam insularum terrarumque fugam (H. Del. v. 70—190.) et Apollinis per 70 versus vicies quinquies repetitum nomen addideris (H. Apoll. 1—70.), vix est, quod Lucianum redarguamus, qui de scribenda historia p. 371.: *Οἷον ὁρᾷς τί καὶ Ὅμηρος ὡς μεγαλόφρων ποιεῖ· καίτοι ποιητὴς ὢν παραθεῖ τὸν Τάνταλον καὶ τὸν Ἰξίονα καὶ Τίτυον καὶ τοὺς ἄλλους. Εἰ δὲ Παρθένιος ἢ Εὐφορίων ἢ Καλλίμαχος ἔλεγεν, πόσοις ἂν οἴει τὸ ὕδωρ ἄχρι πρὸς τὸ χεῖλος τοῦ Ταντάλου ἤγαγεν; εἶτα πόσοις ἂν Ἰξίονα ἐκύλισεν;* Cf. Suid. v. *Σεβηριανός*. Sed quid istuc est rei? Num comparationem Propertii et Callimachi instituentes iam paene, quam non sint similes, demonstrare velle videamur? An mendacii reum agentes poetam Umbrum, magistros quibus ipse gloriatur invito eripiamus? Quid? non iniqui iudices risum prudentibus debere videmur, cum adversa habeamus tot et tanta antiquitatis testimonia? Nam ut circumspectum inprimis et acrem pulchri aestimatorem Quintilianum audiamus, hic Inst. Or. X, 1, 58.: „Tunc", ait, „et elegiam vacabit in manus sumere, cuius princeps habetur Callimachus; secundas confessione plurimorum Philetas occupavit", et assentientes habet veteres, quotquot elegiarum auctores commemorarunt, omnes, siquidem ubicunque principes eius generis recensentur, nunquam hos duumviros omissos esse video, cum tamen et Callinus et Mimnermus primi elegiae conditores, et qui florentibus rebus Graecis scripserunt, saepius taceantur. Plerique vero Callimacho primas deferre ultro partes non dubitant. Nam Ovidius Amorr. III, 350.: „Sit tibi", inquit, „Callimachi, sit Coi nota poetae Musa", idemque Rem. Am. v. 760.:

Callimachum fugito, non est inimicus Amori,
Et cum Callimacho tu quoque, Coe, noces —

quibus locis add. Tristt. I, 6. init. II, 367. et quos supra citavimus versus I, 15, 13. sq. Hic igitur cum instar omnium hos duos solos appellet, commune doctorum iudicium sequutus est. Nam cum Ovidio totus facit Propertius III, 1, 1. 3, 52. IV, 6, 3. sqq. III, 9, 44. II, 34, 31. et Statius Silvv. I, 2, 252.: „Hunc ipse Coo plaudente Philetas Callimachusque Umbroque Propertius antro Ambissent laudare diem.“ Nam Proclus quoque quamvis antiquioribus illis non omissis, his tamen suam principatus partem de industria vindicat, siquidem in Phot. Bibl. p. 319. b.: Ἀριστεῦσαι, ait, τῷ μέτρῳ (elegos intell.) Καλλῖνόν τε τὸν Ἐφέσιον καὶ Μίμνερμον τὸν Κολοφώνιον, ἀλλὰ καὶ τὸν τοῦ Τηλέφου Φιλητᾶν τὸν Κῷον καὶ Καλλίμαχον τὸν Βάττου. Unde Grammaticus Biblioth. Coislin. p. 597.: Ἐλεγειοποιηταὶ δ', Καλλῖνος, Μίμνερμος, Φιλητᾶς, Καλλίμαχος, et Tzetz. Schol. ad Lycophr. Vol. I. p. 257.: Ἐλεγείων δὲ ποιηταί· Καλλίμαχος, Μίμνερμος, Φιλητᾶς. Quid Theocritus, sive quicunque Θαλύσια scripsit agrestis Musae auctor suavissimus? Qui cum ne comparare quidem se Philetae audeat, etiamsi aliquantum laudis modestiae viri dandum esse confiteamur, tamen qui a tanto poeta tam urbana laude extollatur, nonne ipsum egregium fuisse iure colligimus? Nam v. 37.:

> Οὐ γάρ πω, inquit, κατ' ἐμὸν νόον οὔτε τὸν ἐσθλὸν
> Σικελίδαν νίκημι τὸν ἐκ Σάμω, οὔτε Φιλητᾶν
> Ἀείδων· βάτραχος δὲ ποτ' ἀκριδας ὥς τις ἐρίσδω.

Eundem vero Philetam si inferiorem etiam Callimacho plurimorum sententia fuisse intelligimus, illum profecto Callimachum, cuius ex hymnis nobis apud animum fingimus imaginem, honoribus antiquorum consensu ultro ei delatis indignissimum fuisse haud dubie pronuntiamus. Atqui veteres omnes tantum auctoritati Aristarchi et Aristophanis tribuisse, si tamen ab his in ordinem receptos elegographos nostros vere perhibetur (cf. Ruhnken. hist. crit. orr. Graecc. ad Rutil. p. XCVI. sqq.), ut, quod illis grammaticis placuisset, ipsi non modo culpare non auderent, sed ut viri ceteroquin acutissimi et qui suis quam aliorum oculis plus confidere semper consuessent, in his duobus de industria caecutientes immeritas laudes uno ore recantarent: sic qui existimaverit me quidem iudice nisi arrogantissimus, satis tamen inconsultus prudentibus debet videri. Quem errorem vix effugit Weichertus (de Apollonio p. 38.) et Heynius (Opuscc. T. I. p. 104.), quanquam hic ipse aliquatenus sibi repugnat (cf. praef. ad Virg. Aen. ed. II. p. 43. apud Wagn T. II. p. 26. sqq.). Multo vero gravius peccavit vir doctus in Accessionibus ad Sulzeri

doctr. artt. T. II. p. 101., qui cum hymnorum Callimachi frigus et ariditatem non nimis quidem erudite, sed vere tamen vituperasset, eo est temeritatis progressus, ut similem admodum fuisse hymnorum et elegiarum rationem comparato imitatore Propertio certo colligi posse contenderet. Nec tamen a contraria parte levior Valckenarii culpa; huic enim doctrinae copia vix ipsis Alexandrinis cedenti adeo tamen in aestimandis poetarum ingeniis iudicium aut ipsa natura negavit aut caeca veterum admiratio eripuit, ut non solum omnia promiscue Callimachea tanquam suavissimos elegantiae flores admiraretur, sed non multum abesset, quin Sophocli eum aequipararet (cf. ad el. Cat. Callim. 15. p. 262.). Quin immo in testimoniis de elegia Callimachea commentationi suae praemissis ne iniquius Ovidii iudicium ceterorum laudibus obesset, noxium illum pentametrum (Amorr. I, 15, 16.) surripere non dubitavit p. 13. Iam vero si quis quomodo has lites componendas credamus quaerat, hoc unum viros doctos non attendisse sciat, tantam cum ubique tum vero apud antiquos argumentis diversis carminum effici differentiam, ut alterum ex altero aestimare iniquissimum videatur. Nam ne id urgeamus, quod semper valuit semperque valebit, Quid ferre recusent, quid valeant humeri: saeculum suum expressisse Callimachum supra diximus; quod si in publicum Musa prodire non vereretur, aliter canere non potuit, quam tempora illa et paene necessitas poscerent, et ita cecinisse eam in hymnis vidimus. At longe diversa ratio, si angustiore gyro contentus poeta privatae vitae gaudiis, comissationibus, rusticationibus, conviviis celebrandis acquiesceret. Nam usque adeo certe nullius unquam aetatis miseria penetravit, ut etiam amores de rerum natura tolleret. Quis autem bonos illos grammaticos et philologos ita tetricis studiis insenuisse contendat, ut ne in triclinio quidem et lectulo aliquando severam frontem exuerent? Quis inter rosas et pocula et puellarum amplexus acribus flammis correptos desipere in tempore vetaret? Negat epigramma sepulcrale, quod senem Cyrenaeum laetum convivam celebrat (37.):

Βαττιάδεω παρὰ σῆμα φέρεις πόδας, εὖ μὲν ἀοιδὴν
Εἰδότος, εὖ δ' οἴνῳ χαίρια συγγελάσαι.

Atqui Amor, si modo verus est et praesens deus, ipse sibi optima parit carminum argumenta, ipse impetum, ipse ingenium. Hinc carmen amatorium tam commune omnibus populis et temporibus, ut nullum agrum ita malignum invenias, quin hunc fetum aliquando fuderit. Quid Graecos dicam, quibus deorum propitio numine concessum esse videtur, ut

soli mortalium cum Apolline suo et Baccho aeterna iuventute fruerentur? Itaque postquam laetis quodammodo Graeci ingenii frondibus ferro et igni depastis arbor illa quondam superba putredine exesa cecidit, ex ipso stipite, tanquam extremus quidam et tenerrimus surculus, carmen elegiacum efloruit et per aliquod tempus nova pullulavit propagine. Neque illud iam solis veterum testimoniis fretus dico; nam non modo Theocriti bucolica elegiis genere proxima. Philetam quoque praeceptorem talis poetae egregie commendant (siquidem teste anon. vit. Theocr.: Ἀκουσιῆς γέγονε Φιλητᾶ): sed in manibus sunt et debitis laudibus ab elegantissimo quoque celebrantur Phanoclis et Hermesianactis fragmenta, quorum alter antiquitatis memoria paene excidit, alter Philetae et familiaritate et studiis coniunctissimus (cf. Schol. ad Nicandri Ther. v. 3.) ut amico etiam carminum genere, quod vehementer probat, similis fuerit recte colligimus. Quod cum illius elegos, quos a veteribus transeundo solum commemoratos, longo tantum intervallo Philetae proximos fuisse apparet, hos autem cum veluti quoddam pretiosarum gemmarum monile summa dignemur admiratione (cf. Fr. Schlegel. Opp. IV. p. 54.), qualia tandem ipsius Philetae carmina fuisse censemus, vel qualia Callimachi, qui inter tantos aemulos primus posset haberi? Nec quisquam nunc nobis aut Catulli illam elegiam Callimacheam obiiciat, quae frigore cum hymnis certet, aut densas reliquarum glossas, quae ipsa obscuritate effecerint, ut a grammaticis et lexicographis fragmenta nobis servarentur. Nam carmen illud in comam Berenices scriptum, quamvis distichis elegiacis compositum, non magis elegiae nomen meretur quam aut hymnus in Palladem aut quodcunque aliud conducto pretio in aulae honorem Callimachus condidit. Glossas autem et recondita verba nemo exprobret, qui Graecum sermonem purum et elegantem, tunc paene iam oblitum, dedita opera ex veterum libris erui a doctis et denuo addisci oportuisse meminerit. Quae si vere a nobis disputata sunt, minime iam videtur absonum, quod Propertius Philetam sibi et Callimachum in elegiis, quae proprie dicuntur, imitandos proposuit. In *Αἰτίοις* vero, in quibus doctrina veterum historiarum tantum abest ut carmini noceat, ut ipsa eius efficiat argumenta, ne potuit quidem alium magistrum sequi. Quare tandem mirari desinamus, quod Romani Callimachi appellatione superbam gloriam patriae suae comparaturum esse se haud tacite pronuntiat (El. IV, 1, 63. sqq.). Quidni enim iuvenis admodum et artis poeticae tiro, qualis Propertius Origines suas scripsit, satis immortalitati suae consultum crederet, modo Callimachi no-

men et famam esset assecutus? Quid quod temporum ratio diversa Propertium paene coegit, ut exemplo magistrum vinceret? Nam cum Cyrenaeo causarum auctore non nimis Graeciam superbisse credamus, quanto plus Romano homini suae gentis historias cordi fuisse quam Graeculo et Alexandrino consentaneum est, tanto superatum hoc genere verum Callimachum ab aemulo Umbro ratio aperta cogit. Praeterea in his certe epicis rationem in universum argumentorum, non ipsa argumenta ut imitaretur Propertius, diversae iam Graeciae et Romae historiae effecerunt. Nec si quaeris, alio nomine unquam argumenta Alexandrinorum secutum se esse ait, quam quatenus cum versuum et numerorum ratione artissime essent coniuncta. Illa igitur imitatum se esse concedit, hos etiam contendit et pugnat. Nam cum Callimachi hederam (El. IV, 1, 61.) prae hirsuta Ennii corona sibi poscit, quid in illo probet, appositum ipsum Romani vatis exemplum docet, de quo vid. Ovid. Tristt. II, 434. Valer. Max. VIII, 14, 1. Hor. Satt. I, 10, 66. Weichert. de Horat. obtrectatoribus §. 3. not. 8. et nos in dissertatione ad initium huius capitis citata p. 13. 14. Lautam igitur munditiam Callimachi et limandi sollertiam hic quoque Propertius commendat. Hinc enim etiam Callimachum laudem et adeptum esse alii veterum consentiunt, et quaesiisse se ipse significat, cum in Artemachi Lyde contrarium vituperet. Cf. Call. ap. Schol. ad Nicand. Perieg. 316. ed. Bernh. (Ernest. auct. frgm. Call. CCCXXI.): *Λύδη καὶ παχὺ γράμμα καὶ οὐ τορόν.* Contra Crinagoram epigr. in Hecalen (Brunck. Anall. II. p. 144. n. 15. T. II. p. 131. Iacobs.):

Καλλιμάχου τὸ τορευτὸν ἔπος τόδε· δὴ γὰρ ἐπ' αὐτῷ
Ὠνὴρ τῶν Μουσέων πάντας ἔσεισε κάλως.

Cui cf. versum Ovidii saepius iam a nobis citatum Amorr. I, 15, 14. Commodum autem Crinagorae iudicio alius Propertii locus succurrit (II, 34, 29. sqq.), quo Lynceum poetam „seros amores insanientem“ adhortatur, ut relicto arduo severae tragoediae studio ad Callimachi potius Musam se applicet. Nam idem, quod amico suadeat, ad Propertium quoque pertinere, versuum 55—58. comparatio docet, quibus ea ipsa instituta via imperio inter puellas summo potitum se esse gloriatur. Hic igitur (v. 41.):

Desine, ait, *et Aschyleo componere verba cothurno,*
Desine, et ad molles membra resolve choros:
Incipe iam angusto versus includere torno;
Inque tuos ignes, dure poeta, veni.

Hic igitur primum hortatur, ut mollitiem versuum arte ela-

boratorum quaerat; nam ut argumenta etiam humiliora et quae sola talibus numeris accommodata essent, hoc tanquam ultro a quoque intelligatur subindicat tantum. Quominus tamen solam amatoriam Callimachi elegiam amico commendare Propertium credas, obstat v. 31. sq.:

Tu satius Musis meliorem imitere Philetam,
Et non inflati somnia Callimachi.

Somnia enim de αἰτίων libris interpretanda esse, quod recte et Burmannus et reliqui Propertii interpretes perspexerunt (quibus add. VV. DD. ad Callimachi frgmm. p. 416. ed. Ern. Wouwer. de Polymath. p. 78. Iacobs. Anthol. Gr. T. XII. p. 181.), tam aperte docet epigramma ἀδέσποτον in Anthol. Palat. 214. (Anall. Br. T. III. p. 270. DLXV. T. IV. p. 236. Iacobs.), ut quomodo Valckenarius (l. l. p. 11.) huius gravissimi testimonii oblitus in omnia alia abire potuerit, vix intelligam. Nec magis mihi Scaliger probatur, qui versus illos ita explicat, ut negatione ad verbum relata eos, qui amore proficere studeant, admoneri credat, ne Callimachi inflatum genus, quamvis alioquin eius imitatores, sectentur. Verum tumidum fuisse Cyrenaeum frustra demonstrare conantur iis testimoniis, quibus obscuritatem eius operibus passim exprobrari vidimus (cf. Heynii Opuscc. l. l. p. 93. not. *)). Aliud enim est inflatum esse et tumescentem ampullari, aliud brevitatis studio obscuriorem fieri. Hanc enim solam in Callimacho causam obscuritatis fuisse, et scripta eius testantur quotquot extant omnia, et pressa illa, de qua diximus, et tersa tenuitas declarat, quam ipse prae ceteris expetere se testatur frgm. ap. Etymol. p. 279, 47.: *Μηδ' ἀπ' ἐμεῦ διφᾶτε μέγα ψοφέουσαν ἀοιδήν*, cf. Interpp. ad h. Apoll. 110. Et mirum sane esset, si omnibus reliquis et Propertii et aliorum scriptorum, quos supra attulimus, locis tam bene consociatos videremus Philetam et Callimachum, hic solum contrarios et oppositos. Magis vero etiam hoc mirum, si Propertius ipse Callimachum alioqui semper sibi et aliis exemplum imitatione dignum proponeret, hoc solo loco fugi iuberet. Quem scrupulum si ita tollere tentaveris, ut Tu satius imitere — non inflati somnia Callimachi pro eo accipias: Tu s. i. s. C., ubi non sunt inflata, tamen et culpam cumulabis in virum indignam et adversum habebis nullis iuvantibus calumniis Prop. II, 1, 39., quo loco poeta Callimacho se comparans ait:

Sed neque Phlegraeos Iovis Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus.

Vides igitur, non amatoria solum carmina saucio amico com-

mendari, quibus amorem suum consoletur, sed mollem versum, quali Callimachus et alias et in αἰτίοις usus esset. Versibus argumenta ultro cessura. Cui interpretationi ne quis somniorum Callimachi rationem ipsam obstare dicat, quibus causas et origines locorum, institutorum, fabularum, deorum et heroum historias a Musis in Helicone somnianti sibi narratas esse finxerat (cf. ep. Anth. Pal. supra citatum), haec argumenta, quorum partem Propertius l. l. v. 33—38. ipse recenset, quomodo mollibus elegis accommodari potuerint, et Tarpeiae exemplo (Prop. El. IV, 4.) apparet, et in tanta amatoriorum fatorum multitudine, quibus Graeca heroum et deorum fabula ita scatuit, ut Romanorum doctis elegiis usque in infima saecula largissimam materiem praeberet, nequaquam mirum debet videri. Nam ne Phanoclis Ἔρωτας aut Alexandri Aetoli Apollinem dicam (cf. Conr. Schneider. in studiorum Creuzeri ann. IV. p. 66. Iacobs. animadvv. ad Anth. Gr. T. I. P. II. p. 243. Heyn. Opuscc. l. l. p. 96. n. *)), simillima sine dubio Callimacheis carmina, sed quae de industria amores heroum tractaverint: unum hic Parthenii librum satis est commemorasse, ut quid de αἰτίων argumento mihi videatur, appareat. His igitur libris Callimachus Acheloi amorem cecinerat, quem Beroaldus haud inepte ad pugnam Herculis et Aetoli fluvii super Deianira ortam refert. His quoque amoenorum locorum descriptiones, quibus et amantes et amatorii carminis praecones delectari scimus, intexuerat (cf. de inventione Prop. Cap. IV.):

— — *ut Phrygio fallax Maeandria campo*
Errat et ipsa suas decipit unda vias.

Quamquam doctius aliquid fortasse in his versibus lateat. Nam si Callimachus singulas causas per capita divisas persecutus est, tralatitio illo inde ab Hesiodo more orsas fuisse eas facile coniicimus, quo novum quodque argumentum ab his verbis solet ordiri ἢ οἵη vel ἢ ὡς. Quod si recte divinavimus, quin illis versibus:

Fluxerit ut magna fractus amore deus
Atque etiam ut Phrygio cett.
Qualis et Adrasti fuerit vocalis Arion cett. —

non modo, quod constat, argumenta quaedam Callimachi enumerata, sed etiam capitum certorum initia ex Originibus Latine expressa Propertius eodem modo nobis servaverit, quo paullo infra Romanorum poematum summas ipsis paene poetarum verbis recenseat, nullus dubito (cf. Cap. IV. V. fin.). Atque tale initium apud ipsum Callimachum extat loco, de quo infra dicemus:

— ὡς ἥρωες ἀπ' Αἰήταο Κυταίου κ. τ. λ.'

Tum vero etiam Maeandri commemoratio ad aliquam fabulam amatoriam pertineat, qua, donec alia innotescant, Herculis servitutem, quam Lydiae Omphalae serviebat, narratam fuisse licebit coniicias. Huius certe amoris testem etiam Ovidius (Her. IX, 55.) Maeandrum fluvium facit iisdem fere usus verbis:

Maeandros toties, qui terris errat in isdem,
Qui lassas in se saepe retorquet aquas,
Vidit in Herculeo suspensa monilia collo.

Hoc igitur argumentum illo αἰτίων capite persecutus fuerit, quo περὶ τῶν ἐν τῇ οἰκουμένῃ ποταμῶν agebatur (cf. infra). Versus denique 37. et 38., qui primo aspectu ad Aeschyli tragoedias referendi esse viderentur, et ipsos e verbo referas pendentes Callimachea continere argumenta, iam in dissertatiuncula supra memorata (p. 17.) evicisse nobis videmur. Neque enim profecto poeta, qui causas Graecas cecinit, Nemeensium ludorum originem omittere potuit, quibus primum in honorem Archemori mortui institutis Arion vocalis Adrasti equus victoriam curulem rettulit (cf. comm.). Nec, si quaeris, omisit. Etenim cum in tertio τῶν αἰτίων libro, auctore Stephano Byzant. (Call. frgm. XXIX. Bentl.), Apesantis montis in Nemeae finibus siti mentionem fecerit, apud hunc autem montem Arionem equum celeritatis suae egregium specimen dedisse iamborum fragmento (ap. eundem Steph. Byz. s. v. Ἀπέσας, Call. frgm. LXXXII. Bentl.) dicat, non temerarii videbimur, si priore quoque loco Arionis certaminumque Archemori funebrium mentionem factam fuisse coniecerimus. Hunc autem locum a Callimacho ita tractatum esse, ut nulli legenti ingratus veniret „sive in amore rudis sive peritus" fuit. Certe et Hypsipylae fata et filiorum pius amor et infantis Opheltae immatura morte abrepti imago puerilis multa praebuerunt, quae vel elegiarum scriptor in suum usum convertere posset. Quin omnium mollissimum Simonidem ex hoc fonte hausisse ab Athenaeo docemur, qui (Deipn. IX. p. 396. frgm. 26. Schneidewin.) parvum quidem sed suavissimum eius fragmentum de Archemori obitu nobis servavit. Haec autem omnia aliquanto etiam aptius, quam origines Romanas elegis includi potuisse, ex iis apparet, quae ad calcem primi huius libri capitis disputavimus. Nam quae de Romanae gentis initiis feruntur fabulae paucis exceptis omnes nescio quid severum sonant et triste, et quod feroci Urbis auctori placeat. Elegiaco autem versu scripta fuisse Callimachi αἴτια, quidquid contra dicunt Valckenarius

(de Catulli eleg. Callimach. p. 10.) et Ernestius (ad frgm. Call. XI.), certo est certius. Alter enim, qui nimis licenter totum hunc locum tractavit, et de αἰτίων praecipue libris singularem prorsus nec ullis argumentis firmatam opinionem videtur concepisse, ne audire quidem adversantia testimonia dignatus est. Ernestius vero unius laceri fragmenti causa (Etym. M. s. v. ἄστυρον, ap. Bentl. frgm. XIX.) alius certissimi (ap. Schol. ad Soph. O. C. p. 280. frgm. XXI. Bentl.) auctoritatem infringit et Bentleii coniecturam ad frgm. XI. αἰτίων pro ἐπῶν ingeniose et paene necessario restituentis breviter reiicit. Obstat autem praeter ipsos hos locos Ovidii et Propertii ratio, quorum illum in Fastis Callimachum imitatum esse verisimillimum est (cf. Gierig. in prooem. Ovid. Fast. p. V. sqq.), hic autem, dum IV, 1, 69.:

Sacra, ait, *diesque canam et cognomina prisca locorum*,

Callimacho (v. 64.) et quidem versibus Callimachi (v. 62.) se aemulatum esse apertissime profitetur. Itaque recte eodem rettulerunt El. IV, 10. init.:

Nunc Iovis incipiam causas aperire Feretri —

et rursus v. 45.:

Nunc spolia in templo tria condita: causa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ense ducem —

quibus adde ceteras causas IV, 9. fin. 4, 93. 2, 10. 11. sq. 47. 50. Praeterea vix credo ambigi posse, quin quae variis titulis circumferuntur elegiaca Callimachi fragmenta, ad fabulas maxime antiquas et historias pertinentia (velut ap. Strabon. I, 2. p. 72. Tauchn.) ab ipso auctore αἰτίων volumine comprehensa fuerint. Nam Suidas, qui καταλογάδην adornasse opera sua Callimachum tradit, κτίσεις quidem νήσων καὶ πόλεων καὶ μετονομασίας περὶ τῶν ἐν Εὐρώπῃ ποταμῶν, Περὶ τῶν ἐν Πελοποννήσῳ καὶ Ἰταλίᾳ θαυμασίων καὶ παραδόξων inter scripta eius recenset, αἴτια, quorum maxima apud veteres fama erat, omittit. Quod profecto non fecisset, nisi quae modo rettulimus poemata ipsorum αἰτίων partes explessent. Nec vero Origines Graecae, modo Romanis Propertii similes fuerint, ut similes fuisse eas Propertius satis liquido asserit, κτίσεις et μετονομασίας („cognomina prisca locorum“) potuerunt non commemorare. Quod quia fragmentum a Strabone servatum et κτίσιν exhibet et μετονομασίαν; nam non modo de Argonautarum reditu referebat:

— ὡς ἥρωες ἀπ' Αἰήταο Κυταίου
Αὖθις ἐς ἀρχαίαν ἔπλεον Αἰμονίην —

sed de Colchis Iasonis persecutoribus:

Οἱ μὲν ἐπ' Ἰλλυρικοῖο πόρου σχάσαντες ἐρετμὰ
Λᾶα παρὰ ξανθῆς Ἁρμονίης ὄφιος
Ἄστυρον ἐκτίσαντο, τὸ μὲν Φυγάδων τις ἐνίσποι
Γραικὸς, ἀτὰρ κείνων γλῶσσ' ὀνόμηνε Πόλας.

Hoc igitur fragmentum, quo et causa urbium et cognomen priscum explicatur, quin ad *αἴτια* pertinuerit nullus dubito. Quod si veris argumentis collegimus, de metro res est confecta. Neque ego, hercle, etiamsi in hoc uno erraverim, causam intelligo, cur viri docti unius laciniae desperatae gratia ita pro hexametris pugnent, quasi argumento *αἰτίων* solis idoneis. Nam quibus tandem rationibus efficias, ut elegi his, quae in *κτίσεων* libro tractatae fuissent, historiis utiliora fuerint quam quae in *αἰτίων*? Verbum non amplius.

Iam vero ut breviter, quod tota hac disputatione efficitur, complectamur: ita Propertius secutus est Callimachum, ut in argumentis idem solum genus, libero alioquin iudicio, expeteret, in versibus autem et elocutione accuratius magistri exemplum effingeret. Quod cum in historicis certum sit, in elegia ea, quam amat, clarius etiam, puto, apparebit. Nam ubicunque Alexandrinorum in hoc genere exemplum iactat, caelatorum fere versuum laudem urget, velut III, 1. init.:

Callimachi Manes et Coi sacra Philetae, —
Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro cett. —

et mox:

Exactus tenui pumice versus eat —

(add. III, 3, 52. coll. vers. 16. IV, 6, 3. 4. coll. 5.; de variis enim allegoriis, quibus hic verborum proprietas celatur, cf. commentarios ad e. l. tum vero Quaestt. Cap. VI. s. fin. et dissertationem saepius citatam p. 4. 6. 7.) argumenta amatoria sic demum commemorat, quasi aliter quam cum metro molliori coniuncta ne cogitari quidem possint. Id quod eatenus valet, ut molli versu non tam durum opponat, quam ipsa argumenta epica, perinde ac si necessario haec sibi durum versum poscerent, velut supra:

Ah valeat, Phoebum quicunque moratur in armis:
Exactus tenui pumice versus eat —

et III, 2, 15.: quis te

Carminis heroi tangere iussit opus?
Non hinc ulla tibi speranda est fama, Properti.
Mollia sunt parvis prata terenda rotis —

idque haud dubie pronuntiat II, 1, 39.:

Sed neque Phlegraeos Iovis Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus,
Nec mea conveniunt duro praecordia versu
Caesaris in Phrygios condere nomen avos.

Quinimmo El. II, 1, 2., ubi:

Quaeritis, inquit, *unde mihi toties scribantur amores?*
Unde meus veniat mollis in ora liber? —

ita loquitur, quasi quicunque amet alio quam molli versu uti omnino non possit. Causam enim hanc protinus addit:

Non haec Calliope, non haec mihi dictat Apollo:
Ingenium nobis ipsa puella facit.

Cui loco si El. I, 9, 11. comparaveris:

Plus in amore valet Mimnermi versus Homero,
Carmina mansuetus lenia poscit Amor —

rursusque I, 7, 19.:

Et frustra cupies mollem componere versum,
Nec tibi subiiciet carmina serus Amor —

paene iam tibi colligere videaris, molli versu ubique distichum elegiacum significari, quod eo nomine heroi hexametri fortioribus utique numeris opponatur. Nam apud Hermesianactem quoque (Athen. XIII. p. 597.) Mimnermus invenisse dicitur ἡδὺν ἦχον καὶ μαλακοῦ πνεύμ᾽ ἀπὸ πενταμέτρου. Quibus cf., quae in capite primo huius Quaestt. libri de elegorum natura disputavimus. Sed obstat frequens et diserta Callimachi et Philetae commemoratio. Nam si id solum dicere voluisset, se elegis potius quam hexametris canere velle, satius erat (sicuti El. I, 9, 11. fecit) Mimnermum vel Callinum appellare, sive quis alius primus pentametri inventor perhibetur. Nunc superiorum locorum ratio satis aperit, exquisitius quoddam et teres et omnibus numeris exactum versuum genus eum expetere, quo soli illi Alexandrini excelluerint. Neque igitur ambiguum esse potest, quin a versuum compositione comparatio sit instituenda. Qua in re fortuna Callimachi carminibus satis alioquin maligna hoc certe permisit, ut quales in elegis condendis leges aut ipse sciens sibi scripserit, aut animi sui impetum secutus nescius observaverit, etiam nunc diiudicaremus. Nulla enim est idonea causa, cur eos elegiaci distichi numeros, quos in epigrammatis et hymno in Lavacra Palladis hodieque auribus nostris licet expendere, in elegia amatoria et in αἰτίοις multum variaverit. Nam Ovidius quidem et Propertius quamvis argumenti certe causa nonnulla in compositione versuum

semel placita mutaverint, potissimae tamen leges et quibus ingenii diversa ratio maxime exprimitur, per omnia pariter carmina pertinent. Praeterea Hermesianactis et Phanoclis et Alexandri Aetoli elegiarum fragmenta maiora et ea Anthologiae Graecae epigrammata, quae ab aequalibus Callimachi scripta argumento proxime ad elegias accedunt, versuum compositione ita sunt Callimacheis similia, ut hunc ipsum sibi in veris elegiis dissimiliorem fuisse inepta sit opinio. Et sane sunt quaedam in elegiacis illis, in quibus vestigia imitationis Propertii manifesta deprehendere videamur. Nam ne de vocibus in pentametri hemistichiis similiter desinentibus dicam, quorum in elegiacis Graecis, Alexandrinis inprimis, supra quingenta exempla Nic. Bachius collegit (historia critica poesis Graecorum elegiacae. Fuld. 1840. p. 17. sqq.), longiores quoque in pentametrorum clausulis voces, quibus inprimis mollem eius versus effici incessum superiore capite demonstravimus, quin Propertius unus omnium maxime Romanorum poetarum Callimachi exempla sectatus sit, non dubito. Certe in hymno in L. P. inter 71, quibus illud carmen conficitur, pentametros 57 inveniuntur clausulae duabus syllabis longiores, inter 119 autem epigrammatum versus adeo 94. Tres enim in hymno eo sex sunt syllabarum, 17 quinque, 15 quattuor, reliquae 21 trium. Ex epigrammatis autem ad primum genus pertinent 5, ad secundum 12, ad tertium 36; trium autem syllabarum, quae superant 41. Verum ab hac similitudine auspicatus, qui in reliqua etiam compositionis arte, quomodo inter Callimachum et Propertium convenerit, demonstrare se posse credat, magnopere errabit. Nam in temperatura quidem longarum et brevium ita differunt ut qui maxime; siquidem in universo hymno L. P., quem propter argumentum gravissimus decebat numerus, Propertianorum versuum pondus et auctoritas adeo desideratur, ut (quae gratissima Romano poetae est mixtura) quaternis spondeis binisque dactylis compositus hexameter unus omnino inveniatur, qui in quinto autem pede solo dactylum habeat, prorsus nullus. Contra, qui solis dactylis constant, a Propertio rarissime usurpati, in modico 71 versuum numero 9, qui vero unum saltem admixtum spondeum habent, triginta sex, hoc est plus quam dimidia pars; et quo magis exultantem numerum sentias, ea inter hos ipsos acceptissima est figura, cum spondeus pone πενθημιμερῆ positus ictu proximo obscuratur. Eius enim generis sunt undecim versus. Eadem autem in caesura diversitas. Nam cum apud Propertium legitima sit ea versus figura, quae in πενθημιμερεῖ fortissimam habet percussionem, infirmior illa κατὰ τρίτον τρο-

χαῖον, quae solutum efficit et veluti discinctum pedum incessum, per exceptionem modo, nec fere, nisi cum binis acrioribus coniuncta admittatur, haec eadem Callimacho adeo est accepta, ut non modo inter 119 epigrammatum versus nonagies obtineat, sed in ipsa hymni gravitate vicies septies compareat. Porro, cum hoc haud dubie a Graecis exemplis duxisse Propertium dixerimus, ut complexionem unam per plura disticha volveret, ita tamen hanc licentiam attemperare voluit, ut nunquam eam aut in medio versu subsistere, aut hexametro claudi permitteret, nisi cum obiectae necopinato sententiae pondus etiam numeris insolenter praeruptis de industria imitari vellet. Quod tamen Alexandrini, etiamsi nullis argumenti rationibus poscitur, pa[illegible]u sibi solent adeo indulgere, ut vel a medio pentametro orsam sententiam per hexametrum circumflexam in medio rursus pentametro includant. Neque id solum in Catulli elegiae Callimacheae interpretatione aut in fragmentis, quae ex elegiacis Graecis minorum gentium servata ad nostram aetatem pertinuerunt, observare licet, sed in ipso hoc nostro limatissimo Callimacho. Cf. h. L. P. 11. 17. 37. 39. 51. 59. 69. 81. 95. 105. 109. 115. Epigr. β′, 3. ε′, 3. ς′, 2. 3. ις′, 3. ιϑ′, 3. 5. κα′, 3. κγ′, 3. κη′, 3. κϑ′, 3. λγ′, 3. μη′, 3. νβ′, 3. 5. νγ′, 3. νη′, 3. νϑ′, 3. ο′, 3. οβ′, 3. Vides ingens compositionis discrimen in Graeco et Romano poeta. Quo tamen tantum abest, ut omnem ab hac parte communionem negandam et Propertium, quod absurdum esset, mendacii convictum esse existimem, ut hoc solum intelligam, Umbrum poetam servo isti imitatorum pecori esse eximendum, qui per singula magistrorum vestigia anxie incedentes nec dextra nec sinistra ab instituta semel via deflectere conentur, et dum maxime idem facere sibi videantur, minime facere se idem non sentiant. Propertius enim vidit, quid in utraque lingua commune, quid diversum esset, et plurima, quae Graecis probarentur, Latinis esse relinquenda. Nam Graecus sermo natura sua solutior adstricta orationis Romanae vincula spernit et necti leviter quam perplecti mavult. Hinc complexionum clausulae nec tam acriter aures feriunt, et quo magis sub continua orationis superficie delitescunt, eo minus versuum flumen inhibent, etiamsi transversae obiiciuntur. Cui naturae sensus semel assuetus lenioribus etiam caesuris acquiescit; masculam illam et vehementem post tertiam arsin percussionem, Romanorum auribus inprimis gratam, si saepius repetatur, ne toleraverit quidem. Praeterea Graeca lingua multo maiorem quam Latina syllabarum brevium numerum continet, ut si singuli ex utraque gente poetae eandem versibus suis temperaturam adhibeant,

quoniam quotidiani sermonis natura tamquam iusto modulo utriusque usum metiamur, Graecus semper tardior, Romanus properantior multo videatur. Iam igitur quid diversae linguarum naturae dandum fuerit, apparet. Sed Propertius hoc quoque vidit amplius, quod caecos istos imitatores saepissime fugit, non omnia quae forte in exemplis suis admiraretur, suo ingenio esse apta neque recte innatam naturae suae gravitatem et nescio quem illius, de qua diximus, moestitiae colorem exultanti Graecorum levitate adulterari. Hinc differentiae origo, hinc vero etiam similitudinis. Similitudo enim non modo superioribus illis observationibus apparet, sed magis etiam emendandi cura cernitur, quae cum nihil hiulci, nihil confragosi in verborum contextu relinquat, eam efficit enucleatam versuum puritatem, ut per laeve severos

Effundat iunctura ungues.

Hanc autem sollertiam, ut sine modo usurpata surgentem spiritum non raro premat, intra iustos tamen fines cohibitam, ad consummandam poetae artem necessariam esse, confitendum est. Quos fines num Alexandrini semper servaverint, nunc non potest explorari, neque hercle quidem ego, ut verum fatear, ex animi mei sententia ausim affirmare. De Propertio vero quid sentiam, superiore capite satis est expositum. Haec de compositione. De reliqua autem eloquendi arte multo difficilius est iudicium. Hymnorum enim fucata tabes quanto intervallo Propertii ubertati distet, supra indicavimus. Epigrammatum vero, quorum omnis laus in acumine, acumen vero in ipsa brevitate positum est, angustiores sunt fines, quam quibus ingenii ubertas satis possit explicari. Itaque frustra fuerit, qui ab eorum comparatione nimis ad illustranda nostra carmina profecturum se esse speret. Sed quantum vel ex his vel ex aequalium poetarum reliquiis, qui nunc nobis principum illorum vices sustinere debent, coniicimus, tantum est, ut Propertius ea eloquendi parte, quae cum grammaticis normis artius continetur, paucissima, nec fere quidquam videatur ab Alexandrinis deprompsisse, quin iam communi antiquiorum Graeciae poetarum usu esset probatum; plura vero in metonymia et enallage, quamvis in utroque genere multo cum audentior tum vero etiam felicior magistris suis. Omnium vero plurima in similium usu et in metaphora iis debet. Nam ab hoc primum tempore tralatitia quaedam similia hereditario quasi iure in omnem aetatem ita propagata sunt, ut poeticae dictionis veluti quidam thesaurus efficeretur. Quo quamvis inferiores poetae omnes tam frequenter sint usi, ut multa etiam

per vulgus dissipata mox passim usurpari coepta adeo increbescerent, ut vel quotidianus loquendi usus sensim a pristina proprietate deflecteret: nemo tamen Romanorum avidius inde hausit, quam hic noster Propertius. Nam paucissimi admodum loci sunt, qui quidem metaphoram continent, quin Graecis exemplis et potissimum Alexandrinorum apte illustrari possint. Nec modo in singulis verbis et locutionibus se continuit, sed interdum totos versus totaque disticha effinxit. Cuius generis nobilissimum exemplum III, 13, 43—46., quibus Graeca Leonidae Tarentini paene ad verba interpretatus est (Anth. Pal. IX, 337. p. 413.). Sed haec ut ex parte iam ad argumenta potius quam ad elocutionem pertinent, ita, quoniam unaquaeque metaphora propriam suam habet interpretationem, coniunctim ea tractare nullius esset commodi, ne interpretatio singulorum carminum frustra in diversos locos distracta molestiam lectori faceret, neve repetitis sine causa Propertii versibus volumen huius libri foede tumesceret, Graeca suis quibusque locis seorsim subiicere satius duximus. Eadem autem Graecarum fabularum ratio, quarum notitiam per carmina passim dispersam quin Alexandrinis maxime acceptam referat, iam Cap. IV. dubitari vetuimus. Eadem *ἀντονομασιῶν*, quarum originem et virtutem proximo capite exposuimus. Unde cum satis appareat, cur hac figura, quo quis sit doctior, eo libentius sit usurus: Callimachum omnium doctissimum non raro taedii fuga in contrarium obscuritatis vitium incidisse, non iniuria suspicamur. Quamvis enim ex Ibide illa, interpretum cruce, elegiae nullo modo possint existimari, tamen proclivem certe ad id genus Callimachum fuisse hoc quoque carmen docet. Neque vero tenebricosum illud, quod nimis saepe Cyrenaeo exprobratur, solis glossis imputandum esse, vel quae hodie leguntur reliquiae demonstrant, quamvis multo minus ipsis elegiis illi generi sint idoneae. Cf. Catull. eleg. Callimach. v. 43. sq. 52. sq. 57. Call. 4. Iov. 41. 46. h. Apoll. 22. sqq. 69. 70. 91. h. Dian. 173. 209. sq. 235. sq. h. Del. 20. 41. 50. 101. sq. 118. 161. 271. h. L. P. 25. 34. Haec igitur vestigia illae *νυκτῶν φροντίδες ἐσπέριαι* reliquerunt, quae modo parca fuerint, in Alexandrinis studiorum ratione recte excusari possint. Neque aliter in Propertio, quem non ubique contra obscuritatis culpam defendi posse aeque concesserim. Haec ad elocutionem. In argumentis vero ipsis vel inveniendis vel adornandis num in universum solum genus amatorium secutus, ceteroquin, prout vitae rationes et ingenii vena suaderent, liberiorem viam instituerit, an singulorum etiam carminum materiem certis exemplis accommodaverit,

nunc quidem in tanta Graecorum poematum iactura difficillimum est ad diiudicandum. Quamquam, quae certiore coniectura assequi licet, haec fere sunt. Primum quod amicae nomine librum inscripsit, in hoc certe antiquos auctores habuit. Sic enim iam Mimnermus Nannus nomen immortale voluit esse, sic Callimachus Lydae, Leontii Hermesianax. Ac Mimnermum quidem quamvis eo libro et amicam ipsam et amores suos celebrasse constet (cf. Athen. XII, 597. a. Hermes. ibid. v. 37—40.), tamen quin idem alia quoque argumenta admiscuerit, reliquiae ab Athenaeo (XI, 39. p. 470. a.) et Strabone (XIV. p. 633. b. cf. Stob. Floril. VII, 12. p. 87.) servatae (nam de eius elegiae ratione, quam in pugnam Smyrnaeam composuit, non satis constat, cf. Pausan. IX, 29. p. 766. Schol. Pindar. Nemm. III, 16.) dubitari vetant. Illic enim Solem scypho subter terris ab occasu ad orientem noctu navigasse narrat, hic Colophonis origines et priscas historias canit. Sed num continuis versibus perscriptus liber amatoria quidem poetae fata tamquam summam continuerit, ita tamen, ut, si animus ferret, ad tales locos, quales modo commemoravimus, liberius deverteretur, mox ad relictam viam rediturus (id quod quis coniiciat ex frgm. ap. Strabon. I. p. 127. frgm. X. Bachii), an in plura carmina divisus a potioribus solum nomen invenerit, sicuti in Propertii libro primo (de hoc enim nunc maxime agitur) complures elegiae extant nequaquam ad poetae amores pertinentes, nedum ad Cynthiae nomen — haec quidem nunc diiudicare non amplius licet. Nam tertia quoque ratio restat, ut diviso per plura carmina libro, quae omnia in celebranda Nanno versarentur, his ipsis evenerit, quod priore loco de toto opere hariolati sumus. Sic enim Propertius El. I, 20. post lentam de Hylae fatis expositionem tandem vss. extr. ad Gallum suum, quem initio appellaverat, redit, sic El. III, 15. Antiopae fabula Cynthiam hortatur, sic El. III, 11, 28—72. in pugnae Actiacae descriptionem et Augusti sui laudes excurrit. De Antimachi Lyde certius constat. Haec enim quam diversa a Propertii ratione fuerit, unius Plutarchi testimonio satis possit declarari, qui Consolat. Apollon. p. 106. B.: *Ἐχρήσατο δὲ*, inquit, *τοιαύτῃ ἀγωγῇ καὶ Ἀντίμαχος ὁ ποιητής· ἀποθανούσης γὰρ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Λύδης πρὸς ἣν φιλοστόργως εἶχε, παραμύθιον τῆς λύπης αὐτῷ ἐποίησε τὴν ἐλεγείαν τὴν καλουμένην Λύδην ἐξαριθμησάμενος τὰς ἡρωϊκὰς συμφορὰς τοῖς ἀλλοτρίοις κακοῖς ἐλάττω τὴν ἑαυτοῦ ποιῶν λύπην.* Vides mortua amica in solatium acerbi casus perpetua scriptura conditum poema, quod

cum Lyda nihil fere praeter nomen commune habuisse videatur, aliena fata exponens et argumento epicis multo quam lyricis rationibus propius. Huic si initia librorum et metrum diversum detraxeris, Ἠοίας potius Hesiodi aut certe Alexandri Apollinem et Phanoclis Ἔρωτας comparaveris quam Romanorum elegiacorum quemlibet. Neque igitur ullo modo nobis in Iacobsii viri summi sententiam licet abire, qui ad Asclepiadis epigr. XXXVI. (Anall. Brunck. I, 219. Anth. Graec. I. p. 215. Animadvv. ad Anth. Gr. T. VII. p. 55.) Lyden — ut a Propertio Cynthiam, elegiarum collectione, Lydes nomine inscripta celebratam esse ait. Probabilior primum intuenti Naekii sententia, qui (Choeril. Sam. p. 73.) Antimachi Lyden eandem fere in elegiam vim exercuisse censet, quam Thebais in epicam poesin habuerit. Illum primum antiquam elegiae simplicitatem a Callino, Mimnermo, Tyrtaeo praescriptam temerasse et, quamvis iniquius Callimachus de eo carmine iudicasset, nihilo minus certum esse illius virtutes, sive malis vitia, in Callimachi et Philetae elegia passim, ne dicam perpetuo occurrisse. Hanc autem sententiam ut firmet, Hermesianactis Leontion affert, quod solum carmen cum Lyde omnibus conditionibus comparari possit. At, nisi egregie fallor, nimis diversa fuit utriusque ratio. Nam ut primum de longiore illo fragmento dicam, quod inprimis significasse Naekium credo, ita illud comparatum est, ut per se integrum efficere carmen nequaquam potuerit. Quodsi Athenaeus disertis verbis eum esse indicem ait amorum, quos Hermesianax in tertio libro recensuerit — ἔγραψεν ἐλεγειακὰ τρία βιβλία, ὧν ἐν τῷ τρίτῳ κατάλογον ποιεῖται ἐρωτικῶν οὑτωσί πως λέγων — ut doctorum solum virorum, poetarum et philosophorum amores illis enumeraverit, sequitur. Quid igitur magis consentaneum, quam Philetam vel amico vel fortasse ipsi Leontio, quae sibi amatoriis vinculis irretito artem et gravitatem vitae exprobraret, exemplis virorum et doctrina et arte excellentium se excusasse. Quo nomine recte hanc particulam cum eleg. Propertii II, 34, 61—72. contuleris, quibus ille poetarum Latinorum, qui quidem res amatorias tractarunt, censum instituit, haud ita diversa ni fallor ab Hermesianacte causa. Cui loco si alios similes addideris, quibus vel suas vel aliorum agendi rationes pluribus continuo exemplis illustrat, longitudine magis quam genere expositionis utrumque differre facile sentias. Cf. inprimis artificum catalogum III, 9, 9—18. et impotentiae muliebris exempla III, 11, 9—72., ubi in fine poetam adeo initii paene oblitum videri supra docuimus. At Propertius plerumque certe

ambages recidit, exempla aliena suis affectibus temperat, argumenta et causas variat. Audio: verum nec omnia Hermesianactis servata sunt, neque nunc ingenia poetarum expendimus sed poematum rationem. Quare ne illud quidem nobis obiici potest, quod a Parthenio (Erott. c. 5. Bach. frgm. Hermes. p. 180. c. 22. Bach. l. l. p. 184.) et Antonio Liberali (Metam. 39. Bach. l. l. p. 113.) et Pausania (VII, 17, 5. Bach. l. l. p. 182, 183.) explicita nimis historiarum argumenta ex Leontio referuntur. Nam nullum eorum est, quin aptissime clausulam talem recipiat, quales in Propertio quoque post longiores narrationes deprehendimus, ut:

His — tuos monitis servabis amores
Formosum nymphis credere visus Hylan —

vel:

Quodsi tu Graias, tuque es mirata Latinas,
Semper vive meo libera iudicio —

vel:

Inferior multo cum sim vel matre vel armis,
Mirum si de me iure triumphat amor? cett.

Quamquam rariora haec utique in Propertio, frequentiora fortasse in Hermesianacte fuerunt. Paullo autem diutius in hac quaestione commorati sumus, tum quod Hermesianactis exemplo Callimachi quoque et Philetae ratio optime declaratur, tum quod error iste tam alte sedit, ut Bachius, quoniam Herodiano teste (περὶ μονήρ. λέξ. p. 16. ed. Dindf.) hic versus in Λεοντίου α' legitur:

Λερκόμενος πρὸς κῦμα, μόνη δέ οἱ ἐφλέγετο γλήν —

propter unum Polyphemum reliquos omnes locos, quibus Hermesianax pastorum amores commemorasset, ad primum illum librum reiiciendos esse censeret (p. 99. p. 112.).

Nec dissimilis eiusdem in Philetae Bittide error: Βιττίδα enim non Battida verum nominis formam esse non modo emendatiora Athenaei exemplaria docent, sed cognominis etiam mulieris appellatio apud Antipatr. Sidon. Anall. Br. T. II. p. 31. ep. 89. 5. Anth. Gr. II. p. 32. Anth. Pal. p. 271., tum cognatum nomen Βιττώ passim obvium, cf. Anall. Br. I, 215. II, 18. III, 173. Hoc igitur nomine Bachius (Phil. Coi rell. p. 15.) Philetam elegias suas inscripsisse coniicit testibus adhibitis Ovidio et Hermesianacte, et cum nullum ab antiquis ex eo libro versum citari iure suo miretur, ut omnia quae diversis titulis insignita reperiantur fragmenta elegiaca ad varia duntaxat eiusdem Bittidis capita pertinuerint hariolatur. Hoc igitur quasi corpore Λήμητρα, Ἑρμῆν, Παίγνια, Ἐπιγράμματα comprehensa fuisse. At eodem iure aliquis

Ovidii Fastos vel Callimachi epigrammata elegiis eorundem poetarum adnumeraverit, vel etiam maiore. Nam Hermes certe ille, qui si Stobaeo fides (Ecll. Physs. V, 4. p. 156.) variis metris conscripta carmina continuit (cf. Heeren. in Commentat. de Fontibus Eclogarum Stob. p. 157. Bach. l. l. 29.), elegiarum particula esse nequaquam potuit. At ne id quidem, quod passim video viros doctos affirmare, ut Bittidi elegias suas aut omnes aut saltem aliquem librum Philetas inscripserit, ex Ovidii et Hermesianactis verbis efficitur. Hic enim cum Coum poetam tantum dicat *Βιττίδα μολπάζοντα θοὴν*, eodem iure ex v. 48. Alcaei carmina Sappho appellata fuisse coniicias, vel ex Propert. II, 34, 88. 25, 4. Ovid. ex Pont. II, 427. sqq. Catulli Lesbiam. Cf. praeterea quae Lib. III. Cap. II. V. f. de Propertii Cynthia ipsa scripsimus. Minoris etiam momenti Ovidii sunt versus Tristt. I, 6, 1. sqq.:

Nec tantum Clario Lyde dilecta poetae,
Nec tantum Coo Bittis amata suo est,
Pectoribus quantum tu nostris uxor inhaeres —

et ex Ponto III, 1, 57.:

Nec te nesciri patitur mea pagina, qua non
Inferius Coa Bittide nomen habes.

Nam ne iterum ad Catulli Lesbiam provocemus, quidni ocius, si haec valeat ratiocinatio, pro Tristibus et Epistolis Ovidii Uxoris nomen in titulo rescribimus? At illud ne comparet quidem. Rectius igitur Philetam dixeris celebrasse quidem elegiis Bittidem suam, nec tamen inde carminibus nomen tribuisse. Quibus si quae ex servatis titulis inscriptio sit quaerenda, nulla alia erit nisi *παιγνίων*. Haec enim iocosa carmina interpretantem Kayserum (Phil. Coi rell. p. 29.) merito refellit Iacobs. (ad Anth. Br. I, 189. IV. Animadvv. ad Anth. Gr. T. VI. p. 388. sqq.) Simmiae exemplo, cuius carmina, in quibus nihil est iocosi, recte tamen Hephaestio (Enchir. p. 65. ed. Paris.) *παίγνια* appellet. Potuit idem ipsius Philetae testimonio defungi, cuius fragmentum *παιγνίων* a Stobaeo servatum CXXIV, 10. p. 617. flebile potius aliquid sapit et moestum quam ioca et lasciviam. Apte enim in illud iam contulerunt Prop. I, 17, 19. sqq. Add. I, 19. init. II, 13, 41. Sunt igitur lusus poetici, qui et argumento et versibus leviores epici et tragici carminis gravitati eo nomine opponuntur (cf. comm. Prop. II, 34, 85.): nugas Catullus dixerit. Talibus autem argumentis omnes relliquiae, quas *ἐξ ἀδήλων εἰδῶν* Bachius inde a p. 47. collegit, inter elegiaca autem fuisse metrum prodit, bene po-

tuerunt accommodari. Neque enim ullus in iis extat versus, quin, quantum quidem ex tam parvis laciniis coniici licet, unum aut alterum elegiarum amatoriarum locum decere potuerit. Propertii vero nostri admonemur frgm. 6. (Strab. VIII, 5. p. 346. coll. Prop. El. III, 6, 15. IV, 7, 41.) 17. (Schol. ad Theocr. VII, 6. coll. Prop. II, 19, 25. 30, 26.) 9. (Athen. V, 20. p. 192. E. coll. Prop. I, 14, 5. sq. III, 13, 37.). *Παίγνια* igitur Philetae, quamvis nomine amicae non dicta, tamen et argumento et carminum distributione Propertii Cynthiae ut simillima fuerint, recte colligere nobis videmur. Restat ut de Callimacho dicamus, cuius elegias Cydippes nomine inscriptas fuisse, quod properantius olim Bachio (Phil. C. rell. p. 16.) obsecuti in limine commentariorum ad Prop. interpret. Germ. scripsimus, nunc paene pudet. Eandem enim hanc Cydippen fuisse, cuius ab Acontio amatae fabulam Aristaenetus et duabus heroidibus poeta, qui Ovidii sub persona latet, persecutus est, fragmentum ab Aristaeneto servatum (Bentl. CII.) satis potuit docere. Egregie enim illic Britannorum doctissimus pro *ἀκόντιον*, quod vulgo iaculum interpretabantur, amatoris nomen *Ἀκόντιον* restituit. Idem autem rectissime fecit, quod (ad CI.) Cydippen ut poemation ab elegis distinctum recensuit. Neque enim Ernestius aut Valckenarius (in Elegiaca Call. p. 210.) nobis persuadent, ad elegiarum librum id pertinuisse. Nam cum singulari Cydippes nomine a veteribus citetur, ut fabulam illam non exempli loco intextam carmini habuerit, sed ut de industria eam tractaverit, sequitur. Utut igitur ad elegiaca pertinuit, i. e. ad ea carmina, quae distichis sunt perscripta elegiacis, numero tamen elegiarum, quae ipsius poetae affectus continent, eximenda erit. Quamquam posse eam maiori elegiarum collectioni tanquam accessionem adiectam fuisse eodem modo, quo in extremo Prop. libro quaedam ex Causis Romanis recepta legimus — quis neget? Sed nunc de elegia, quae proprie dicitur, agimus. Hac utrum unam amicam celebraverit, an plures, an, quod ex epigrammatis coniicias (Ep. XXIII. XXX. XXXII. XXXIV. XLVI. XLVII. LVI.) etiam pueros, non liquet; inscripsisse autem eum carmina, sive unum sive plures libros efficiebant, certae puellae, illud veri est dissimillimum. Nunquam enim tali nomine citata inveniuntur fragmenta. Illud vero pro ingenii eius natura, quale supra fuisse coniecimus, maxime mireris, quod et hic et in epigrammatis amatoriis parca admodum inveniuntur eius doctrinae vestigia, quae in fabulis versatur (velut CXXVI. CLXXXVIII.); nullum vero, quod integras historias eo, quo apud Philetam vidimus, modo

intextas fuisse argumentis declaret: contra plurima, quae non modo ipsum poetam sua persona loquentem exhibent, sed vere elegiaci aliquid spirant. Omnia denique ita comparata, ut in quavis elegia decenter sedere potuerint. Ergo etiam similiora huius quam Philetae carmina Propertianis fuisse dicas. Quin aliqua tam simplicia, ut cum Tibullo merito possint comparari (velut frgm. I. ap. Valcken. et Tibull. El. I, 4, 80. frgm. II. Tib. I, 8, 51.), plura vero ubi Propertii meminerimus, ut frgm. Bentl. LXVII. coll. Prop. I, 9. fin. CI. coll. I, 18, 23. CVI. coll. Prop. III, 2. extr., qui loci etiam dispositione versuum sunt similes. Fragmentum autem Bentl. CXI. ad carmen videtur pertinuisse ita Propertiano III, 7. satis simile, cf. comm. ad e. l. Possis tamen etiam recte comparare I, 8, 5. 17, 2. et CXXVI. Prop. I, 8, 18. sqq. frgm. CXXVIII. Prop. III, 13, 39. sqq. CXXXIII. El. III, 5, 7. Elocutio non ita procul abest ab ea gracilitate, quam in epigrammatis observavimus. Nam quod rariora passim et obsoleta verba deprehendimus, hoc in fragmentis, quae cummaxime solarum glossarum causa a grammaticis sunt servata, iniuria mireris. Quamquam plurima horum non ita comparavimus, quasi alteri loci ex alteris expressi sint, sed ut similis duntaxat appareat dictorum quodammodo animus, cognata sententia. Laetior tamen non raro a metaphoris oratio, quarum nonnullae admodum suaves (CCLXXIII. CCLXXIX. CCCCXX.), una sola, quam non imitaturum fuisse Propertium confidentius dicam CXXI. Bentl. XIII. Valcken. de Gratiis:

Ἕλλατε, νῦν δ' ἐλέγοισιν ἐνιψήσασθε λιπώσας — χεῖρας.

At hic iam manum de tabula, ne plus hariolationibus quam certis argumentis dedisse videamur. Haec enim sunt, quae ad comparandam Propertii et Alexandrinorum artem dicere habuimus, omnia.

Quaestionum Propertianarum

Liber tertius.

Caput I.

De integritate operum Propertianorum.

Etiam libris sua fata esse, nemo nunc miratur, ex quo in proverbium illud dictum abiit. Hoc tamen fortasse admirabilius (est enim certe singularius), Propertianos libros, quod fatorum iniuriis non satis vexati esse viris doctis viderentur, eam ipsam ob causam novis fatis succubuisse. Neque enim unquam, credo, Ios. Scaliger ordinem horum carminum turbasset, nisi Alexandri ab Alexandro narratiunculam secutus omnia Propertii exemplaria ex uno eoque depravatissimo codice fluxisse existimasset, neque ipse Lachmannus tantum in dissecandis libris et elegiis ingenio suo indulsisset, nisi ille litteratorum Alcides tam nobile ipsi exemplum praeivisset. Atqui hoc fonte derivata clades —. Verum de singulis infra. Hic illud solum admonere operae pretium videtur, ipsum Nobbium, qui satis validis, quae contra eam fabulam Cap. V. exponemus, argumentis obnitendum esse existimaverit, tamen quaedam adstruere, quae ad hanc, quam iam tractaturi sumus quaestionem, non prorsus sint inutilia. Ille enim (Specim. Obss. p. 12.) cum ingeniosum in ea re videat fortunae lusum, quod Amor Bacchi, Propertii carmina doliorum vinariorum hospitio comiter excepta et posteritati sint servata, tamen cum id certe probabile reddiderit, multo facilius exteriores quam interiores antiqui voluminis paginas situ confici potuisse, hos etiam, quibus Alexander magis amicus est quam veritas, in mediis libris digerendis saevitiam suam fictis auctoritatibus in vanum excusaturos esse docuit. Iam vero ad ea argumenta respondendum, quibus Lachmannus (Praef. ed. Lips.), ut dilaceratum iam antiquitus librum secundum in duo volumina digereret, adductum se esse asseverat.

Primum enim, ut bonam partem operum Propertianorum aetate interceptam esse doceat, Ovidii versus profert (Praef. p. XXI.), qui Trist. II, 461. haec de Tibullo habet:

Multaque dat talis furti praecepta docetque,
Qua nuptae possint fallere ab arte virum;
Nec fuit hoc illi fraudi, legiturque Tibullus
Et placet, et iam te principe notus erat.

Iam vero de Propertio haec addit:

Invenies eadem blandi praecepta Properti,
Districtus minima nec tamen ille nota.

Talia igitur praecepta, quoniam nulla in Propertii libris, qui quidem nunc extant, usquam inveniantur, ut plurima deperdita sint, colligit. Verum accuratius Ovidii locum considerantibus nihil aliud poetam velle apparebit, nisi ut, quo facilius lasciva sua carmina excuset, in omnibus vel severissimis epicorum et tragicorum poetarum operibus multa occurrere doceat, quibus, si qua puella voluerit, alere possit impudicitiam. Neque tamen idcirco quemquam aut Homerum patrem aut sanctum Menandrum perditorum morum accusaturum esse. Hoc idem in ipsis amatorii carminis auctoribus valere docet, singulosque deinceps, qui ante suam aetatem hoc genere laudem assecuti sint, enumerat. Longius in exponendis Tibulli scriptis commoratur, ut qui suo generi proximus disertis verbis passim praecepta dederit, quibus nupta fallere possit virum. Paucis absolvit Propertium, in quo eadem inveniri praecepta ait. Quid igitur? Nonne omnia Propertii volumina, in quae iis abuti velit mulier nupta, talia continere praecepta dicamus? Quid enim de praetore dicam (I, 8.), quem ut stolidum pleno vellere pecus Cynthia carpere iubetur (II, 16.), quid de elusis custodibus (II, 23, 4.), quid de Cynthia fune in amantis amplexus furtim delapsa (II, 7, 17.), de mille excubiis et liminibus frustra obsignatis (IV, 1, 146.)? Nonne talia exempla efficaciora sunt praeceptis, quae doctae expositionis traduntur ambitu, praesertim cum suo exemplo similes amantes docere se velle Propertius toties profiteatur? (Cf. L. II. Cap. IV. adde El. III, 3, 47. sqq.). At ne vera quidem, quae ratione et via exponuntur, praecepta desunt. Adspice modo, sis, doctam illam lenam, quae (El. IV, 5, 21—60.) omnes fallaces istas artes in compendium redactas de pulpito quasi prodocet, non vagarum solum puellarum sectatoribus, verum etiam maritis nocitura. Quae si ipse Propertius multum abest ut probet: nihil hoc ad rem. Nam hoc illud est, quod Ovidius dicere voluit, ex scriptis falso mentem poetae diiudicari. Egregie autem iterum hic hallucinatur Nobbius (l. l. p. 39.), qui ut Lachmannum refutet, corrupto utitur El. II, 34, 83. testimonio. Illic enim Propertius non de se loquitur, sed de

Virgilio, nec amoris praecepta commemorat, sed agriculturae. Nam

Tu canis, inquit, *Ascraei veteris praecepta poetae,*
Quo seges in campo, quo viret uva iugo.

Novum argumentum Lachmannus ex Fulgentii grammatici testimonio repetit, qui in libello de prisco sermone n. 34. sub v. Dividia versum habet, quem nostra exemplaria non agnoscunt:

Dividias mentis conficit omnis amor.

Sed Fulgentii auctoritati quantum tribuendum sit, hoc docet, quod s. v. catillare n. 22. verba haec: „Catillata geris vadimonia, publicum prostibulum", quae manifesto alius scriptoris sunt, eidem assignat Propertio. Neque pluris faciendus est Servii locus, quem cum ad Virg. Ecl. V, 21. verba haec: „testes sunt sidera nobis" ut Propertiana citat, memoria paululum lapsum El. II, 9, 41. ante oculos habuisse patet. Servius enim, si modo Servii sunt verba nec recentissimi interpolatoris, quae in optimis membranis non compareant: is igitur, qui Servii nomine venit interpres Virgilianus, quam ipse suae memoriae fidem habeat, confitetur ad Georg. I, 19.: „uncique puer monstrator aratri" — ubi: Alii, inquit, Triptolemum, alii Osirin volunt, quod magis verum est, ut dicit Propertius vel Tibullus. Tibulli enim locum El. I, 7, 29. intelligendum esse ipse Lachmannus vidit.

Istis igitur causis antiqua Propertii exemplaria plura continuisse carmina, quam quae ad nostra tempora pertinuerint, nequaquam evincitur.

Caput II.

De perturbato libri secundi statu.

Maiores utique turbas movet notus ille locus Propertii, II, 13, 25., quo pro gravissimo sententiae suae firmamento Lachmannus (p. XXII.) iure utitur:

Sat mea, sat magna est, si tres sint pompa libelli,
Quos ego Persephonae maxima dona feram.

Quem versum, quamquam libro tertio aut absoluto aut certe scribi coepto compositum se esse ipse testatur, in libro secundo inveniri, quis est quin iure miratus sit? Itaque alii locum sanum coniecturis tentarunt, et Heinsius quidem audacissimo conatu satis elumbem versum procudit:

Magna satis, duo tresve mei sint pompa libelli —

aliis, ut Broukhusio et Burmanno ex libro tertio ista huc tracta visa sunt: alii cautiores interpretationibus subvenire instituerunt. Etenim Vulpius non Propertii, sed Mimnermi, Callimachi, Philetae libellos intelligi voluit, cui inconcinnae interpretationi quod ipse Burmannus postea obsecutus sit, Lachmannus iure indignatur. Paldamus autem (de Eroticc. Romm. p. 71.) nescio quo modo Scaligeri verbis nihil certi hic affirmantis (Castigg. in Propert. p. 192.) in suum usum conversis Propertium id solum velle ait, ut tantum sibi temporis restet, quo possit tres libros componere; id quod a concitatissimo huius loci affectu et ab instantis quasi et iam praesentis funeris descriptione alienissimum esse patet. Non enim differri mortem cupit, sed quandocunque advenerit (v. 17.), tres libros se sequi. Rursus autem in Lachmanni sententiam pedibus transimus, cum absurde poetam acturum fuisse iudicat, si, id quod Barthius voluit (Vit. Prop. p. LXXXIII.), coniunctos cum libros II. et III. ederet, hoc carmen, in quo trium librorum mentio aperte fieret, nulla quidem necessitate coactus secundo inseruisset. Sed novum et plane inauditum Nobbii commentum est (l. l. p. 35. sqq.), qui ita equuleo quasi quodam hunc locum distorquet, ut libellis non amplius libellos, tribus non tres significari iubeat. Quamquam libellos etiam minoris ambitus libellos appellari, hoc quidem nemo illi eripiet. At si distinctus et definitus numerus adiiciatur, tres libros tria volumina significare certum est. „At tres", inquit, „sunt pauci. Hoc et Vulpius demonstravit ad eum locum et comicorum testimonia identidem demonstrant. Sic Plautus Mil. Glor. IV, 2, 26.: tribus verbis; Trin. IV, 2, 121.: te tribus verbis volo." Quasi vero idem esset usus vocis alicuius in certa dicendi formula, qualis sunt illa tria verba, idem omnibus aliis locis. Tribus verbis significari pauca verba, proverbiali quodam dicendi genere, usus docet communis: tribus libris paucos libros, nequaquam docet. At negat ille. Testem enim satis locupletem in medium producit Valerium Catullum. Sed hic quidem circumspectione opus est. Quomodo enim Nobbius testibus suis abutatur candidosque veterum scriptorum animos ius peierare invitos cogat, iam bis edocti novimus (cf. L. I. Cap. V. p. 23. L. III. Cap. I.). Quid autem hic Catullus? (I, 5.)

Cum ausus es, ait, *Corneli*, *unus Italorum*
Omne aevum tribus explicare chartis.

En igitur iterum illud: ἦ γλῶσσ' ὁμώμοχ' —. Etenim in hoc testimonio taxando Scaligeri ad hunc locum adnotata

(Castigg. in Catull. p. 5.) excripsisse satis duco. Hic enim: „Dupliciter", inquit, „peccant docti viri in huius loci enarratione, primum cum Annales Nepotis intelligunt, quorum cum Grammatici decimum quintum citent, non efficient, id quod volunt, nempe illud tribus chartis esse breviter, uti ipsi exponunt. Alter error cum tribus chartis, ut iam monui pro breviter accipiunt — — —. At tribus chartis, quod dixit, paene pueri ipsi explicaverint tribus libris. Ita Q. Serenus:

Tertia namque Titi simul et centesima Livi
Charta.

An censes aliud, quam centesimum tertium librum indicari? Quare doctis viris, qui id proverbialiter interpretantur, per me quidem tacere licet." Haec Scaliger. Illis vero argumentis, quibus tres istos libellos nisi de tribus carminum voluminibus intelligi non posse efficiatur, si hoc addideris, quod incongrua quaedam in medio libro secundo offendi carmina, negare non possumus (cf. de Dispositione Quu. L. II. Cap. V.), satis probabilis fieri videtur Lachmanni coniectura. At, ne inconsiderate illi obsequamur, parumper antea dispiciendum erit. Primum enim non tam misera est huius libri conditio, quam Lachmanno videtur. Multis enim locis interpretatione subveniri, multis omnem elevari difficultatem, si poematia plura integra quidem per se, sed ad eandem occasionem ita pertinentia, ut facile in unum ambitum continuarentur, interstitio seiuncta iterum componeremus, L. II. Cap. V. docuimus. Plurimum autem officit coniecturae Lachmanni nexus ille internus nati modo et crescentis, vegeti deinde et fluctuantis, deficientis denique et extincti amoris, quem et nos Lib. I. Cap. extr. exposuisse nobis videmur, et cui tripartitum voluminum numerum egregie accommodari Paldamus recte monet (l. l. p. 72.). Obest praeterea El. II, 24, 1. 2.:

Tu loqueris, cum sis iam noto fabula libro,
Et tua sit toto Cynthia lecta foro.

Quae post duos libros editos profecto non scripsisset. Quamquam hunc scrupulum ita tollere studet Lachmannus, ut secundum et tertium suae recensionis librum simul editos dicat. Sed utut est, denuo semper subit et ad defendendam Lachmanni sententiam resurgit cum versus iste toties debellatus, tum vulnera nonnullorum carminum hiantia, quibus nisi ferrum et ignem adhibueris, nullum restare sarciendi remedium confitendum est. Novam igitur instituere placet viam, salebrosam fortasse ipsa novitate, nec nisi causis antea prudenter

exploratis ingrediendam, ad cuius finem iam in prooemio interpretationis Germanicae p. 15. digitum intendimus.

Primum enim hoc certum est et extra omnem dubitationis aleam positum, extremum librum non a poeta ipso superstite, sed opus postumum ab amicis, aut quibus aliis hoc munus obtigerit, in lucem editum esse. In hoc uno consentiunt, qui de ea re dixerunt omnes: Barthius Vit. Prop. p. LXXXIII. Lachmann. ad El. V, 1. inscript. Paldam. Epist. dedicat. in Propert. p. XI., idem de Erott. Romm. p. 70. n. 99. Weichert. de Hostio poeta, n. 5. Etenim tam diversorum generum et temporum scripta continet, quam nullus reliquorum, inter quae etiam eae servatae sunt studiorum primitiae, quas ipsum poetam postea improbasse complures testantur loci (cf. Quaestt. L. I. Cap. V. VI. L. II. Cap. II. p. 55. Cap. VII.). Nam, quae Nobbius de quadrisyllabis versuum terminationibus protulit, ut contrarium demonstraret, has meras esse nugas, ex Lib. II. Cap. VI. §§phis extremis satis apparuerit. Moesto enim et flebili generi longiores illos exitus perquam accommodatos, narrationibus autem et sedatis expositionibus alienissimos esse, recte iam observavit Paldamus (de Erott. Romm. p. 69.). Quid? quod ante amoris tempora haec condita esse ἐπύλλια aperte declarat posterior primi carminis pars, quam prooemium futuri operis destinatam supra significavimus (p. 55.). Hac enim, quam nequaquam simulata sollicitudine scriptae priori parti postmodo adiecisse Propertium Lachmannus recte perspexit (ad e. l.), poeta ficto Horoscopi nomine velatus ipse pristina sua studia irridens talia profert inde a v. 135., quae, quod futurum verbi tempus declarat (militiam Veneris patiere — Veneris pueris hostis eris — Eludet palmas puella — Nil erit hoc — te premet ansa — Illius arbitrio noctemque diemque videbis — Gutta cadet — Nec mille excubiae iuvabunt), omnia vaticinantis modo edita omnes sales omnemque sanguinem perderent, si principium carminis post initium amoris, aut, id quod maius est, post finem adeo scriptum esse Nobbio concederemus. Quo autem propius huius carminis scriptio ad tempus, quo Cynthiam cognoverit Propertius, accedat, eo maiorem irrisionis vim esse, eoque facilius intelligi, cur poeta sub magi istius persona in sua ipsius quodammodo viscera saeviat patet. Qua sola causa post reliqua eiusdem generis carmina (2. 4. 9. 10. cf. Cap. V.) hoc Romanorum *Αἰτίων* prooemium compositum esse divinaveris. Sic autem qui coniiciat, recte eum coniicere, versus huius elegiae tertius docet, ubi, cum Apollinis Palatini Actiacae pugnae victoris mentio fiat, ante anni 726. initium, quo de-

mum Phoebi aedes in Palatio dedicata et inaugurata est, haec scripta esse non posse, Cassius Dio docet LIII, 1. Unde simul amorem Cynthiae non ante annum 726. initium cepisse contra Lachmanni rationes (Praef. p. XXVI.) novo argumento evincitur. Hoc igitur iam in aprico est, praesertim cum dolatum solum et multis locis minime perpolitum dicendi genus computaveris, librum quartum, utpote qui multa iuvenilia poetae opera ab ipso improbata et supremae manus indigentia contineat, post obitum Propertii ab aliis procuratum esse.

Iam vero elegiam II, 10., quod prooemium Lachmannus fecit libri sui tertii, non post excussum amorem (a. U. 732. init.), sed discidii ipsius tempore (anno 729.) scriptam esse, supra demonstrasse nobis videmur L. I. Cap. III. VI. Restat autem, ut ne posse quidem eam alio tempore scriptam esse evincamus. Primum enim per esset mire factum, si poeta libro, qui totus usque ad finem in celebrandis amoribus suis versaretur, praefationis loco carmen praemitteret, quo illis amoribus valediceret: nec rursus, si Lachmanni inventum mittimus, aptum erat, uno carmine ex alieno tempore inculcando reliquorum veluti dramaticam compositionem perturbare. Omnis autem lis dirimitur uno eiusdem elegiae versu, qui facem quasi in his tenebris subministrat, 16.:

Et domus intactae te tremit Arabiae.

Namque de Aelii Galli expeditione hunc locum intelligendum esse, perspicuum. Plinius enim (N. H. VI, 32.): „Romana", inquit, „arma solus in eam terram adhuc intulit Aelius Gallus, equestri ordine." Quoniam vero intactam dicit Arabiam, sequiorem quandam expeditionem (de qua cf. Plin. N. H. VI, 31. s. fin. Suet. Vit. Tiber. c. 9.), quam Tiberius, dum anno U. 734. Orientis res componit et Parthorum signa repetit, minatus, neque tamen aggressus est, intelligere vetamur. Aelii vero illius Galli exercitus, quem Arabiam ineunte a. U. 730., Caesare Augusto, C. Norbano coss. ingressum esse Cassius Dio (LIII, 29.) narrat, quamvis et fortitudine et bellandi arte hostibus longe esset superior, tamen perfidia Syllaei, Nabataeorum regis, per arenosa loca circumductus primo statim mense et aliis calamitatibus et novo morbi genere miserrime vexatus post atroces clades prorsus periit. Cf. Strabon. XVI, 4. Hinc Dio (l. l.): *ἐν ᾧ δὲ ταῦτα ἐγίγνετο, καὶ ἄλλη τις στρατεία καινὴ ἀρχὴν ἅμα καὶ τέλος ἔσχεν.* Quomodo igitur, quaero, post illam expeditionem hunc versum scriptum esse dicamus, quo tantum abest ut Propertius rerum domino adulaturus

fuerit, ut eum nuperae cladis invisa recordatione egregie laesisset. Itaque aut initio expeditionis i. e. anno 730. aut, id quod reliqua temporum ratio iubet (cf. L. I. Cap. V. III. VI.), dum bellum molirentur, i. e. anno U. 729. compositam esse hanc elegiam necesse est. Huic interpretationi etiam verbi tremendi significatio aptissima, quae in periculo futuro et prope instanti fere propria est. Proximi autem versus:

Iam negat Euphrates equitem post terga tueri,
Parthorum et Crassos se tenuisse dolet;
India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho —

imprimis nobis favent. Nam si hic quoque de anno 734. cogitaveris, quo Indorum legati Augustum Antiochiam adiisse traduntur (cf. Heyn. ad Virg. T. IV. Addend. p. 209.), redditorum a Parthis signorum, quibus tantum Augustus gloriabatur, quorumque, ubiubi occasio tulerit, poetas meminisse videmus, nullam hic mentionem fieri iure mireris. Rectius igitur haec in universum ad submissionem et debiles Parthorum res referas, quorum reges iam a. U. 724. Augustum arbitrum intestinarum contentionum sibi expetiisse Dio narrat LI, 18. Et revera iam infra Ventidium deiectus erat Oriens (Tac. Germ. 37.). Indiae autem nomen apud antiquos remotiores omnes et Asiae et Africae plagas continuisse, prae ceteris autem Aethiopes dictos esse Indos, et Hyginus docet (f. 275.) et Lucanus (Pharss. IX, 517.) et post Cuperum (Observv. IV, 7.) Gorallumque (Albinov. El. II, 57.) pluribus demonstraverunt I. H. Vossius ad Virg. Ge. II, 116. sqq. et Wunderl. ad Tibull. II, 3, 55. Itaque v. 15. ad eiusdem Aelii Galli expeditionem referre non dubitamus, quam paullo ante a. 728/729 contra populos supra Aegypti fines habitantes fecerat. Nam Strabo l. l.: τοῦτον, inquit, (*Αἴλιον Γάλλον*) ἔπεμψεν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ διαπειρασόμενον τῶν ἐθνῶν, καὶ τῶν τύπων τούτων τε καὶ Αἰθιοπικῶν ὀρῶν τήν τε Τρωγλοδυτικὴν τὴν προσεχῆ τῇ Αἰγύπτῳ.

Iam vero, si iis elegiis, quas discidii tempore scriptas esse constat, decimae et undecimae (cf. L. I. Cap. VI. p. 44. Cap. III. p. 15. sqq.) proxima carmina consideramus: duodecimo interruptam videmus amoris historiam et quasi fabulam, qualem L. I. Cap. VI. constituere ausi sumus, eleg. autem 9., et ea, quam scis, 13., qua ipsa istud ulcus v. 25. et 26. continetur, ita laborantem sententiarum nexum videmus, ut nisi „navibus atque quadrigis“ coniunctionem petamus, in altera vv. 41—52., in altera vv. 43—58. assuti iudicandi sint panni. De superiore vero ita rem egit

Lachmannus, ut verbum addere longum sit. Nam nullo modo partes coeunt: „Illic enim (v. 1—40.) desperat amator, puellae infideli cedit, Cupidines se omnibus spiculis, ut prorsus pereat, configere iubet; nunc repente solum ac viduo toro victurum se esse promittit.“ Eodem modo novissimos El. 13. versus (43—58.), ad priorem eius carminis partem prorsus non pertinere, ita nos confidimus L. II. Cap. V. demonstravisse, ut tuto ad eam disquisitionem lectorem possimus ablegare.

Hanc autem perturbationem cum iam tum animadvertissem, quo tempore de carminum ordine ad certos annorum fines revocando nondum coeperam cogitare, has duas laceras partes dum comparo et accuratius excutio, non sine magna mea admiratione vidi, coniunctas integrum et ab omni parte solidum efficere carmen, cuius hoc esset argumentum: Poeta postquam sidera et matutinam pruinam fidei constanter servatae testes advocavit, in posterum eandem fidem amicae, quamvis inimicae, praestiturum se promittit. Nihil se optare, nisi ut rivalis pro conatu abalienandae puellae poenam subeat. Hoc igitur vehementer se velle ait, ut, media puella, mortem alterna manu sibi invicem inferant (El. 9, 41—52.), quam ut primis annis subiisset, optat, quo multa profecto dira effugisset (13, 43—50.). At hanc certe gratiam, inquit, mihi concedes, ut Veneris exemplo amissum defleas amicum, quamvis nihil lacrimis tuis profectura (v. 51. ad fin.).

Verum haec ut per se levia casui fortasse originem debere adducamur, tamen si omnia, quae de El. 10. scriptione, de alieno El. 12. argumento, de praepostera libri tertii commemoratione (El. 13, 25.), cruce ista interpretum, de postumorum operum editione modo protulimus, haec autem omnia si colligamus, sponte paene nasci videatur coniectura, quae omnem hanc litem facile componat. Credo enim eos, quibus edendorum Propertii operum postumorum cura contigerit, quaecunque indigesta atque per varios codicillos dispersa invenissent, in unum quarti libri volumen coegisse. Hinc eius libri tam varius et paene centoni similis aspectus. Cum vero quaedam animadvertissent, quae ut aperte ad praeterita amoris tempora pertinerent, ita dicendi genere et materie reliquorum librorum carminibus simillima essent (id quod de El. IV, 8. nequaquam valet), his locum, quo aptissime collocarentur, quaesiisse. In exemplari autem poetae *αὐτογράφῳ* circa carmen decimum et undecimum spatium offenderunt vacuum, quo temporis intervallum, quod inter utramque libri partem conscribendam intercessisset, significaretur. Huc, quae laceris scidis inscripta parum congrue

coartaverant, inculcaverunt. Hinc quoque fortasse factum, ut in plurimis codicibus El. 9. proximae 10. adhaeresceret. Illam enim a principio mutilam esse Lachmanni rationes minime evincunt, qui hic priores interpretes aduncо nimium naso suspendit. De usu enim particularum adversantium ab initio carminum positarum, quo in usu definiendo omnis haec lis versatur, cf. L. II. Cap. VI. Alia est ratio El. 34., quam fini voluminis secundi adiecerunt. Scriptum autem esse hoc carmen paullo ante discidium sive anno 728. exeunte, v. 91. sqq. testantur:

Et modo formosa qui multa Lycoride Gallus
Mortuus inferna vulnera lavit aqua.

Obiit enim Cornelius Gallus Foroiuliensis a. 728. teste Cass. Dion. LIII, 23. Circa idem autem tempus Virgilium componenda Aeneide occupatum fuisse coll. vv. 61—66. docent et alii et Iahn. introduct. ad Virg. Aen. p. XXV. IX.

Ceterum ex hac nostra coniectura simul apparet, secundum et tertium librum adornatos illos quidem et iam digestos ab ipso poeta, nec tamen ex privatis scriniis Sosios suos aut Tryphones nactos esse. Cui, si quid video, hoc imprimis argumentum favet, quod primum librum a reliquis segregatum tamquam unum et absolutum opus Cynthiae nomine inscriptum in publicum prodiisse, plurimae rationes persuadent. Primum enim, quod et Paldamus recte observat (de Erott. Romm. p. 69.) et nos uberius supra persecuti sumus, tantam in eo invenimus limae sollertiam, quantam in nullo reliquorum. Deinde vero poeta ipse apertis illud dicit verbis El. II, 24, 1. 2.:

Tu loqueris, cum sis iam noto fabula libro,
Et tua sit toto Cynthia lecta foro?

Cui assentitur adeo eius libri inscriptio, qualis in plerisque codicibus legitur:

SEX. AURELII PROPERTII CYNTHIA MONOBIBLOS —

et lemma epigrammatis Martialis XIV, 189., quod Schneidewino teste, in omnibus libris manu scriptis legitur: Monobiblos Propertii. Et ipsum illud epigramma hac accepta sententia multo significantius Cynthiam iuvenile vel iuvenale Propertii carmen dicit. Id quod recte Ruhnkenius et Wassenberghius in notis ad e. l. mss. observant. Quodsi Lachmannus (ad El. II, 14, 26. III, 5, 26. ed. Lips.) diserta illa testimonia ita detorquet, ut μονόβιβλον, id quod solum significare potest, librum singularem significare

neget, non is sensisse videtur, se ipsum adversariis tela aptasse, quibus suam de libro secundo dispertiendo coniecturam peterent. Nam eodem hanc litem redire, quo Nobbii somnia, supra a nobis refutata, facile est ad perspiciendum. Sed transversum egit Lachmannum falsa alius loci interpretatio, IV, 7, 77. (V, 7, 77. ed. Lips.):

Et quoscunque meo scripsisti nomine versus,
Ure mihi: laudes desine habere meas.

Nam meo nomine scriptos idem esse iubet, quod meo nomine inscriptos versus: meo nomine proprie nihil aliud esse, quam mea causa vel propter me et innumerabiles alii loci docent et Ciceronis orat. pro Rosc. Com. 14., ubi alieno nomine et causa prorsus ut *συνώνυμα* iuxta ponuntur. Hinc meo nomine scripti versus sunt, quibus ego celebror nomenque meum. Eandem hanc quidem causam fuisse, ut libri vel poemata, quibus amicae celebrarentur, ipsius inscriberentur nomine, tantum abest ut negemus, ut et Propertii primum librum a poeta superstite editum inde nomen traxisse modo significaverimus, et usum hunc iam inter Graecos valuisse superiore libro (Cap. VII.) exposuerimus. Sed alia est rei causa, alia verbi significatio. Quare, ut veri non est dissimile, Propertium, si quando ipse scripta sua coniuncta edidisset, vel postrema reliquorum librorum carmina eodem nomine priori libro subiuncturum fuisse, ita iam factum id esse, illo versu falso colligi existimamus. At ne Porphyrionis quidem verba, quae, si in praeceptis purae Latinitatis quidquam valeret scholiastae auctoritas, Lachmannus fortasse in rem suam adhibere potuisset, aliter explicanda esse censemus, qui Horatii Carm. I, 22, 10.: „Dum meam canto Lalagen“ sic interpretatur: „id est, carmen in Lalagen amicam, eius nomine compositam.“ Hoc enim velle videtur: Horatius Lalagen appellat carmen in honorem amicae scriptum, quoque eius nomen celebretur. Causam enim addit, quod talia carmina vulgo argumenti nomine appellarentur et inscriberentur. „Sic et liber Lucilii decimus sextus Collyra inscribitur eo, quod de Collyra sua scriptus sit.“ Potuit enim hic quoque dicere: quod Collyrae nomine scriptus est. Quam varios enim usus haec dicendi formula recipiat, Q. Memmius docet ap. Sueton. Vit. Terent. 3.: „Quae domi luserat ipse (Scipio) nomine illius (Terentii) in scenam detulit.“ Id. de illustr. gramm.: „Quos libros Orbilius suppressos redemisse se dixit, vulgandasque curasse nomine auctoris.“ Alia enim prorsus ratio est formulae sub nomine, quae

tam nomen auctoris, quam eius, cui opus dedicatum est, potest significare. Utrumque enim quoniam in titulo notari solebat, praepositio sub propriam suam vim servat. Quo in genere plurima collata vide a Burmanno ad Ovid. Tristt. II, 551. Quibus adde comm. ad Prop. II, 14, 26.

Sic igitur a Propertio oscitandi culpam cum in operum editores declinasse videamur, si quam protulimus coniecturam, ea doctioribus probata fuerit. Interim in partes vocare nobis liceat Horatianum illud:

— si quid scis rectius istis
Candidus imperti, si non, his utere mecum.

Gruppii autem somnia, quamvis commemorasse ea confutationis loco fuerit, retractare hic longum est. Qui cum ex mendaciorum suorum *νεφελοκοκκυγίᾳ* tamquam ex firma doctrinae arce homunculos infra errantes, i. e. viros doctissimos et de antiquis artibus immortaliter meritos despiciat: ne nostra legat, non veremur. Sed cum erroribus istis detegendis, Propertii quidem studia parum commodi percipere possint, at bonae litterae in universum hoc certe, ut levitatis suae aemulatores futuri deterreantur, in annalibus Halensibus (Ann. 1839. N. 127. sqq.) munere illo taedii quidem pleno, sed, ut nobis visum est, necessario defungi quondam sustinuimus. Quae, si cui penitus noscere hominem operae pretium videatur, adeat. Ceterum vulgatum apud Romanos usum fuisse, ut vel grammatici vel amici poetarum scripta post mortem iterum recensita et ad suum iudicium disposita ederent, plurimi docent loci. Siquidem Suetonius de illustr. gramm. cap. 2.: „Háctenus tamen", inquit, „imitati (Latini grammatici Graecos), ut carmina parum adhuc divulgata vel defunctorum amicorum vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent: ut C. Octavius Lampadio Naevii Punicum bellum, quod uno volumine et continenti scriptura expositum, divisit in septem libros" cett. Idemque alios in aliis fecisse, pluribus exemplis comprobat. Cf. Heindf. ad Hor. Sat. I, 10, 3. Heusdium in Disquisit. de Aelio Stilone p. 38, 1. Traiect. ad Rh. 1839. Lersch. de Valerio Cat. in Ephemm. philol. Darmstad. 1839. N. 43. L. F. Schmidt. in Lucil. Sat. frgm. I. p. 1. Berol. 1840. Quinimmo de suo addiderunt, ut Cornelium Epicadum L. Sullae dictatoris librum de rebus suis novissimum supplesse idem Suetonius auctor est (l. l. c. 12.). Heredibus autem id negotium traditum interdum esse docet Lucani (Suet. vit.) et Persii (apud eund.) exemplum, cuius satiras retractatas Cornutus Caesio Basso petenti edendas concessit. Quid

autem mirum, si Propertii libris nec Tucca aut Varius, nec doctus librarius, qualis Tullio Tiro suus contigerit, quod in isto vulgarium librariorum stupore (cf. Martial. Ep. II, 8. Schneidewin. Prolegg. p. VI. Schoettgen. de librarr. et bibliopoll. vett. c. III. §. 4. Becker. Gall. Scen. III. Exc. 3.) turbae tantae sunt factae, quae nunc demum componi coeptae sint.

Caput III.

De tempore, quo singuli Propertii libri vel scripti vel editi esse videantur.

In definienda temporum ratione, quibus singula Propertii carmina assignentur, iis, quae hucusque disputavimus, tamquam certis fundamentis nixi paucisque, quae superabant, adiectis, haec iam pro certis possumus spondere.

Ante Cynthiae amorem, i. e. ante aestatem anni 726. (cf. Q. L. I. Cap. III. p. 16.) scriptae sunt Libri IV. El. 1, 1—70. El. 2. 4. 9. 10. Cf. Q. L. I. Cap. V. p. 27. L. II. Cap. II. p. 55. L. III. Cap. II. L. I. Cap. VI. p. 45. Carmen autem IV, 1. ipso anni 726. initio. Vid. caput superius.

Ineunte amore h. e. circa a. U. 726. idque aestivo tempore (coll. v. 11.) El. III, 20. Cf. Q. L. I. Cap. III. p. 16. Cap. VI. p. 41. Circa idem tempus II, 31., quam ante amorem scriptam dixeramus in prooem. interp. Germ. p. 14. levi errore, quem deinde correximus ad interpretationis ipsius l. l. Scripta vero est a. d. VIII. Kal. Nov. Nam eo certe die aedes Apollinis Palatina dedicata est (cf. Kalendarium Antiatinum et Amiterninum ap. Orell. C. I. c. XXII. p. 400. et 401.), in cuius honorem simul et in memoriam victoriae Actiacae ludos quinquennales institutos esse Cassius Dio testatur LIII, 1. Hi vero utrum sint intelligendi, qui in iisdem kalendariis commemorantur ludi, an alii municipales annui, dubitari possit. Sin apertum prius quam dedicatum templum dixeris, elegiae nostrae scriptio ad superius paullo tempus erit removenda. Neque absonum videatur, eum diem definire ipsum Actiacae victoriae h. e. a. d. IV. Non. Sept.

Post primum annum, i. e. 727. a. U. liber primus prodiit, atque ita quidem, ut El. 8. ineunte vere scriptam vv. 9. 10. testentur:

O, utinam hibernae duplicentur tempora brumae,
Et sit iners tardis navita Vergiliis.

Cf. I. H. Voss. ad Virg. Ge. I, 137. El. 11. 14. aestate

conceptae; El. 20. 21. 22. incerto prorsus tempore. Finitus est hic liber et editus uno mense ante quam secundus componi coeptus est, initio ferme anni 728. Cf. El. II, 2, 1—4.

Liber secundus maximam partem intra annum 728. et finem 732. scriptus. Anno ipsi 728. El. 1—9. (v. 1—40.) et 34. tribuendae sunt; cf. Q. L. I. Cap. III. p. 16. Cap. VI. p. 44. L. III. Cap. II. Cui definitioni minime obstat elegiae septimae ratio, qua non perlatae Iuliae rogationis de maritandis ordinibus mentio fit. Nam, qui anno 726. Caesare Octaviano VI. M. Vipsanio Agrippa III. coss. primum illam legem ab Augusto latam esse contendunt, sola nituntur Lipsii argumentatione (ad Tacit. Ann. III. Exc. Litt. C.), quamvis nimium securi iidem Heineccium testem citent, qui (de lege Papia Poppaea comm. L. I. Cap. III, 2. Opp. ed. Genev. 1749. T. VII. p. 40. sq.) tantum abest ut Lipsio assentiatur, ut Tacitum (Ann. III, 25.), ubi post Iulias rogationes legem Papiam Poppaeam latam esse dicat, praeter legem ab Augusto anno 736. frustra tentatam (cf. Dion. Cass. LIV, 18.) non aliam Augusti, sed Iulii Caesaris legem quandam (de qua Dio XLIII, 25.) significari existimet. Et, si quaeris, Lipsii sententia satis debili nititur argumento, scilicet eodem, quem modo commemoravimus, Taciti loco. Ille vero: „Sexto", inquit, „demum consulatu Caesar Augustus potentiae securus, quae triumviratu iusserat, abolevit: deditque iura, quis pace et principe uteremur. Acriora ex eo vincula, inditi custodes. Et lege Papia Poppaea praemiis inducti." Inter ea enim iura, quae sexto hoc consulatu Augustus dederit, Lipsius primam etiam illam legis Iuliae rogationem referri vult, quamquam non hoc solo tempore empublicam a principe novis legibus ornatam esse inter omnes constat. Neque vero Heineccii rationes, nullam omnino ante annum 736. ab Augusto talem legem tentatam esse rati, pervincunt. Nam primum Tacitus cum „legem Papiam Poppaeam post Iulias rogationes latam" dicat, aperte significat, se non edicta Iulii Caesaris, sed rogationes Octaviani non perlatas ideoque non leges factas intelligere. Etenim Cassius Dio (XLIII, 25.): Ἐπειδή τε, inquit, δεινὴ ὀλιγανθρωπία διὰ τὸ τῶν ἀπολωλότων πλῆθος — ἦν, πολυπαιδίας ἄθλα ἔθηκεν (C. Iulius Caesar). Atqui his praemiis, qualiacunque fuerunt (nam ex Suetonii Vit. Caes. c. 42. minime illud apparere Heineccius recte observat l. l. I, 3, 1.), quemquam ullo tempore obfuisse, nusquam refertur. Quod in rogationibus, quibus contra committentibus poenae erant constitutae, longe secus accidit. Cf. praeter locos Dionis citatos Sueton. Octav. 35. Idem porro Cassius Dio (LIV, 16.) aperte de Augusto ait:

Τοῖς τε ἀγάμοις καὶ τοῖς ἀνάνδροις βαρύτερα τὰ ἐπιτίμια ἐπέταξε· καὶ ἔμπαλιν τοῦ γάμου καὶ τῆς παιδοποιΐας ἄθλα ἔθηκεν. Quod nisi ad priorem quandam Augusti rogationem referri nequit. Denique haec ipsa Propertii elegia, quam post annum 736. scriptam esse, iam nemo amplius erit qui aut Lipsio aut Heineccio (ll. cc.) concedat, priorem Augusti rogationem statuendam esse demonstrat. Cuius quod disertis verbis Dio mentionem non facit, nemo, credo, mecum ad 727. finem referre dubitabit, ubi ille (LIII, 21.) haec: *Αὔγουστος δὲ τά τε ἄλλα — ἔπραττε καὶ ἐνομοθέτει πολλά· οὐδὲν δὲ δέομαι καθ' ἕκαστον ἀκριβῶς ἐπεξιέναι, χωρὶς ἢ ὅσα τῇ συγγραφῇ προσφορά ἐστιν — ἵνα μὴ δι' ὄχλου γένωμαι κ. τ. λ.* Qui locus etiam C. Fr. Chr. Wenckium (Observv. ad iurisprudentiam elegantiorem facientium triga. Lips. 1825. 4. p. 16. in eiusd. Opuscc. Academ. ed. F. A. Stieber. Lips. 1834. p. 233.) et Lud. Gitzlerum (Quaestt. iuris Romani de leg. Papia et Poppaea Spec. I. Hal. 1835. p. 7—13.) fugit, ut qui a Nobbio decipi se passi Lipsio in anno huius elegiae definiendo obsequerentur. Hoc autem anno si illam quam quaerimus legem latam, sequenti 728. antiquatam ponimus, iam vide quam apte omnes nostrae rationes coeant. Neque enim aliter altera illa, de qua anno 736. ad senatum relatum est, post acerrimas utriusque partis contentiones anni demum 737. fine antiquata est. Cf. Heinecc. l. l. p. 50. Ad eiusdem anni 728. finem pertinet El. III, 15. (v. 7. 8. coll. L. I. Cap. III. p. 16.) Nec multum falli nos existimamus, eodem El. II, 30. referentes. Vix enim aliud tempus idoneum inveneris expeditioni v. 19. 20. commemoratae, quae per Pontum Euxinum regiones Caucasias et Caspias peteret. Eo vero anno cum Romani foedus et societatem cum Polemone Ponti rege inirent (teste Cass. Dione LIII, 25.), moliti aliquid esse videntur contra Parthos inquietos semper et tum bellis intestinis seditiosos. Frequentem autem eo tempore Romanorum in regnum Ponticum commeatum fuisse hoc sit testimonio, quod Polemo in illo foedere senatoribus Romanis spectandi in primis ordinibus ius concessit. Quod nisi senatores quoque Romani per tempus illic commorati essent, absurdum erat.

Anno 729. tribuantur elegiae lib. II, 10. 11. 22. 23. 24. Cf. Lib. I. Cap. III. p. 15. Post eum annum reliquae huius libri omnes praeter El. 31., de qua vid. supr. Sextilem mensem sibi postulat El. 32., coll. v. 9., iisque, quae illic adnotavimus.

Intra annos 731. et 732. confectus est liber tertius.

Atque initium quidem anni 732. sibi vindicant El. 4. 5. (coll. v. 47. 48. Lib. I. Cap. III. p. 15.) Infra eum annum non descendunt ea carmina, quibus Cynthiae amoris poeta meminit, praeter quartum 1. 2. 3. 6. 8. 10. 11. 13. 14. 16. 17. 19—25. Circa idem autem hoc tempus scriptae sunt El. II, 12. 13. 9, 41—50. (vid. Cap. II.), neque tamen in libri ordinem receptae a poeta.

Anni 731. finem sibi poscit El. 18. (cf. Q. L. I. Cap. V. p. 29.), annum 732. El. 12. Cave enim a Nobbio (l. l. p. 34.) te decipi patiare, qui duplici hallucinatione non contentus fraudem insuper addit. Nam primum, ut demonstret, non ante annum 733. hunc librum Ianum spectasse, testibus non parcens Dionem citat (LIV, 7.), qui M. Lollio in Augusti locum suffecto, Q. Lepido coss. a. U. 733. signa Romanorum a Parthis remissa esse dicat. Audiamus ergo testem. Quid Dio? *Ὁ γοῦν Αὔγουστος*, inquit, *τό, τε Ἑλληνικὸν διήγαγε καὶ ἐς Σάμον ἔπλευσεν, ἐνταῦθά τε ἐχείμασε, καὶ ἐς τὴν Ἀσίαν ἐν τῷ ἦρι, ἐν ᾧ Μάρκος τε Ἀπούλιος καὶ Πούπλιος Σίλιος ὑπάτευσαν, κομισθεὶς πάντα τά τε ἐκεῖ καὶ ἐν τῇ Βιθυνίᾳ διέταξεν.* Ille vero annus est a. U. c. 734. Deinde postquam res gestas in Asia minore singulas exposuit et ademptae Cyzicenis libertatis mentionem fecit, sic pergit: *Καὶ τοῦτο — — ἐποίησεν ἐν τῇ Συρίᾳ γενόμενος* (c. 8.) *κἂν τούτῳ ὁ Φραάτης φοβηθεὶς μὴ καὶ ἐπιστρατεύσῃ οἱ, ὅτι μηδέπω τῶν συγκειμένων ἐπεποιήκει τι, τά τε σημεῖα αὐτῷ καὶ τοὺς αἰχμαλώτους — ἀπέπεμψεν.* Haec Dio iterum a Nobbio vitiatus. Quibus adde Tacit. Ann. II, 2. Iustin. XLII. Barth. vit. Prop. ann. 734. p. LXXXIV. Sed ubinam, quaesumus, redditorum a Parthis signorum in hoc nostro libro commemoratio? Affert iste El. III, 12, 3.:

Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi —

ubi participium perfecti, si Nobbio credamus, aperte significet, iam tum spoliatos fuisse Parthos. At quo tempore? Fuit enim ait. Scilicet, quo tempore Postumus relinqueret Gallam. Proxime enim accedunt hi versus:

Postume, plorantem potuisti linquere Gallam
Miles et Augusti fortia signa sequi?

At fortasse hoc vult novo dicendi genere: Tantine ulla fuit (tunc) tibi gloria (nunc) spoliati Parthi? Quo tum, quaeso, sequentia?

Tu tamen iniecta tectus, vesane, lacerna
Potabis galea fessus Araxis aquam.

Illa quidem interea fama tabescit inani,
Haec tua ne virtus fiat amara tibi:
Neve tua Medae laetentur caede sagittae.

Quo illae sollicitudines et timores, quo illa pia vota, si pax iam composita, si signa reddita erant? At non sensit iste vulgatum hunc poetis et Propertio imprimis participii usum, quo ita cum nomine aliquo substantivo coniungitur, ut non in nomine, sed in verbi actione propria sententiae vis insit. Quod dicendi genus cognatum illi, quo concretum pro abstracto positum vulgo dicunt, cum in praesenti tempore, et eo, quod dicunt, gerundivo, velut „occasio videndae terrae" pro occasione videndi terram etiam pueri facile sint explicaturi, a poetis etiam ad participium perfecti referri plurimi loci docent. Alioquin enim Romanos Bactra Propertii aetate cepisse existimandum esset, quoniam El. IV, 3, 63. simillimo nostri loci modo rogat:

Ne precor ascensis tanti sit gloria Bactris.

Sed cf. Quaestt. L. I. Cap. VI. Sect. II. §. 8.

Iam vero huc ades, ut fallaciam hominis penitus cognoscas. Etenim, ut suam fulciret sententiam, hunc protulit libri tertii versum:

Parthorum astutae signa remissa fugae —

quem tu neque eo loco, qui ab isto citatur (III, 18, 54.), neque ullo alio invenies. Contra El. III, 9, 54. in omnibus libris et scriptis et impressis haec insunt, neque illa, quantum sciam usque adhuc ab ullo viro docto tentata:

Parthorum astutae tela remissa fugae —

ubi recte Passeratius, quem religiose more suo exprimit Kuinoelius: „tela remissa, quae non amplius contenduntur et diriguntur, tela fugae Parthorum, id est eorum fugientium." Cf. praeterea, quae in interpretatione Germanica ad e. l. adnotavimus. Sunt autem hi quoque versus generaliter ad fractas et deiectas Parthorum vires referendi, qui iam ex Ventidii tempore Romanos lacessere non ausi fuerint. Cf. Cap. II. Quare nihil amplius obstat, quin cum Barthio (Praelectionibus de quibusdam Propertii elegiis. Dresd. 1775. 8. init.) et Lachmanno (Praef. p. XXVII.) libros II. et III. uno tempore a poeta digestos esse ponamus, quamvis annus iis 732., non 731. sit definiendus. Cf. L. I. Cap. III. p. 15. sq. Post illum annum quae necessario scripta sit habenda elegia, non extat in his duobus libris. De carmine enim libri III, 7. omnino non liquet. Ante annum praeterea 732. El. IV, 5. 8. 1, 71. ad fin. scriptae sint ne-

cesse est, quamquam de quinta certius quidquam non ausim affirmare. Post eum annum septima, qua mortua inducitur Cynthia. Ad annum 734. referre non dubitamus El. IV, 3. Nam diutius iam in castris abesse Lycotam illum, propiusque instare Parthorum terris v. 35. docemur. Quartum militiae annum Propertius ipse disertis verbis significat v. 18.:

Texitur haec castris quarta lacerna tuis.

El. 6. et 11. ambae ad annum 738. pertinent. Nam alteram ad celebrandos ludos quinquennales in memoriam victoriae Actiacae institutos scriptam esse iam Barthius perspexit Vit. Prop. a. U. 739. p. LXXXVI. Neque illud officit, quod Sicambri iam ut subiecti commemorantur (v. 23.), quos non multo post Lollianam cladem ipsius Augusti adventu iam sub finem anni 738. L. Domitio, Cn. F. Aenobarbo, P. Cornelio P. F. Scipione coss. obsidibus datis pacem petiisse Dio Cassius (LIV, 20. 21.) narrat, ut ad vaticinationes, quo artificio recens ex atrocissima Lollii clade certo non prudenter poeta usus esset, confugere non opus sit. Paullo ante scriptam esse elegiam IV, 11. omnium extremam, interpretes universi consentiunt. Nam Corneliam, de cuius morte maritum Paullum Aemilium Lepidum consolatur, mortuam esse fratre suo consule i. e. a. U. 737. versus declarant 65. 66.

Quibus omnibus accurate expensis hoc iam licet certo affirmare,

Librum primum non ante annum 728. absolutum, eodem anno editum esse;

Librum secundum et Librum tertium } non ante annum 732. confectos;

Librum quartum carmina usque ad annum 738. scripta continere.

Caput IV.

De fatis librorum Propertii a prima editione usque ad litteras renatas.

Ut a doctis aequalibus Propertii scripta maximi habita et passim lectitata esse certum est, sic ne post mortem quidem debitum iis honorem cessasse unus Ovidius satis possit attestari, qui inter principes carminis amatorii poetas Propertii nomen nunquam omiserit. Cf. A. A. III, 333. 534. Rem. Am. 764. Tristt. II, 465. IV, 10, 45. sq. 53. sq. V, 1, 17. Sed quoniam superstes etiam propter exquisitius doctrinae

genus ab iis demum recte tenebatur, qui pari disciplina parem ingenii cultum essent assecuti, nec ipse „populi confusam fabulam“ curabat, dummodo doctis et „puris“ auribus probaretur, et tum et postea paucorum tantum hominum eum fuisse consentaneum est. Quare noli mirari, quod Quintilianus quoque vir acerrimi iudicii haud dubie Tibullum Propertio praefert (I. O. X, 1, 95.) et esse tantum, qui hunc quam illum malint, asseverat. Nam cum in universum Romani negotiis civilibus dediti eos solum poetarum lusus arripuerunt, quorum in medio posita argumenta leve otii oblectamentum nec multis studiis redimendum praeberent, tum Quintilianus eo potissimum consilio poetas Latinos recenset, ut, quantum fructus inde futurus orator percipere possit, ostendat. Ab hac autem parte Tibulli genus longe Propertio utilius esse coll. Quaestt. harum L. II. Cap. III—VI. satis appareat. Hinc quamvis primis Caesarum saeculis maxima semper eius esset inter homines elegantiores fama (cf. Iuvenal. VI, 7. Martial. Ep. VIII, 73, 5. XIV, 189. Stat. Silvv. I, 2, 253.), neque idem ab Appuleio posset ignorari (Apolog. p. 279. Elm.), tamen cum labentibus sensim imperii rebus studia quoque liberiora in exitium verterent, Propertius inter primos fuisse videtur, cuius suus populus oblivisceretur. Hinc rarissima apud scriptores Christianos eius mentio (Lactant. Div. Inst. I, 6. Sidon. Apollin. Epist. II, 10.) et, quod magis admireris, etiam apud grammaticos. Nam ne de Fulgentio dicam, quem bis in citando Propertio peccasse vidimus (Quaestt. harum Libr. III. Cap. I.): Charisius, quem Scaliger El. III, 8, 37. exhibere ait, memoria lapsus, ut recte admonuit Burmannus ad e. l. (cf. II, 13, 35. 33, 37. III, 11, 15.), Nonius (p. 169, 28. Mercer.), Diomedes (ed. Col. 1528. p. 29.) singulis tantum locis, Servius vero non plus ter ad partes eum vocat, quamquam usurpasse Diomedem exemplar eius et legisse alius locus declarat (L. III. Cap. VI. Sect. III.), cum tamen Latinae linguae proprietatem tractaturus plurimum inde in suum usum conferre potuerit. Priscianum vero ne habuisse quidem ea carmina crediderim, cum in tanta poetarum veterum segete, quorum verba per totum volumen excitat, semel modo Propertii meminerit, idque in eodem, quo Diomedes, versu. Quapropter non dubito quin eius loci notitiam ipsi demum Diomedi, non Propertii lectioni debuerit. Huius igitur libros illa aetate, et praecipue in orientali imperii parte raros admodum fuisse iure colligas. Quamquam ne prorsus abditos in bibliothecis saeculo p. Chr. n. VI. non modo inter alios, sed ne Constantinopoli quidem delituisse credas: Paullus ille

Silentiarius, qui renascente sub Iustiniano miro litterarum antiquarum et poeticae studio non malus versificator et paene poeta extitit, reliquis certe aequalibus tam ingenio quam arte longe superior, non modo, quod iam Ruhnkenius recte observavit (Ep. crit. p. 72.), Latine satis doctus fuit, sed assidua etiam Propertii lectione versatus. Hunc igitur ab eo in epigrammatis amatoriis, quorum plurima et ambitu et argumento elegiis veris proxima sunt, saepissime expressum esse primus, quantum sciam, Huschkius sensit (Epist. cr. p. 37. sqq.). Quod quo accuratius utriusque carmina contendimus, eo clarius apparet. Nam non modo colores carminibus suis Paullus ex Propertio et locos communes ita intexuit, ut saepe inde poetae nostri interpretatio adiuvetur (ut Epigr. IV. ap. Brunck. v. 2. coll. Prop. II, 5, 23. ibid. extr. coll. Prop. II, 34, 13. Ep. VI. init. Prop. II, 15, 10. sqq. XXI, 3. 4. Prop. I, 3, 19. XXXIV. Prop. II, 1, 5. quamquam pro aliis non spondeam, utpote quae in proverbium abiisse videantur, ut Ep. XV, 5. coll. Prop. II, 1, 63. sq. Ep. XXII, 3. Prop. IV, 3, 51. Ep. XXXIII. Prop. II, 17, 5.), sed universa saepius poematia ex illius floribus compilavit, ut nisi tum epigrammatum ratio, semper in aculeum quendam abeuntium, tum ἐπιδεικτικὸν illud et in ostentationem fictum genus a veritate causarum remotum, tum vero etiam saeculi istius infantia et molesta hominis garrulitas obstaret, interpretem potius Propertii eum quam imitatorem diceres. Quo in genere carmina conferenda sunt, quae suis locis adscripsimus, partim iam ab Huschkio nobis indicata Anall. Br. XII. coll. Prop. I, 3. XVII. coll. Prop. I, 2. XX. Prop. II, 12. XXX. Prop. II, 15, 25. XXXII. Prop. II, 2, 1. sqq. XXXV. Prop. I, 9. init. Inferioribus autem Paullo saeculis evanuisse Propertii vestigia omnino videntur. Neque enim me movet, quod Isidorus Origg. XVIII, 4, 1. versum El. IV, 1, 13. excitat. Eundem enim versum cum iam Lactantius cum tribus aliis l. l. referat, quin ex hoc, non ex ipso Propertio, episcopus Hispalensis doctrinam suam hauserit, nequaquam dubito. At ne tertio decimo quidem saeculo Vincentius Bellovacensis, qui tot scriptores vel ipsos vel excerpta eorum versavit, et prodiga manu flores inde collectos per Specula doctrinale et historiale sparsit, aut Propertium aut Catullum nomine cognovit. Primus vero ex monasteriorum latebris eruisse poetam omnis humanioris disciplinae restitutor et vindex Franciscus Petrarcha videtur. Huius enim inter carmina vulgari idiomate scripta, qui inveniuntur versus (Triumph. Amor. cant. IV.):

Virgilio vidi e parmi intorno havesse
Compagni d'alto ingegnio e di trastullo
Di quei che volontier già'l mondo lesse
L'un era Ovidio e l'altro era Tibullo
L'altro Propertio che d'amor cantaro
Ferridamente e l'altro era Catullo —

hi autem versus quamvis etiam eam dubitationem admittant an forte fando solum de triumviris illis amatorii carminis compererit, Propertii tamen exemplum et habuisse eum et legisse testis Epistolarum ad viros quosdam ex veteribus illustriores scriptarum ad M. T. Ciceronem II. p. 781. ed. Basil. Henric. Petr. 1554. fol., ubi versus Propertii profert El. II, 34, 65. eodem quo nunc modo leguntur scriptos, qui tamen ab alio veterum, quantum sciam, servati non erant. Nec quisquam inter ea volumina, quae saevum aliquando patrem Petrarcha ipso iuvene combussisse scimus, Propertium fuisse aliqua veritatis specie coniiciat. Tum enim profecto Petrarcha, quo magis alter tali iactura dolere non poterat, eius poetae interitum deplorare non esset oblitus, quem et propter doctrinam et propter artis ingeniique similitudinem imprimis probare debebat. Quare ambigi non posse existimo, quin a Petrarcha et doctis eius amicis redditus semel huic luci Propertius iterum non perierit, sed descripta inde sedulo et propagata per Italiam exemplaria, aliaque mox retecta eius famam sustentaverint, donec sub finem saec. XV. typis exciperetur.

Caput V.

De libris Propertii manuscriptis.

Neque vero hanc nostram tantummodo coniecturam esse, sed rem citra omnem dubitationem positam ipsae librorum mss., qui etiamnunc extant, rationes satis docent. Quibus accuratius exploratis Alexandri ab Alexandro narratiunculam, qui (Geniall. Dierr. L. II. Cap. II. p. 240. ed. Lugd.) in cella vinaria inventum a Ioviano Pontano codicem corrosis paginis et labentibus litteris reliquorum omnium fontem fuisse tradidit, recantatatam deinde a Scaligero, Heinsio, Marklando, atque ab ipso Valckenario creditam, inane esse commentum apparebit. Recte enim Laur. Santenius iam Pontani temporibus Pucciani codicis ut vetustissimi mentionem fieri, admonuit. Testis vero imprimis unus est Neapolitanus codex, qui XIV. saeculum haud dubie excedit. Codicum vero reliquorum omnium tam insignes discrepantiae, ut omnes recens demum inventi unius libri cicatrices esse, nemo unquam sit

evicturus. Nam nominum prae ceteris corruptorum immania portenta (cf. Huschk. Anall. Litt. Lips. 1826. p. 34.) indoctas potius monachorum manus, quam cultioris saeculi stilum emendatorem redolent.

Ex uno autem omnes, quotquot innotuerunt, codd. mss. libro eoque iam corrupto fluxisse, ii loci testantur, qui cum sint manifesto depravati, aut prorsus consentientibus libris aut ita solum diversis exhibentur, ut ad antiquum mendum, a nullo vere correctum, necessario ducant. Cuius generis locus primarius est notissimus ille II, 24, 38. — *quamvis navita dives eram.* Ita enim pertinaciter in omnibus codd. haesit, ut vel cognomen poetae Nautam inde a librariis esse confictum plurimi haud absurde divinarent. Quamquam eiusmodi est error, ut a duobus librariis simul commissus esse non possit, nedum a tanta turba alias tam mire dissidente. Ad idem autem genus pertinet I, 1, 13., ubi aut psillus, aut psili, aut psillei legitur, quarum lectionum nulla facile bis ex vero nomine hylaei procudi potuit. Eadem causa I, 18, 9., ubi carmina omnes pro eo, quod verum esse Lipsius vidit, crimina; II, 1, 5. togis vel cogis pro coccis; II, 4, 18. per Medae; 5, 4. Aquilo; II, 13, 1. Etrusca; 32, 5. curva cett.; III, 7, 46. flere; 8, 4. gravida; 17, 36. fundet; III, 22, 3. inventa; ibid. 15. libri quamvis discrepantes ita consentiunt, ut in principe codice voci Ortygiae iam tertiam litteram subductam fuisse arguatur; IV, 4, 68. nefariis; IV, 7, 61. iam antiquus ille codex perperam in verba coniunxerit litteras necesse est haecce: qua quaerar ut unda Cybeles. Quibus exemplis cum simul appareat, corruptum non modo communem illum, quem indicavimus, fuisse fontem, verum ex parte etiam interpolatum, a nimia timiditate cavendum esse Propertii carmina recensituro sequitur, ne quis indigna poeta verba ingeniosis virorum dd. medicinis spretis anxie retinere et captiosis argumentis excusare laboret. Quamquam in contraria ratione mutandique licentia maius etiam esse vitium satis intelligo. Nam tradita per saecula codicum auctoritate ne ipsas quidem emendationes carere posse ii, qui falsa corrigunt, taciti confitentur. Unde enim emendandi subsidia repetant, nisi ex libris scriptis? Praeterea, cum unumquemque scriptorem suorum ipsius vulnerum optima praesto habere remedia aeque concedas, quomodo eosdem codices, quorum fide niti te in universum non diffitearis, singulis quibusque locis superbo vel levi animo despicere, erit consequens? Nisi forte prorsus desperati sunt libri scripti. Tum vero ne emendationi quidem locus erit.

Quod in Propertium nequaquam valet. Nam librarius is, qui vetus illud, de quo diximus, exemplar ex antiquiore etiam libro descripserit, incuria potius vel inscitia veri, quam novandi libidine peccavit, ut ex iisdem, quae supra posuimus, exemplis apparet. Itaque si semel vetustam illam scripturam, ultra quam recedere non est concessum, invenerimus, errores tamen facilius quam emendationes verum subodorari nos patiuntur. At neque antiqua illa ulcera nimis sunt multa, neque pristinae scripturae investigatio molestior. Nam cum codd. mss. alterum ex altero fluxisse ne semel quidem possis confidenter affirmare, cumque in certas quasi familias et sectas difficulter et raro tantum coeant, tamen ipsa haec discrepantia suum habet et proprium commodum. Eorum enim librorum, quos aut ipsi contulimus, aut quorum ab aliis institutam comparationem cum diligentia excripsimus, pars pleraque longe plurimas cicatrices librariorum ignorantia vel socordia accepit. Ubi vero etiam emendationibus turbatum est, in singulis verbis correctio saepissime subsistit, non totas sententias occupat. Speciosae autem doctrinae crimine quia Groninganus certe et Neapolitanus et Hamburgensis prorsus sunt absolvendi, Mentelianus et Leidensis II. raro rei agendi, nec vero etiam alter ex altero descriptus priores errores novis auxit, hoc efficitur, ut, compluribus librariis aliter atque aliter in describenda eadem voce errantibus, ipso diverso peccandi modo facilius verum divinetur, atque adeo interdum veluti rationibus subductis impetretur necessario. Quo fit ut tres quattuorve codices discrepantes nobis sint pro totidem aliorum conspirantium familiis. Atque de Groningano quidem Lachmannus rectissime videtur iudicasse, qui iam in editione Lips. p. IX. bonitate eum principatum inter libros Propertianos obtinere censet. Quem cum diligentissima Io. Schraderi manu ad exemplar Plantini excussum in editione Berolinensi exhibuit, hinc describere satis duximus. Huius autem codicis Broukhusio iudice non valde antiqui (cf. Praef. ed. Iacob. p. XV.) librarius ignorantia ceteris ita excellit, ut in nominibus praesertim propriis locorum et hominum immania vere portenta procuderit. Raro solum non litterarum ductu sed versuum numero auribus excepto longius aberravit, velut I, 3, 9. 44. 6, 10. 11, 13. 17, 26. II, 3, 36. 1, 41. 9, 38. III, 2, 17. 13, 31. Ubi tamen proprio Marte unum alterumve verbum immutare ausus est, ibi coniectura, quanto indoctior tanto innocentior, facillime deprehenditur, velut I, 9, 29. II, 28, 4. Itaque sub crudo quodammodo mendorum cortice veri scintillam solus, quamvis nescius, servavit, qua doctorum homi-

num manibus ventilata plurima lux obscuris Propertii locis affulsit, Lachmanno potissimum facem ministrante.

Groningano proximus et paene par habendus codex est Guelferbytanus, qui, si re vera idem est atque is, cuius nomine nunc venit, Neapolitanus, ab Heinsio Neapoli ad S. Ioannem Carbonarium visus, maxima cum festinantia a viro eximio collatus fuerit necesse est. Tam mira est inter Heinsii collationem et Guelferbytanum dissensio. Hunc autem librum, quamvis satis diligenter, ut par est, a Lachmanno comparatum, tamen cum insignis Schoenemanni, qui bibliothecae Ducali praefectus est, humanitas inspiciendum mihi concessisset, ab initio ad finem accurate iterum excussi, meaque excerpta cum Lachmanni adnotatis ita contendi, ut, quantum in rebus humanis, nunc quidem integrum eum librum commentariis nostris exhiberi, pro certo audeamus spondere. Codex autem hic, qui inter Gudianos n. 224. obtinet, est membranaceus, in quarto, quod aiunt, minore LXXI foliis praeter iacturam paginae unius ante finem proximae integer. Scriptus non ille quidem eleganter, sed satis perspicuis litteris, compendiis nec nimis multis, nec nisi vulgaribus. Lineae et in fronte paginarum et marginem utrumque stilo non nimio ductae tam tenues, ut plurima earum vestigia evanuerint. Litterae minusculae crassiores quam graciliores, stantes non inclinatae, et quae aetate libri XIII. saeculum iam a Lachmanno definitum neque excedere, neque infra descendere prodant. Litterae *n*, *i* et *u* ita uno tractu sunt exaratae, ut vix unda et nuda; iuno autem et vino, iuvit et vivit, noluit et nolint prorsus non possis dignoscere. Hinc, si quibusdam locis non idem quod Lachmannus pro diversa scriptura adnotavimus, aestimandum erit. Ceterum praeter haec verba: INCIPIT PPERTIUS omni inscriptione caret. Singuli libri ne spatio quidem discernuntur, neque carmina inscriptionibus, sed solis litteris initialibus, sat illis quidem a librario exornatis. A secunda manu, quamvis non ita recenti, nec multo quam ipse librarius vixit, inferiore, correctiones aliquot sunt maximam partem verae. Alia manus multo recentior et tenuiore litterarum tractu insignis in primo libro aliquas litteras cerussa expunxit, in reliquis libris carmina male cohaerentia dispescuit. Librarius quamvis non prorsus ignarus Latinae linguae, tamen historiarum rudissimus nec cetera nimis doctus fuit. Hoc non tam lapsus aliquot facile excusandi, quam nominum scriptiones, quibus cum Groningano interdum certat, deinde vero etiam loci certi testantur, ubi sententiae secarum litterarum ductus male imitatum esse eum patet. Apertius tamen,

qualis eius doctrina fuerit, inde licet coniicere, quod verba minus sibi nota in alia eaque magis vulgaria mutavit, etiamsi sensus prorsus pessumdaretur, ut I, 13, 13.: augere pro augure, I, 16, 18. extr.: iacent pro vacent, I, 20, 27.: corpore pro carpere, 20, 33.: subvertite pro sub vertice, II, 9, 38.: promitte pro promite. Adde II, 13, 30. 14. 16, 27. 19, 7. 24, 11. 32, 30. Idem de quibusdam nominibus valet, ut I, 15, 7.: et chois pro Eois, 19, 10. II, 33, 9.: humo pro Iuno, I, 20, 12. Hinc librarium non eum fuisse, qui inventas in priore exemplari scripturas, ut sententiae vel versui labanti subveniret, sponte et ingenio cedens mutaret, facile est ad perspiciendum. Itaque, etsi quaedam contrarium suadere possint, ut II, 26, 39. 23, 22. 28, 38., iam in vetustiore libro extitisse ea existimandum est, id quod paene semper aliorum librorum consensu alias discrepantium confirmatur.

Neapolitanum sequitur codex non ille quidem probitate aut vetustate sed cognatione proximus, cum Catullo et Tibullo in unum volumen coniunctus nec ab Heynio (praef. Tibull. p. XXV. ed. 4.) accurate descriptus, non multo saec. XV. antiquior, cuius collationem a Wendlero quondam in Barthii usum ad marg. Aldinae a. 1515. institutam (cf. praef. ad Prop. p. XXV.) nobis a Wernero, professore Zervestano, rara liberalitate muneri ultro concessam in commentariis criticis exhibuimus. Hic liber cum multis locis cum Neapolitano unus omnium consentiat, ut ex illo expressum credas, ut II, 23, 22.: iuverint pro capiant, II, 30, 19.: Non tamen immerito, ubi omnes alii habent: Num iam dura paras — quibus adde II, 25, 12. 26, 39. 28, 38. 1, 63. —: alii tamen loci liquido demonstrant, ab utroque idem aliquod exemplar descriptum, ut II, 34, 53., ubi N. habet restabit — omisso novissimo verbo: Dresd. sine sensu restabit aerumnas. Fac, in antiquissimo libro scriptum fuerit restaberit (sic) undas. Hinc eum, qui primus descripserit, fecisse restabiterundas. Cf. I, 16, 27. II, 32, 5. Quod qui concoquere non posset, Neapolitanus, extremum omisit, Dresdensis de versu securus aerumnas rescripsit; fuerunt denique, qui restabitur inde fingerent. Add. III, 5, 7. Ceterum librarius multo quam Neap. doctior non modo elegiarum argumenta addidit, erroresque, qui in altero illo deprehenduntur, evitavit, verum etiam quaedam pro lubitu mutavit, quae aut non intelligeret, aut falsa esse recte perspiceret. Sic IV, 9, 38. suscepta Neap. ex corrupto exemplari transcripsit, Dresd. quoniam metrum adversabatur, audacter in defensa mutavit. Add. I, 5, 13. 6, 3. II, 13, 22.

Sententias denique potius animo quam verba oculis secutus videtur, ut I, 1, 16. I, 7. fin. II, 6, 13. 28, 2. III, 1, 7. 3, 14. IV, 6, 74. 9, 52. Hinc novi errores orti. Nec tamen operae pretium non fecisse videmur, si discrepantias eius omnes descripserimus, quoniam collatis iis cum Neapolitani erroribus, quid in fonte communi uterque librarius invenerit, saepissime apparet. Cuius rei usus magis etiam elucesceret, nisi librarius Dresdensis interdum altero quoque codice adhibito suum exemplar emendasse videretur, ut III, 13, 48., ubi distichum illud Ovidianum exhibet, quod iam in Mentelianum irrepserat.

Tutior multo ab hac parte Hamburgensis, codex et ipse in Italia saec. XV. scriptus, forma quam aiunt in quarto minori, quem nunc in bibliotheca reipublicae Hamburgensis servatum Cornelius Muellerus utendum mihi humaniter concessit. Hic liber, quem Matthiae Corvini quondam fuisse doctus ille librariae praefectus suspicatur, nitide est scriptus, paucis compendiis, manu, quae saeculum antiquius imitari voluisse videatur; emendatus a sciolo, cuius correctiones plerumque sunt absurdae. Adiunctos habet Catullum et Tibullum eadem manu exaratos. Hic quamvis ita sit recens, ut in Tibullo Aurispae unum certe versum insertum habeat, tamen in Propertio emendandi conatibus prorsus est liber, sive religione librarii, sive, quod verisimilius, ignorantia. Sunt enim errores plurimi Neapolitani perquam similes. Cum eo autem fere consentit, ita tamen ut quae ille aut ipse librarii culpa peccaverit, aut errata iam ex antiquiore libro transtulerit, interdum vera exhibeat, alias idque multo saepius erret, ubi alter est emendatior. Saepius a Dresdensi dissidet, causa manifesta. Quod si ipsos eos, quos modo excitavimus, locos contendas, imprimis autem II, 23, 22. 25, 12. 26, 39. 28, 38. 30, 19. 1, 63. III, 5, 7. IV, 9, 38. — facile efficitur ut haec illorum librorum cognatio fuerit:



Quare trium horum consensum tanti faciendum existimavimus, ut si bonum sensum communis eorum scriptura praeberet, vel Groningano eam praeferremus.

Mentelianus liber, quem et Leidensis I. et Franciani II. et Broukhusii II. nomine ter comparatum esse Lachmannus docet, quemque Broukhusius saeculum XIV. facile excedere censet, modo cum Groningano, modo cum Neapolitano, tum vero etiam cum Dresdensi facit. Inter quos quamvis

plurimum Neapolitano favere videatur, tamen alias ita differt, ut ex eodem cum illo exemplari profectus esse nequaquam censendus sit, ne ipse quidem integer ab emendandi conatibus. Hunc sola Heinsii excerpta secuti, ne variis auctoritatibus obediendo lectorum oculos turbaremus, in commentariis dedimus.

Eiusdem fere naturae et probitatis Leidensis II. esse videtur, qui cum saepissime consentientem habet cognominem, eatenus differt, ut, ubi ille Neapolitano propior est, hic cum Groningano videatur stare. Eum quia non novimus unquam quidquam boni Propertio emendando attulisse, quod non ex alio quopiam cod. item redundasset: ex Burmanni commentariis exscribere supervacuum duximus, praesertim cum ille more suo nec omnes discrepantias exhibeat, nec satis tutas.

His addidi Heinsianum, negligentissime quidem scriptum, quique tam mire a ceteris discrepat, quantum praeter Palatinos alius nullus. Festinantia alia vitia orta, alia levitate librarii. Nam non prorsus litterarum rudem eum fuisse, et poetae sententias potius, quam singula verba spectasse multi errores produnt, ut, si II, 13, 12. dicta pro scripta, atque adeo II, 1, 45.: bovis pro tauris exhibet. Nec tamen omittere eum volui, tum, quod etiam errores eius interdum verum indicant, tum quod ab Heinsio ipso collatum totum exhibere nobis licuit. Semel etiam, si bene memini, aut solus, aut, si Burmanno fides, qui Heinsianum tacet, cum solo Borrichiano verum servavit IV, 5, 20. Plerumque autem cum Menteliano congruit, quamvis non ita, ut ex illo fluxisse eum affirmare audeam. Hunc eundem esse librum atque Francianum, quem Burmannus primi sui nomine excitat, Lachmannus vidit (praef. XIV.). Id quod plurimi loci, quibus uterque consentiens a ceteris discrepat, confirmant. Quamquam Burmannus hic non raro festinantiae arguendus est, qui plurimis locis iisque gravissimis Heinsianum afferat, suum taceat, ut I, 4, 8. 8, 36. ibid. 28. 9, 38., passim; alibi in altero suo esse ait, quod Heinsiano i. e. primo illius debetur, ut I, 13, 1., tum neutrum commemorat, ut I, 11, 12., rursusque Heinsianum citat, ubi Heinsius nihil adnotavit, ut I, 8, 9. 16, 8.

Heinsiano adiunxi excerpta Vossiani ab eodem Heinsio eidem exemplari adscripta. Hunc librum cum eundem esse, quem Burmannus Vossiani primi nomine appellat, imprimis El. IV, 9, 70. doceat, ubi solus cum Neapolitano habet: Hercule exterminium nescit, quibus locis adiungas licet I, 6, 17. 13, 6. 16, 34. 8, 9. — quanta in eo libro exprimendo socordia Burmannus usus sit, hoc erit argu-

mento, quod eiusdem nostri Vossiani verba modo secundi (I, 3, 6.), modo tertii (I, 3, 29. 9, 20. 13, 6. 18, 20.), modo etiam quarti (I, 7, 9.) nomine citat, saepissime etiam tantum Vossianum appellat (I, 11, 28. 13, 1. 18, 4.), atque adeo interdum ad Vossianum I. provocat, ubi Heinsii liber cognominis nequaquam addicit. Hunc vix longius abesse scripturae similitudine a Neapolitano, quam Dresdensem, multi demonstrant loci, quibus cum illo solus conspirat, reliquis mire discrepantibus, ut El. I, 5, 9., ubi in utroque est ruis — nostris et praeter IV, 9, 70., quo de loco modo commemoravimus, I, 18, 16. 20, 6. 13. 6, 5. 12, 18. II, 1, 11. III, 2, 3. IV, 1, 31. 7, 86. Hunc tanto magis omittere veritus sum, quod interdum unus veram scripturam servavit, ut I, 11, 38.

Et haec quidem de iis libris, de quibus certiorem sententiam, neque illam a reliquis viris doctis nimis discrepantem interponere nobis licebat, satis dicta sunto. De exemplari autem Perreiano et excerptis Puccianis, quorum fata varia praefationibus Santenii et Iacobi sunt exposita, cum nec prioribus editoribus, nec Lachmanno, qui primus excerpta Puccii integra in Iacobi usum descripsit, nec ipsi Iacobo certum esse iudicium viderem, eo accuratius inquirere decrevi, quod horum natura perspecta de iis quoque codicibus, qui Italorum nomine vulgo despici solent, rectius potuit iudicari. Nam si ea sequeremur, quae Puccius editioni Regiensi a se emendatae subscripsit, et Victorius insuper adnotavit, non dubitaremus quin omnia, quae in exemplari illo correxit, ex veteri Bernardini Vallae codice deprompserit. Primum enim vir, ut illo saeculo, perdoctus, apertas mendas, sive operarum vitio sive recte scribendi incuria, quae tunc maxima esse solebat, natas, tam diligenter expunxit, ut in omnibus suum codicem secutus esse nequaquam possit. Nullus enim liber manu exaratus, licet antiquissimus, talibus erroribus plane vacuus invenitur, quales ubique fere Puccius emendavit, ut I, 2, 3. oronthea R., I, 7, 13. assidue R. assiduae P., I, 10, 2. lachrymis R. lacrimis P. Adde ibid. 15. 20. 11, 4. 13, 4. 8. 24. 14, 22. 15, 2. 14. 20. 38. 16, 29. 30. 18, 19. et quae id genus sunt innumerabilia. Hinc igitur cum recte colligere videamur, ea, quae certa coniectura pro falsis habuisset, sola doctrina fretum eum sustulisse, tamen, ubi non solum verborum scriptio sed etiam sententia mutanda fuisset, religiosius codicis fidem observasse eum credas. Quamquam hac in causa tenues esse fines et anceps veri discrimen, unusquisque intelligit. Sed noluisse eum temere mutare, nisi liber addiceret, multi loci attestari

videntur. Sic I, 1, 10. Regiensis scripturam hyasidos non tangit, quamvis verum eum scire explicatio addita demonstret. Saepissime etiam servatis Reg. verbis coniecturam suam praemisso f. (forte) margini adscribit, ut I, 4, 4. 6, 17. 12, 19. 13, 15. 34. 15, 1. 16, 8. 18, 9. 20, 12. 47. Alias pro eadem littera est haec nota δ (sic), quam Iuvenatii librarius ex compendio vocis *vel* male intellecto videtur effinxisse. Nam III, 3, 45. aperte est vel. Pro eodem quibusdam locis est ꝑ (sic) i. e. pro, ut III, 23, 18. 25, 8. IV, 3, 59. 60. 9, 74. semel habet a. (sic): IV, 7, 30., cuius vim non intelligo. Adde IV, 8, 58. 9, 34. II, 8, 39. 23, 1. Eiusdem religionis testimonium esse videtur, quod hic illic quamvis correctis Reg. verbis tamen margini novam scriptionem addit, adiecto praeterea illo *forte*, ut I, 13, 8. Ꝙ, 29, 31. Paullo aliter II, 34, 29. 31, 11. III, 9, 45. 22, 3. IV, 10, 41. I, 13, 8. IV, 7, 2. Semel adeo verba in ordinem relata, in margine vero improbata e codice esse ipse ait, IV, 3, 47. At incerta haec fiunt omnia et fluxa eo, quod multis locis plane contrariam rationem eum secutum esse facile apparet. Nam primum, ubi veteris codicis scriptio aperte falsa ei videtur, suam coniecturam exemplari Regiensi inferre non dubitat. Sic statim I, 1, 13., quod Regiensis habet psili in hylaei corrigit, his verbis margini adscriptis: psillei v. c. sed lego hyllaei; item III, 22, 15. Hinc cum iam satis intelligatur, quam dubia sit correctionum fides, minorem adeo harum a codice esse auctoritatem, quam scripturae margini allitae, alia argumenta demonstrant. Primum enim interdum quaerere subit, sitne illud forte, etiam ubi nulla exemplaris Reg. litura ponatur, coniecturae signum, an solius modestiae, qua Puccius verba in v. c. inventa in ordinem tamen recipere vereatur. Certe plurimis locis hae emendationes aliorum codicum non ambiguo testimonio confirmantur, ut I, 4, 4. 6, 17. 13, 15. 34. 18, 9. III, 3, 45., passim. Huc accedit, quod multis locis, quamvis diversae codicis lectionis in margine meminerit, Regiensem tamen non emendavit, ut II, 1, 5. 3, 24. 8, 15, 13, 1. 15, 49. 22, 4. ibid. 6. 30, 35. 34, 12. III, 2, 1. 7, 22. 24, 19. IV, 1, 26. 3, 8. 4, 55. 5, 21. 56. 68. Semel etiam adscripta verba sibi non probari significat, IV, 11, 30. Quinimmo et f. et v. c. coniunctum invenimus II, 12, 1. Idem igitur factum iure censeamus, ubi Regiensi non castigata aliud verbum margini additur, nulla codicis mentione facta, ut I, 17, 15. 20, 33. II, 13, 25. 26, 15. 29, 34. 41. 30, 33. III, 19, 8. 13, 2. 20, 17. 23, 38. IV, 1, 125. 6, 83. Rursus, quominus correctionibus reiectis omnia, quae in margine posita

sunt, ex codice antiquo profecta esse existimemus, cum diversa, quam supra eum secutum esse vidimus, ratio impedit, tum, quod interdum, quamvis raro, ut IV, 1, 73. 6, 3. 7, 72. 9, 8. receptam e codice esse correcturam ipse testis est. Maiore contra fortasse iure ex silentio Puccii conficere posse tibi videaris, ut editio Reg. cum codice Bernardini Vallae conspiret. Nam et accuratissimum in emendando Puccium vidimus, et ad unguem omnia collata esse Victorius testatur. Praeterea ipse Puccius aliquot locis, ubi aliorum conatibus occurrendum esse censet, in Regiensi defendenda ad antiquum codicem provocat, ut II, 1, 47. Huc adde II, 13, 1. Sed quoniam hic ne acutissimis quidem oculis fides indubitata est, Puccius vero ex suo codice lectiones omni sensu carentes tam raro protulit (ut II, 32, 35. 34, 29.), quam in nullo libro ms. unquam inveniuntur, ab hac parte satis tutos esse nos nequaquam sequitur. Itaque omnis disquisitio eo abit, ut excerptis Puccianis ita tantum fidem habeamus, si disertis verbis ex antiquo codice hausta dicantur. Quae omnium emendationum nondum decima pars est. Neque igitur nos in earum descriptione tam diu morari sustinuissemus, nisi his demum cognitis de exemplari Perreiano, quod a Burmanno et Broukhusio inter gemmas criticas habitum, Lachmanno et Iacobo prae copiis illis Puccianis paene sordere videbatur, verius liceret iudicare. Nam Puccii emendationibus Perreium usum esse ipse in subscriptione Aldinae a. 1515. testatur. Passim praeterea in margine eius libri Puccii meminit eiusque interpretationes modo accuratius, modo contractius reddit, raro de suo nec ita multa addit. Haec quidem is, quem vere Perreium esse manus ipsa prodit. Nam recte Lachmannus (praef. edit. Iacob. p. XVI.) „Perreium non uno omnia tempore adscripsisse“ existimat, et „ita dissimilem esse scriptionem, ut aliquis duas etiam, nisi plures manus agnoscere possit“ iudicat. Quod autem addit, singula quaeque a qua manu descripta sint, non facile dici: in Propertio certe non equidem prorsus assentior. Nam et tres omnino manus haud ita difficulter discernas, et dummodo oculorum aciem identidem intendas, singula ubique recte ut distribuas, vix verendum est. Nam ea, quam certo esse Perreii manum nomen subscriptum testatur, breves exhibet et rotundos et paene pingues χαρακτῆρας, in primis Propertii libris atramento satis nigro, in ultimo libro et in Tibullo autem subrufo. Altera manus litteris procerulis et tenuibus, sed certo calamo ductis, atramento ob antiquitatem fusco. Tertia denique minuta, gracilis, inconstans, atramento pallido. Hanc Perreii non esse facillime patet; nec

multum, unde sit, scire refert, cum pauca eius sint scripta, nec valde memorabilia, ut I, 2, 13.: „persudent id est quasdam quasi sudoris bullas erumpant.“ Cf. I, 3, 16. I, 4. init., quae Iacobus excerpta exhibuit. Puccium is, qui illa scripsit, noverat, nam interdum eum appellat, et quae Perreius omiserat, supplet, unde simul ut aetate inferior fuerit, sequitur. De secunda manu multo gravior est quaestio. Huius enim est emendationum ex cod. vet. exhibitarum pars longe maxima. Antiquiorem autem esse reliquis, certis indiciis proditur. Nam et p. 120. paginis aqua superfusis litterae hae dilutae, Perreii contra scripta super siccata iterum charta clare leguntur; et ubi plura verba ab utraque manu exhibentur, antiquior illa, ut consentaneum, commodiorem marginis partem occupat, ut tenuis saepe limes iuxta relictus scriptura recentiore impleatur. Quid multa? Perrei subscriptiones, Tibullo et Propertio additae, superimpositae sunt aliis verbis rasura maxime deletis, quae tamen in Tibullo revocare nobis contigit. Sunt autem antiquiore item manu scripta haecce:

Correctus ex codic. lectionibus antiquis ex
Annotationibus variis ex
pirrhi ex
codicibus Tribus. Pontanj; Venturij et leontinj ex
Diomedjs guid. com. et Plantij. et ex cod. Comparinj.

Super haec post lituram Perreius scripsit:

Recognovi ego Antonius Perreius collatis emendatissimis et vetustissimis Romae et Florentiae codicibus anno 1528.

Denique El. II, 32. init. his verbis manu antiqua conceptis: „Finis huius et principium insequentis elegiae desideratur“ — Perreius subscripsit: „haud dubie“ — et non raro emendationem iam propositam iisdem verbis repetitam (ut III, 7, 1. 11, 14.) in Puccii codice aut apud Ubaldinum (ut II, 32, 5.) vel Cremonensem episcopum (II, 7, 13.) inveniri ait. Utut est, hoc certum, lectiones illas, quamvis saepissime cum Puccii emendationibus conveniant, non, ut hucusque omnes critici censuerunt, maximam partem ex eius excerptis haustas esse, sed ne minimam quidem. Primum enim non modo multas correctionum Puccianarum non habet, sed plurima ita illis contraria, ut Perreio multa addenda vel supplenda relinqueret. Porro, duos eum libros, nec plures simul contulisse inde cogitur, quod ad finem El. III, 2. adnotavit: „in altero coniuncta, in altero disiuncta est elegia.“ Horum librorum unum fuisse Pontani, nomen huius litteratoris interdum appositum testatur. Hic autem si

forte libro suo, sive ms., sive editioni a se interpolatae, emendationes intulerat, mirari non possumus, quod interdum ab emendatore antiquo alios aliter legere adnotatur, atque adeo semel tres discrepantiae commemorantur (III, 22, 15.), quarum tamen prima sola veteris codicis nota (v. c.) insignitur. Praeterea, cum ceteris quoque locis omnibus unum dumtaxat veterem codicem afferri, unumque aliorum scripturis oppositum videamus, non absurdum fuerit coniicere, manuscriptum librum, quem veterem appellaret, re vera unum modo fuisse, reliqua ex Pontani scidis hausta. Hoc confirmatur El. II, 7., quam cum emendator interstitio dispescuisset, postea adscripsit: una in veteri codice, et iis locis, quibus Pontanus veteri libro opponitur, ut II, 13, 1., ubi Etrusca v. c. Hyra Pon. Eum autem librum non fuisse Puccii, non modo ex eius nominis silentio efficias, sed multo certius etiam hinc, quod III, 13, 37., ubi antiquiore manu correctum erat lentas, altera, quae Perreii est, additum: laetas puc. c. Idem factum II, 12, 18. 23. III, 3. fin. et ante libri III. elegiam extremam. Itaque antiquioris manus discrepantias sedulo enotavimus, et ubicunque hanc notam Perr. adscripsimus, hunc veterem exemplaris Perreiani emendatorem intelligi voluimus. Perreii vero ipsius, cum praeter eos quos supra attulimus locos, et quosdam alios, ubi Beroaldum citat, solius Puccii emendationes afferat, raro mentionem fecimus. Quod eos admonitos volumus, qui nostram editionem cum Iacobi et Broukhusii sint comparaturi. Ceterum hoc memoratu non indignum, aliquoties (El. II, 22. init. I, 20, 47. II, 20, 8. III, 13, 32. IV, 1, 26. 81. 6, 45.) ad ea verba, quae ex Puccii copiis fluxisse verborum consensus persuadet, hanc notam: pis. adscriptam esse. Qua Pisani nomen significari constat, siquidem in Catulli emendationibus eadem manu exaratis p. 9.ª plenis litteris scribitur: In codice Pisani sic est emendatum cett. Pisani vero codicem eundem atque Puccii fuisse, satis compertum habemus. Nam in editione Catulli Vicentina anni 1481., cuius collationem Maria Bandinius Santenio curavit (cf. epistol. eius Florentiae a. 1782. scriptam, ab Huschkio in Anall. litt. p. 349. una cum specimine adnotationum editam) idem ille Pisanus post varias correctiones et interpretationes sua manu scriptas haec in calce subiicit: „Bernardinus Pisanus haec adnotabat brumalibus vigiliis collatis aliis exemplaribus secutus fidem probatissimi, qui fuit Francisci Puccii Litterarum Laude insignis anno 1522."

Iam vero si quaeratur, num forte eorum librorum, quorum notitia aliunde ad nos pertinuit, Perreiani emendatoris

codex fuerit, ultro se ille offert, cuius discrepantiae ad editionem Gryphii 1573. ab Heinsio collatae Vaticani secundi nomine hic illic a Burmanno proferuntur. Hic enim liber quin ipse ille codex vetus sit, nemo dubitabit, qui scripturam utramque usquequaque consentientem consideraverit. Sunt enim primi libri loci, quibus a Burmanno Vatic. II. adhibetur, hi: I, 1, 23. 16. 4, 4. 19. 27. 5, 9. 6, 7. 19. 20. 21. 32. 7, 16. 19. 8, 19. 8, 25. 19. 31. 34. 10, 9. 15. 11, 11. 17. 21. 12, 19. 13, 8. 23, 34. 15, 1. 16, 22. 31. 19, 5. 20, 17. 51. Quibus locis omnibus, cum ad amussim quodammodo uterque liber quadret, vix commemoratione dignae videntur leves differentiae vel Heinsii vel Perreiani librarii lapsu sine dubio natae, ut I, 1, 13. ubi Vat. Psilleus, Perr. Psillus; 14, 13. Vatic. nova gaudia, ubi Perr. nihil adnotat; 20, 33. ubi Vat. Argantonini, Perr. alteri margini arganto, alteri in adscripsit. Qua comparatione hoc apparet, antiquas exemplaris Perr. notas etiam tum, cum veteris libri mentionem non faciunt, ex cod. ms. sumptas esse, satisque, ut in rebus humanis, tutam esse earum fidem. Praeterea autem ea, quam supra de Puccii excerptis sententiam tulimus, egregie firmatur. Nam cum multis locis eius emendationes a Perreianis differant, plurimis tamen consentiunt; semper autem tum conspirant, cum Puccius quoque ad veterem librum provocat. Quare, quin hic ipse idem atque Perreianus v. c., qui et Vaticanus II. Heinsii fuerit, ambigi non potest. Uterque igitur Vaticano usus est, ita tamen, ut librarius Perreianus nuda poneret eius verba, raro, nec nisi nomine addito, Pontani aliorumve correctiones, cum Puccius contra editioni Regiensi modo codicis scripturas inferret, modo sua inventa, et eas ipsas, quas liber praeberet discrepantias, saepissime cum dubitatione proderet, quasi suae essent coniecturae; rarissime tantum pro magno emendationum numero v. c. notam adderet. Quo tamen multo socordius Perreius ipse egit, qui opera secunda Puccii adnotationes, quousque eas margo libri caperet, editioni Aldinae sine indicio allineret, et, cum coniecturas etiam plurimas, quas ille modestius protulit, v. c. pucc. nota insignire non vereretur, et excerptorum Puccianorum et Heinsiani exemplaris fidem omnem primus suspectam redderet. Sequitur autem hinc, ut Lachmannus, si hanc libri Perreiani et codicis Vaticani rationem perspexisset, minus iniquum de Vaticanis omnibus laturus fuerit iudicium, quos cum omnibus licentius ab emendatoribus habitos esse censeat (p. XII. ed. Lips.), Bernardini tamen Vallae codicem, quem ipsum Vati-

canum II. esse vidimus, egregium fuisse iudicat (ibid. p. XI. et p. XIV. Iacob.), et unde vel per corruptum excerptorum Puccianorum rivulum plurimum boni ad emendandum Propertium affluxerit. Sed Lachmannum summa Burmanni in citando negligentia fefellit. Quod non suspicor sed certo compertum habeo. Nam ut corruptum Vaticanum eumque Pontani hariolationibus corruptum demonstret, p. 142. ed. Lips. ad El. III, 3, 1. (i. e. II, 13, 1.) Itura, quod a Pontano inventum Ant. Perreius narret, a Burmanno ex Vaticano II. excitari ait, „ut illis libris quae habenda sit fides, videas.“ At hoc quidem loco Burmannus non Vaticani fidem, quae incorrupta est, sed suam ipsius suspectissimam reddit. Eadem enim in adnotatione Vaticanum secundum bis ponit, et cum in fine id, quod Lachmannus affert, Pontani inventum ei tribuat, statim ab initio inter eos libros eum recenset, qui etrusca legant, quod in v. c. esse emendator exemplaris Perreiani asseverat. Huius autem libri si de fide et pretio quaeritur, inter summa, quibus carminum Propertianorum restitutio debetur, praesidia censendum eum esse arbitror. Quamvis enim interpolationibus minime sit exemptus, tantum tamen abest, ut vetustatis ubique auctoritate careat, ut librarius locos desperatos, quales in suo exemplari invenerat, vel quales legere sibi visus erat, sine sensu exscribat, ut I, 8, 25. 11, 11. II, 19, 3. II, 25. extr. all., id quod saepius etiam eventurum fuisse credo, si aut Perreius omnia protulisset, aut Puccius aliud quaesiisset, nisi ut quam emendatissimum Propertium exhiberet. Coniecturis autem et mutationibus cum ne Groninganum quidem aut Neapolitanum prorsus esse liberos supra viderimus, hoc interest, ut illorum inventa rudia sint saepissime et inepta, hic multa habeat, quae elegantia et vera doctrina admodum blandiantur. Quod si quis veritati indagandae obesse potius quam prodesse opinetur; haud equidem illud infitiarer, nisi alii quoque codices eiusmodi locis suppetias ferrent. At nunc ipsae medicinae, quas liber Bernardini Vallae iis adhibet, corruptos saepissime locos iam in eo codice fuisse demonstrant, ultra quem recedere vetamur. Cf. ad El. III, 9, 45. Rursus, quoniam ita plerumque a reliquis, quos supra recensuimus, differt, ut cognatus cum iis, nisi prima origine, existimari nequaquam possit: ubi tamen cum uno alterove eorum conspirat, etiamsi reliqui dissentiant, verum hoc esse, aut si alias ob causas corruptum videatur, ut certe cautius coniectura utamur, admonet. Neque ego memini, me unquam, ubi cum Groningano aut cum Neapolitano aut etiam cum Menteliano quamvis solus faceret, auctoritatem eius renuisse, nisi error erat apertus. Saepe

etiam unus omnium verum tenet. Atque haec quidem de libri ἀμφηρίστου auctoritate et virtute satis sint dicta.

De reliquis autem, quorum discrepantiae ab interpretibus superioribus, Broukhusio imprimis et Burmanno, passim adnotatae sunt, certam sententiam ferre veremur, ut qui aut rarius commemorentur, quam ut comparationi accuratae sufficiant, aut, cum duo vel plures sunt cognomines, vulgo pro illius temporis ratione confundantur. Itaque nec de Guarneriano et Bononiensi Vulpii, quos vitiosissimos omnium esse censet Lachmannus (praef. XI.), nec de Regiis et Colbertinis duobus, quorum collationem Gallaeus Broukhusio curavit, nec de Vossianis illis, quos supra diximus, nec de Dorvillianis quidquam nobis constat. Quod eo magis dolemus, quia Regium II. non modo semel unum omnium veritatis vestigia quaedam servasse, et ubi reliqui pro hylaei — psili vel psilei exhibeant, Illiaci praebere (I, 1, 13.), sed semel etiam (IV, 8, 23.), si fides Burmanno, eundem solum pro vulgata stribligine verum dedisse videmus. Colbertinus autem II. cum duobus Dorvillianis in singulari librorum et quidem bipartito dissensu El. II, 3, 32. Groningani partes tuentur. Vaticanorum autem quinque ab Heinsio ad editionem Gryphianam comparatorum primus, quamvis plurimis locis cum secundo consentiat, tamen a docto interpolatore (verum enim solus perspexit IV, 4, 78.) mala multa passus facile arguitur, ut IV, 8, 23. Quintus autem nimis raro, tertius et quartus rarius etiam commemorantur. His praeterea coniunctissima Colotii sunt excerpta, sive ex uno libro, sive ex pluribus facta, quae eidem Heinsio debentur. Quamvis enim singularia habeant et doctissimi sane interpolatoris commenta (ut IV, 7, 61.), tamen saepissime sola cum Perreio faciunt, ut II, 8, 34. 13, 25. vel Vaticani I. docta mendacia recinunt, ut IV, 8, 23. semel etiam, quod idem codex aut verum servavit, aut perditum restituit IV, 4, 78.: immundos pedes — sola cum eo retinent. Quare Lachmannus, nisi Vaticanos, nullos Colotio visos esse libros recte iudicat. Nam quod semel cum solis Scaligeranis verum servant (II, 4, 18.): Iosephum Scaligerum usum esse libro Vaticano ipse testatur, qui quidem Heinsio auctore (ad exemplar Perreianum) El. II, 1. semel adscripsit: „Non habetur in Vaticano." De ipsis autem Scaligeri excerptis ut iam dicamus: ne ea quidem, quamvis Heinsii manu adnotata, ad hanc editionem exprimere tutum habuimus. Nam non unius tantum codicis Vaticani discrepantias, sed promiscuas complurium scripturas, ii loci testantur, ubi excerpta cum eo libro mire consentiunt,

quem Valentiae Cavarum a Cuiacio acceptum recensioni suae se adhibuisse ipse Scaliger narrat Castigg. in Prop. p. 168. 179. Sed ne coniecturarum quidem expertes eas notas esse crediderim, si quidem locis infinitis non simplex verbum sed adscripto „vel" positum est, interdum etiam duo, ut El. I, 2, 16.: Telaira vel Ilaira. Quod quidem certo licet affirmare de iis discrepantiis, ubi pro nota S. plenius Scal. scriptum est, et de iis adnotationibus, quae, primo potissimum libro, manu subtili et nitida, longe ab Heinsii diversa, allitae in eodem exemplari leguntur. Hic enim coniecturas a Scaligero iam in editione Parisina occupatas iterum propositas passim invenies. Ceterum vel Cuiacianum codicem, quamvis a docto homine interpolatum, tamen, quoniam cum servatorum nullo identidem conspirat, neque ad ullam familiam redigi potest, interdum praebere, quae haud temere spernas, consentaneum est. Itaque El. II, 28, 53. sub unius huius litteris, quamvis manifesto falsis, verum latere suspicati sumus.

De Burmanni autem codice altero, Askewiano, Harleiano, Memmiano Passeratii, Mureti denique libro recentissimo non habeo cur Lachmanno obloquar, qui nihil fere boni ex iis, nisi aliquot Italorum coniecturas ingeniosas in Propertium redundasse ait. Cf. ad I, 13, 17. 15, 29. Id quod audentius etiam de Borrichiano libro proloquor, cuius collationem Graevii munere habuit Broukhusius, Broukhusii rursus manu scriptum *ἀπόγραφον* Burmannus contulit. Hunc enim librum fine demum saeculi XV. et post Beroaldum exaratum esse, et alia multa evincunt, et quod inter foedissimas cicatrices eum locum, cuius medicinam interpretes illius aetatis Itali primi invenerunt, II, 24, 38. iam persanatum exhibet. Eorum porro librorum, quos Gebhardus contulit, papyraceus, quem et Palatinum priorem et codicem Palatinum, nullo adiecto numero, appellat (cf. II, 15, 49. p. 188. 189.), plerisque locis, quibus quidem de utriusque scriptura satis constat, cum Borrichiano consentit, creberrimis interpolationibus vitiatus. Quamquam hunc vincunt corruptione membranae, quas Palatini II. nomine idem Gebhardus contendit, ipsae cedentes libro Commeliano, quem Gruterus cum Gebhardo communicavit, ita a docto viro interpolatum, ut vix unquam fides ei sit habenda. Grasseri denique liber, ad quem expressum exemplar Lugduni 1607., satis emendatus esset habendus, nisi „veterem codicem, quo in celebrioribus Galliae et Angliae bibliothecis meliorem deprehendere non potuisse se", ille gloriatur, aut omnino ementitum, aut passim et pro lubito ab editore

correctam esse, unaquaeque pagina argueret. Livineii autem Vaticanus, qui nihil cum Heinsianis quinque commune habet, quemque eundem atque Lipsii codicem post Broukhusium (ad I, 7, 17. cf. Lips. Varr. Lectt. III, 3.) Lachmannus animadvertit (praef. XIII. coll. Livin. I, 11, 11. Lips. Antiq. Lectt. IV, 11.), ab ipso eius promo condo (Nott. in Propert. p. 45.) „nec antiquus nec probus" appellatur. Neque vero de Fulvii Ursini et Farnesiano codice aut de Venantii Lupacchini, Guilelmi Vlamingii, Thuaneo Guyeti nihil certi me scire cum Lachmanno fateri dubito.

Restant codices Berolinenses duo, quorum comparatione meum librum ditassem, nisi Spikeri errore et ipse deceptus sero de iis rescivissem, primis huius editionis paginis iam prelo subactis. Quamquam non nimium fructus inde percepturum me fuisse, specimen collationis, librum I. et libri II. elegias septemdecim primas recensionis Scaligeri amplectens, quod Bernhardyus anno 1825. a se institutum amicissime in meum usum mihi concessit, satis potest docere. Hanc enim notitiam ille utrique collationi praefixit:

„V. Cod. membran. form. oct. olim ducis de la Vallière eadem manu, qua Catullus descriptus, in fine: Nonis Iunias (sic) MCCCCLXXXI. Incipit Propertii Aurelii Nautae poetae elegiarum liber primus ad Tullum." „A. Cod. papyr. ex bibl. Askewiana n. 408. emptus a Santenio a. 1785. form. quarta sine indicio anni; fortasse saec. XIV. (?)."

Vallerianus praeter lapsus nonnullos festinantia librarii natos, qui statim deprehenduntur, paucissima habet propria. Nam rasuris frequentibus et correctionibus variis turbatus, modo hunc modo illum propius exprimit (sic Neap. I, 5, 9. 16, 22. II, 6, 11. 13, 18. Groning. I, 2, 13.), saepissime vero Italos; ut facile appareat, non ad unum exemplar descriptum eum esse sed plurium comparatione conflatum. Quae ipse librarius proprio Marte ausus est, ea subabsurda fere sunt, et ne doctae quidem interpolationis laudem auferunt, ut I, 9, 31.: salices pro silices; II, 6, 18.: extremos pro hibernos. Audacior is fuit, quamvis nihilo felicior, qui curis secundis librum retractavit, ut qui non modo suo ingenio fretus talia rescriberet, quale est I, 20, 34. Bithinias pro Thyniasin, sed frequenter etiam ex Askewiano, ut videtur, hauriret; velut I, 17, 27.: libens; I, 4, 14.: nullis d. a.; II, 1, 5.: vidi.

Askewianus, idem ille, cuius excerpta Burmannus negligentissime in commentariis exhibuit, maiora subiit pericula. Nam cum pariter atque Vallerianus in partes abeat

maxime diversas (El. I, 5, 9. enim Neapolitani stribliginem servat; II, 9, 2. unus cum Groning. facit), tam docta tamen manu est recensitus et passim refictus, ut perlustranti ea commenta non raro Heinsiani ingenii in mentem veniat, ut I, 3, 44.: esse in pro saepe in; 4, 1.: numerando pro laudando; 16.: fallis utrumque pro fallis uterque; 5, 17.: loquenti pro querenti; 6, 17.: contraria pro sibi debita; 16, 24.: dolat pro dolet; 18, 23.: nostris curis pro nobis curas; 20, 29.: subducitur pro secluditur; II, 1, 5.: vidi pro cogis; 2, 16.: tempora pro secula. Quinimmo cum huius viri inventis mirum in modum convenit I, 3, 34., ubi nixa pro fixa; 46., ubi meta pro cura, et I, 4, 13., ubi nullis pro multis, etiam cum Burmanno. At ne hinc quidquam auctoritatis illis coniecturis accedere opineris, plurimi sunt loci, qui corruptum iam, unde hauserit, fontem et irrita emendationum experimenta testantur, ut I, 11, 11.: temperandis pro Teuthrantis; I, 20, 2.: sive ubi amena pro sive Aniena; I, 20, 33.: argenti phege pro Arganthi Pege; II, 1, 6.: decora pro e choa; 53.: graviter pro gramine; II, 3, 22.: carminaque liricis pro carminaque Erinnes; ibid. 24.: strepuit pro sternuit. Animo potius quam oculis exemplar suum perlustrantis librarii testimonium El. I, 3, 14., ubi Venus pro Amor. Quibus exemplis unum hunc omnium maxime interpolatum esse librum declaratur. Quodsi aliquoties aut verum dederit, aut non procul certe a vero aberraverit, ut I, 2, 13., ubi perfundent habet, non pluris tamen ea facienda sunt, quam cuiuslibet primorum editorum castigationes. Ceterum, quantum quidem ex socordi Vossianorum codicum collatione apud Burmannum colligere licet, cum quarto eius nominis in maxima reliquorum discrepantia ita consentit, ut aut idem cum illo, aut alter alterius *ἀπόγραφον* fuerit, necessario efficiatur, velut I, 3, 4.: Venus pro Amor; I, 16, 24.: dolat; II, 1, 5.: vidi pro cogis; II, 3, 22.: carminaque liricis. Unde etiam I, 6, 17. pro quarto tertium Vossianum falso a Burmanno excitatum colligo.

Caput VI.

De editionibus Propertii.

Primas editiones codd. mss. veteribus pares pretio existimare, ut in universum discrimine non caret, sic in Propertio aperte falsa est ratio. Nam non modo coniecturas in ordinem receptas, quae tamen accuratius intuentem raro fallunt,

sed quod magis etiam divae criticae fraudem facit, pluribus codicibus adhibitis consarcinatos esse a primis editoribus libros, certum est. At ne casu quidem fortuito perditorum codd. scripturas, quae aliquo in pretio essent, servatas ab illis memini, neque ex emendationibus multus fructus colligitur: ita, quidquid ubique boni praebent, iam a Pontano, Puccio, emendatore Perreii, interceptum est. Neque igitur Regiensis editionis discrepantiam tam ob ipsum librum, quam propter Puccii adnotationem exscribere iuvabat. Quamquam, qui ob eam causam Italorum ingenia despiceret, maxime esset ingratus. Nam in ipso illo cultus humanioris et renascentium ex tantis tenebris litterarum antiquarum diluculo quod bonis artibus praestiterunt, ingens est meritum. Ita enim antiquitati non subseciva modo studiorum tempora, sed totam vitam accommodabant, ut deos illos propius quam nos contingere visi, et, quasi ipso spiritu antiquitatis auram vitalem ducerent, non via et ratione progressi, sed felicis cuiusdam ingenii veluti instinctu verum divinarent. Quodsi ea, quae primis post renatas litteras saeculis usque ad Muretum in Propertio aut coniectura emendatum, aut ex melioribus libris sensim restitutum est, cum mendis relictis comparaveris, horum perquam minutum esse numerum confitearis. Quod manifestius etiam apparebit, si earum editionum seriem, quae ex una Vincentina anni 1481. fluxerunt, accuratius perlustraveris. Huius enim editionis, quam a Calphurnio curatam falso Venetae 1487. nomine, qualis nulla unquam fuit, a Burmanno comparatam esse Santenius docet (praef. XII.), Brixiensis (anni 1486.) vestigia premit; non, uti Barthius censet, Regiensis Lepidi. Nam eam potius ex Veneta 1475., quam Burmannus primam vocat, ad singula verba descriptam esse, abunde declarant hi loci: I, 1, 9. 17. 22. 24. 28. 30. 31. 34. 2, 2. 7. 9. 13. 15. 25. 3, 16. 18. 30. 37. 43. 4, 14. 21. 5, 4. 15. 6, 4. 17. 32. 7, 7. 16. 8, 7. 14. 22. 25. 9, 11. 34. 10, 25. 30. 12, 9. 15, 1. 20, 12. — ubi solos saepe hos duos libros miro modo inter se ac plerumque etiam cum cod. Leid. II. consentire, a Vicentina vero et Aldinis vehementer discrepare animadvertes. Contra Volscum propius abesse a Regiensi quam a reliquis, facilis est observatio. Sed Brixiensem sequitur Veneta 1493., quam proxime accedit altera Veneta 1500., „emendatiorum librorum ope ab Hieronymo Avancio castigata.“ Eidem autem viro debentur Aldinae a. 1502. et 1515. Has paucis immutatis descripsit Colinaeus (Paris. 1543.), ad cuius exemplar Scaligeri recensionem esse institutam Barthius docuit (praef. p. XLII.).

Longe autem inter principes illos editores tam ingenio, quam doctrina eminet Beroaldus, cuius liber optime illius temporis morem illustrare potest. Nam interdum lemmata commentariorum a verbis in ordinem receptis ita discrepant, ut aliud exemplar typis describendum dedisse eum, in aliud commentarios scripsisse, plane appareat. Sic I, 1, 12. psili in carmine, psilei in comment.; I, 8, 20.: orithos — oricos; 25.: autariis — atraciis. Adde I, 10, 27. 15, 19. all. plurima, et Volscum I, 4, 25. Attamen, qui ideo eum librum utique codd. mss. vice haberet, magnopere ille erraret. Nam Beroaldus aliis libris adhibitis nunc carmina ipsa emendabat, nunc indicato tantum, quod probaret, tamen, quod falsum crederet, retinebat, ut I, 20, 4. 12. Quinimmo coniecturas suas interdum in ordinem recepit, ut falsas non raro et nimium audaces (velut I, 8, 25.) ita plerumque satis ingeniosas, saepissime etiam unice veras. Nam El. I, 15, 33. II, 3, 22. 24, 39. 30, 18. III, 3, 45. 22, 37. 24, 19. IV, 1, 146. 6, 3., cum in omnibus, qui etiamnunc comparent, codd. corruptissima legantur, huic primo restitutio habetur accepta. Unde quid eius curis Propertius debeat, satis apparet. Sed inter ea quoque, quae minore successu tentata sunt, tamen, quia eruditionem et ingenii indolem testantur, commemoratione digna videntur El. II, 32, 5. III, 9, 12. II, 13, 1. III, 9, 44. IV, 3, 8. III, 8, 39. II, 34, 29. IV, 6, 8. 5, 34. Longo autem intervallo a Beroaldo distat Volscus, quem qui satis, ut illo tempore, doctum existimarunt, primam eius editionem Romae ab Euchario Silber impressam a. 1482. cum altera Veneta, commentariis instructa, a. 1488. per Andream de Paltaschicis impressa, videntur confudisse. Cuius confusionis manifesti sunt Broukhusius et Burmannus El. II, 13, 1. 3, 22. atque etiam, quod mireris, Lachmannus, ab illis deceptus IV, 6, 3. Sed hos errores longe vincit causa errorum, ipsius Volsci impudentia, qui cum legisse se Beroaldi commentarios non dissimulat, neque unquam compilare eum veretur, hoc ipso loco illius inventum ut suum fetum iactitat. Cf. praeterea II, 2, 32., ubi v. Lachmann. Volscus igitur, et ingenio et eruditione longe Beroaldo inferior, etsi interdum verum vidit, velut II, 26, 39. III, 13, 2. — tamen plurima ita habet absurda, ut vix iniqua videatur Mureti de eo sententia, qui El. I, 7, 16. „tale“ eius esse ait commentum, „ut si fatuis et insulsis declarationibus praemium aliquod positum esset, id Volscus hac una fretus sine controversia, diis hominibusque plaudentibus, ablaturus fuisse videatur.“ Sed, ut diximus, multa illi saeculo condonanda,

et cum in Puccio (cf. I, 18, 9. II, 8, 39.), Pontano (v. ad II, 13, 1.), editoribus Aldinarum (velut III, 6, 9.), tum in Beroaldo non modo coniectandi facilitas admiranda, sed commentariorum etiam doctrina uberrima. Quam quod ita super auctorem suum quodammodo effundere solebant, ut non hunc illustrandi causa scripsisse, sed ut iis tamquam grata occasione usi esse viderentur, qua omnia, quae scirent, commode possent explicare: illius temporis studiis accommodata erat ea ratio et ad auditores antiquarum artium rudissimos praecipuis variarum rerum notitiis imbuendos minime inutilis. Itaque inter haec prima studiosi saeculi experimenta, antiquitatis scientia magis gliscente, ars critica eos profectus fecit, ut, quamvis castigationum loco dubia multa, multa aperte falsa reciperentur, semper tamen emendatior Propertius prodiret, et qui iam legi et paene intelligi posset. Hos autem conatus, supra iustos fines saepissime evagantes, primus compescuit Muretus, elegans vir et pulchri sensu haud spernendo praeditus, quique plus superioribus interpretibus temperare sibi iam didicisset. Itaque cum recisis, quae ad rem non pertinerent, superfluis doctrinae quasi sarmentis, ad unum Propertium illustrandum se converterit, primus merito habetur, qui verus poetae interpres possit haberi. Multo vero minus idem inveniendo valuit, et languescere in eo priorum temporum coniectandi alacritatem non iniuria dixeris, siquidem emendationum, quae ingenio eius deberentur, unam modo (IV, 11, 50.) commemoratione dignam invenisse me memini. Atque revera saeculum, doctrina sua securum, partis opibus iamiam obdormiscere coeperat. Itaque novis conatibus erat excitandum, et tota vi denuo in criticam incumbendum. Hoc unum opus esse acutissime Scaliger perspexit, quo simul, qui magis illi muneri par esset, nemo poterat inveniri. At hic, cum de integro prorsus sibi agendum et tum demum, cum codd. accurate comparatorum auctoritate desereretur, ad coniecturas confugiendum sibi esse, optime animadverteret, tamen, quia et ipse libris satis corruptis utebatur, et damnosae illi Alexandri ab Alexandro fabulae fidem nimis credulus habebat, mox omnia ingenio licere opinatus, tanta in dispescendis et transponendis carminum laciniis audacia est grassatus, ut Propertium foedius quam Bacchae Pentheum dilacerasse videretur. Atque haec quidem vulnera, quae ne duobus quidem saeculis integris coierunt, paucorum dierum spatio poetae sunt inflicta, siquidem ipse praef. p. 3.: „Deum“, inquit, „testem laudo, ne integrum quidem mensem in illis tribus poetis recensendis impendimus.“ Sed quamvis eius viri licentia plus

quam insequentium interpretum ullus Propertio damnum attulerit, plus tamen ei attulisse emolumenti, quam ullum superiorum, haudquaquam infitiandum est. Nam ut de librorum mss. auctoritate toties restituta taceam, indubitatae sunt eius coniecturae, quibus etiamnunc plurimos locos persanatos legimus, ut III, 8, 11. 17, 36. IV, 7, 61. 8, 37. 9, 34. 11, 30. Quantum vero aequales et minores eius doctrinam non modo probaverint, sed admirati sint, cum exemplaria, quae novo eius ordine recepto usque ad hanc nostram memoriam exprimi non desierunt, et propriam quasi quandam effecerunt editionum familiam, tum ipsius liber toties per illud saeculum recusus, affatim declarant. Quinque enim, non quattuor, ut vulgo fertur, editiones recensere nobis contigit, quarum prima Parisiis prodiit hac inscriptione:

> Catullí Tibulli Properti nova editio. Iosephus Scaliger Iul. Caesaris F. recensuit. Eiusdem in eosdem Castigationum liber. Ad Cl. Puteanum consiliarium Regium in suprema Curia Parisiensi. Lutetiae. Apud Mamertum Patissonium, in officina Rob. Stephani M.D.LXXVII. cum Privilegio Regio 8.

Poetas ipsos excipiunt castigationes singulari titulo et nova paginarum serie insignitae. Novam editionem appellatam esse, non quo prior ab eodem Scaligero prodiisset altera, sed quia de integro recensendum poetam sibi sumpsisset, recte Paldamus animadvertit. Hanc sequitur altera Antverpiae apud Aegidium Radaeum 1582. 8. Mureti commentariis aucta, ceteroquin accurate ad prioris exemplar expressa. In tertia vero editione, quae Heidelbergae in Bibliopolio Commeliniano 1600. 8. excusa est, eodem, quo priores duae titulo inscripta, castigationum loci plurimi ab ipso Scaligero vel emendati vel aucti deprehenduntur. Eandem refert quarta, Lugduni apud Anthonium de Harsy 1607. 8. sed forma minima. Quinta denique tertiam utique exprimit, nisi quod typis Iacobi Stoehr excusa 12., quam dicunt, forma prodiit 1622.

Similem ei, quam in Scaligero probavimus, studiorum rationem aequales secuti sunt, quamvis multo timidiores illo. Inter quos non pauca debentur Douzis, filio imprimis, cuius editio ex officina Plantiniana exiit L. B. 1592. 12. (cf. ad El. III, 3, 42.), Turnebo (in Adverss.; cf. ad El. IV, 8, 39.), Fruterio (Epistoll. a Gabbema collectis; cf. ad El. III, 8, 29.), Scriverio (cf. III, 9, 44.), Palmerio (in Spicilegio; cf. Passerat. ad El. III, 8, 29.), Lipsio (Varr. Lectt.; cf. ad El. I, 16, 8. 18, 9. III, 9, 38.), et ei, qui primus post Scaligerum ad emendandum illustrandumque Propertium se accinxit, Livineio. Huius enim

editio, cum morte auctoris (a. 1599.) esset intercepta, primum a Gebhardo simul cum eius notis retractatis publici iuris facta est Francofurti in officina Wecheliana 1621. 8. Meritum eius non coniecturis cernitur (cf. tamen El. IV, 4, 65.), sed quod accuratius, quam eousque moris fuerat, codices contulit (Vaticanum et Pesthianum, qui est Groninganus), ut post eum Gebhardus in Palatinis duobus fecit (Hanoviae apud Schleich. 1618. 8.), et Grasserus fecisse se certe gloriatur (Lugd. 1607. 16.). Omnium denique priorum interpretum et criticorum labores in unum corpus redacti sunt a Claudio Morello, Lutetiae 1604. fol. Utrumque vero eius aetatis studium et comparandi libros et emendandi pari sollertia subiit, pariterque in utroque excelluit N. Heinsius. Hic cum ingeniosus esset, ut qui maxime, ad eam tamen iam studiorum rationem processerat, quam etiamnunc philologorum quosdam unice amplecti videmus, ut non tam ad scriptorem quam emendatissimum praestandum, sed ingenii tantum exercendi causa et ad probandam aequalibus doctrinam veluti ludens tentaret coniecturas. Iam enim tum critica ars non instrumentum philologiae ad reliqua studia necessarium haberi coeperat, sed sua ipsius causa tamquam summus studiorum finis et terminus atque adeo tamquam ipsa philologia expetebatur. Quodsi ex speciosissimis Heinsii coniecturis, primum a Burmanno editis, unam tantum, ni fallor, recipere in ordinem sustinuimus, aetati hoc imputandum est, quae iure eum admirabatur, non viro.

Interim provectis doctrinae copiis et in immensum auctis, interpretatione nova opus erat et maturiori temporum captui accommodata. Hanc Passeratius scripsit (Paris. 1608. fol.), laborantem quidem multis superiorum saeculorum vitiis, sed quae per longissimos excursuum amfractus nunquam scriptoris sui obliviscitur. Hinc ad unum omnes, qui postea Propertium commentariis illustrarunt, tanquam ex largissimo fonte hauserunt, non semper habito, quem auctori doctrinae suae debebant, honore. Laudanda autem prae ceteris rara hominis simplicitas, quod nunquam difficultatem loci, quam extricare ipsi non contigit, tacendo praeterit. Laudanda item modestia, qua coniecturas suas non tamquam oracula legentibus obtrudit. Quamvis vero ipse saepe timidior inventis suis diffidat, multa tamen commentus est, quae nostri quoque critici non modo probarent, sed grati acciperent; cf. ad III, 6, 29. 9, 45. IV, 4, 68.

Sequuntur deinde tristia tempora et sterilia, quibus, ut omnes bonae artes, sic etiam Propertii lectio diu cessaret, nec, si Is. Vossium et Gronovium excipias, quidquam

bonae frugis ex alienis saltem studiis huc velut casu affluueret. Nam Gabbemae (Trai. ad Rhen. 1659. 8.), Graevii (ibid. 1680. 8.), Silvii (Paris. in us. Delph. 1685. 8.) editiones vix dignae sunt quae commemorentur. Una Broukhusii eminet (Amstelaed. apud Wetstenium 1702. 4.) nova Batavorum elegantia. Sed hic, cum in explicatione poetae multa recte viderit, Graeci tamen sermonis ignorantiam, quam in interprete Propertii minime feras, alienis artibus compensare frustra studuit. Nam sententiis e recentioribus etiam omnium nationum poetis undequaque excerptis dum luxuriatur, aliena multa admiscuit et rursus plurima, in quibus merito haerere debebat, omisit, superiorum editorum, quem minime decebat, invidiosus obtrectator. Ad rem criticam codices mss. et editiones veteres contulit ille quidem, nec tamen omnibus locis et his ipsis satis negligenter, in emendando vero nullam certam rationem secutus superiorum criticorum inventa, bona quaedam, plurima tamen falsa, recepit, modo neglexit utrumque, ne in partitione quidem carminum Scaligerum deserere ausus. Coniecturarum vero ipsius vix una aut altera ita probatur, ut aetatem tulerit. Quid multa? Sine invidia dici potest, opera eius hos libros nihilo emendatiores prodiisse, quam Scaliger eos reliquerit. Sed ita tamen ceteris, quae circa eadem tempora prodierunt, editionibus praestabat, Anglicanas dico duas, Cantabrigensem alteram (1702. 4.), alteram Londinatem de illa expressam (1715. 12.) atque Lugdunensem Batavorum (1743. 12.), quam rectius Parisinam dici Barthius demonstrat (praef. p. XLVIII.), ignotis auctoribus ortas omnes, ut exemplaria Broukhusii mox direpta post mortem editoris postumis observationibus aucta retractarentur. Quamquam is, qui huic editioni (a. 1727.) praefatus est, nescio quis homo gloriosus „Davidis Hoogstratani codice emendatiorem eam prodire“ falso iactat. Neque enim quidquam in carminibus mutatum, aut in commentariis ex eo libro adnotatum invenimus. Vulpio vero, qui contractis Passeratii et Broukhusii commentariis animadversiones perpetuas primus addidit (Patav. 1755. 2 voll. 4.), nihil poeta noster debet, nisi hoc forte meritum ei concesseris, quod saeculo eiusmodi deliciis assueto inter ditiores homines, et qui lautiores haberi vellent, studia Propertiana aleret, vel certe sustentaret. Nam cum in comparandis libris, in quibus suam diligentiam falso venditat, negligentissimus sit, in commentariis, nisi aliena scrinia compilat, garrulus vanus apparet et petulans, et, dum sales affectat, quibus omnino caret, absurdus. Qui quantum afuerit ut intelligendo, nedum interpretando antiquo poetae par esset,

si penitus cognoscere animus tibi est, lege adnotata ad El. II, 2, 27. 3, 17. Quocirca iure mireris, quod tam eximiis laudibus eum Barthius exornaverit, cuius editio Scaligeri confusione repudiata Lipsiae prodiit, 1778. 8. Sed hic, ut erat homo diligens, sobrius, frugi, ita unus omnium docuit, solam voluntatem et industriam non unicuique operi sufficere. Nam ingenii erat pariter atque venerum expers. Unde factum est ut, quamquam librorum varietatem sedulo excerpserat, ne semel quidem emendandi conatum fecerit. Interpretatio vero eius sterilis et exsanguis, interdum etiam miris erroribus obnoxia. Cf. ad El. III, 11, 40.

Iam vero tandem prodiit Burmanni opus diu expectatum et paene votis vocatum, nec tamen ab eo ipso superstite absolutum, sed ab amico Santenio in fine suppletum, Traiect. ad Rh. 1780. 4. Est ille re vera thesaurus stupendae eruditionis. Nam lectione infinita et studio immenso Burmannus omnes superiorum criticorum opes, codd. mss. et editiones vett. atque adeo multos libros excussit, qui sub incunabula artis typographicae editi hic illic locos Propertianos citatos exhibent; commentarios deinde omnes, et quae passim per libros doctorum dissipatae iacebant, observationes sub examen vocavit; praeterea inventa amicorum eruditorum, cum quibus perpetuum per litteras commercium ei fuisse non modo ipse liber editus, sed ditissimum libellorum mss. penu testatur, quod cum reliquis copiis Dezianis nunc bibliotheca Berolinensis tenet. His tamen opibus omnibus ad emendandum poetam raro, rarius etiam cum successu usus est. Nam doctrinae mole pressus in ipsa diligentia negligens videtur. Saepius, quam par est, librorum discrepantias non modo tacet, sed, quod peius est, perperam profert. Comparatione vero codd. inter se invicem instituta pretium singulorum recte aestimari, credidit potius quam exemplo demonstravit, nedum in certas familias digerendi periculum fecerit. Ab Heinsio, cuius ingenio immane quantum cesserit, emendandi tamen habuit cupidinem. Nec vero palam profiteri dubitavit, multa animi causa periclitatum esse se nova. Hoc adeo verum est, ut vix unquam curarit, quomodo carmina ipsa, super commentariis veluti natantia, scripta exhiberentur. Nam non solum multos locos, quos corruptos persuasum se habere non dissimulabat, intactos reliquit, sed etiam, quos vel ab aliis vel a se ipso certissima medicina persanatos confideret, depravatos, ut erant, legi passus est. Nullo autem modo perspici potest, quam emendandi legem sibi scripserit. Nam cum ab altera parte sit audacissimus, ita rursus pavidus auctoritatibus aliorum obtemperat, ut ne Scaligeri quidem

distributionem deserere conatus sit, quamquam sero eius rei poenituisse eum Santenius narrat. Praeterea, quanto superiores criticos doctrinae copia et laboris patientia vicit, tanto pulchri sensu et ingenio vel Broukhusio est inferior. Iis enim, quas ipse invenit, coniecturis, ne semel quidem emendatum esse Propertium memini. Quare omnis iste doctae farraginis acervus paucis sed aureis Hemsterhusii paginis mihi veneat, quibus Santenius eam editionem decoravit. Quamquam non negaverim, commentarium eum, ut lectori poetae studioso molestissimum, ita futuro editori utique necessarium esse. Consummatam enim continet materiam, unde editorum Propertianorum historia confici possit. Sed cum iudicii, quam significavimus, infirmitas et inconstantia impediret, quominus illis copiis ad recensenda carmina ipsa recte uteretur, similitudo quaedam nata est cum Beroaldi eiusque aequalium laboribus, quamvis mutato, ut consentaneum est, cum temporum rationibus consilio. Ut enim non poetae, sed sui ipsorum causa commentarii scripti esse videntur, ita tamen hic non infanti auditorio prima litterarum rudimenta dictantur, sed eruditis illius temporis viris doctrina editoris explicatur et approbatur. Itaque commentariorum potius priorum historiam vel criticam Burmannus scripsit, quam poetae. Quocum consilio cognatum alterum vitium, ea aetate perquam vulgare, ut in transcursu multos aliorum scriptorum locos emendare et explicare multis machinis conaretur, etiamsi ad illustrandam eam, quam tractaret, causam parum conferrent. Quod cum commune eius saeculi vitium esset, ne Marklandum quidem, qui editionem poetae nostri paraverat (cf. ad Stat. Silvv. IV, 6, 53. V, 2, 63. 113. 3, 61. 134. 199.), nimis ei profuturum fuisse crediderim. Hic enim, ut profecto iudicio, fortasse etiam sensu venusti, Burmanno praestabat, ita licentia vicit. Nam, si quantum ex ungue leonem, tantum ex emendationibus ad Statii Silvas hic illic dispersis licet iudicare, plurima satis ingeniose, nihil tamen adeo feliciter tentavit, quod recipiendum duxeris. Idem de Valckenario sentio, qui eodem, quo ille, modo anilem Alexandri fabulam eripi sibi non passus (cf. ad Callimach. eleg. frgm. p. 2.), quidlibet in castigando Propertio licere opinatus est.

Maiorem fortasse spem Santenius movere poterat, de quo tutius liceret iudicare, nisi in ultima omnium elegia Burmanni potius commentandi genus exprimere, quam suam rationem sequi maluisset (cf. praef. p. II.). Santenium autem etiam post Burmannum editionem molitum esse omnibus copiis instructam, ex litteris mss. bibliothecae Diezianae apparet.

Hic etiam praeter disquisitiones Alberti et Coletii, de quibus L. I. Cap. I. rettulimus, epistolae extant Valckenarii, Wassenberghii, Hoeufftii, Eldykii, quibus frequenti commercio subitos emendandi conatus communicarent, vel de communicatis censuram agerent. Inter quas Hoeufftii commentarios perditos esse doleremus, nisi ambitu magis quam probitate eminuisse eos codicilli testarentur, in quibus Santenius multas eius explicationes redarguit, nec raro latinitatem, qua socordius ille utebatur, castigat, interdum etiam inventa probat. At ne Eldykii quidem coniecturas, de quibus Santenius mitius sentiebat, Ruhnkenius magnopere probavit. Sunt enim plurima audaciora, quam quae ingeniosa possis dicere. Ita codicum vestigia deserunt. Nec certius quid de Wassenberghio ausim affirmare, quem novam editionem cum brevibus annotationibus, ad Graecos maxime Propertii fontes illustrandos instituisse, specimen ms. futuri libri declarat (El. I, 1. 2. usque ad v. 11.), cuius in eorum locorum interpretatione meminerimus. Fonteinii observationes magni fecit Huschkius (Epist. crit. p. 2. p. 64.), qui eas a Santenio habebat. Quo magis dolemus, quod cum edendi ei facta esset potestas, aliis curis exinde intentus munus illud neglexit. Quid enim Huschkius praestiturus fuerit, si totum se ad Propertium applicuisset, satis et Analecta eius demonstrant, tam critica, quam litteraria, et Tibullus, et epistola illa, quamvis ambitu exigua, qua primum Graecorum comparatione Umbrum poetam illustrare coeperat. In hoc enim viro multa eruditio sagacitate animi et elegantia non mediocri, tum vero etiam lepore quodam iucundo ita erat temperata, ut iam una illa disquisitio, qua El. III, 9, 48. emendavit, perfectum testetur criticum. Nonnulla etiam operae haud spernendae post Burmannum Chr. Bachius periclitatus est, Epistola crit. ad Eichstadium missa Goth. 1812. 8. Sed nescio qua mala avi acciderit, ut plus quam triginta annos nova recensio frustra sit expectata, interpretatio vero, quae provectis his studiis digna videretur, usque ad haec tempora. Nam Kuinoelium tacere melius est, ne alucinantis compilatoris foeda incuria nobis bilem, lectoribus taedium moveat. Qui adeo non solum doctrinae expers, sed Latinae linguae rudis fuit, ut ne transscriptas quidem ex alienis opibus observationes ipse intelligeret. Cuius rei exemplum immane dedimus ad El. IV, 8, 44. Neque igitur aut Kaebelii aut Strombeckii interpretationes Germanicae, quae Barthianam maxime, i. e. Gottingensem editionem a. 1762. referunt, certis quasi fundamentis niti poterant, nec I. H. Vossius, qui interpretationem

anno demum 1830. inter postuma opera editam iam a. 1811. absolverat, plus quam subitariam emendando Propertio operam navavit. Cuius tamen notas mss. ab Abrahamo filio editas (in Horreo Philol. et Paedag. III, 3. a. 1835. p. 470. sqq.) in nostros commentarios recipere non dubitavimus, tum propter meritam gravissimi viri auctoritatem, tum quod miro interdum modo Lachmanni inventa confirmant. Huic vero ipsi quid Propertius debeat, verbis digne dici vix potest. Quot enim locis libros mss. in iura neglecta restituerit, quot primus vitiosos esse perspexerit, quantis medicinam indubitatam adhibuerit, una quaeque nostri commentarii pagina testatur. Quid multa? Primus omnium perspexit, unicam Propertii salutem ex accurata codicum aestimatione esse sperandam, his demum fontibus diligenter exploratis et inter se comparatis recte intelligi, quae singulorum sit fides, ubi ad ingenii subsidia confugiendum, qui loci obelo notandi. Quodsi in priore illa editione Lipsiensi (a. 1816.) ardore iuvenili abreptus multa ingeniosius quam verius tentavit, adeo ut Weicherto (de C. Helvio poeta, in Poett. Latt. rell. p. 160. n. 10.) audacia Scaligerum aequasse videretur, nobis vero non modo in carminum distributione et in secundi libri partitione, sed multis etiam aliis locis obviam ei eundum esset: tantum tamen abest ut hoc illius laudi officere credamus, ut multo dignius quam officiosae laudationum ineptiae nostram viri summi admirationem testificetur. Neque enim illud obscurum ingenii indicium esse existimo, si cuius etiam errores tanta veritatis specie blandiantur, ut adversarius omnibus, qualescunque sibi praesto sint, eruditionis copiis arcessitis tum demum verum secure possessurum se tacitus confiteatur, cum tanti viri auctoritati fuerit ereptum. Neque ego nunc illam operam supervacuam esse aut inanem crediderim, quia Lachmannus ipse in altera editione Berolinensi (a. 1829.) ita omnia retractaverit, ut ex audaci timidus paene factus nimii codicum obsequii videretur reus agendus. Quamquam enim omne eius libri consilium haudquaquam me perspicere fateor, tamen, quoniam plurima, quae palmariis conlecturis sustulisse videbatur menda, vel quae acerrime certe impugnaverat, nullis rationibus additis iterum in ordinem reposuit, atque adeo apertos saepe librariorum errores sciens ita intactos reliquit, ut ego olim editionem eam operarum vitiis pullulare opinarer (Annall. Hall. 1830. N. 130. p. 1039.), cum sit ab hac parte purgatissima: sic existimare tutissimum nunc duxi, quasi privatis usibus maxime destinata, ideo solum publici iuris facta sit, ut, quae esset optimorum codicum conditio accuratius quam antea perspiceretur. Neque

igitur, si qua scriptura nuper recepta magis mihi quam priores probaretur, has non redarguere me debere credidi, praesertim cum non pauca eiusmodi in Iacobi editionem (Lips. 1827. 8.) transierint, quae nunc, ut par est, plurimorum manibus versatur. Hic enim vir, qui primus a iuvenili Lachmanni audacia paullulum recedendum sibi esse vidit, brevi sua sed elegantissima annotatione plurimis locis pristinam scripturam Propertio feliciter vindicavit, multas Lachmanni coniecturas novis firmamentis fulsit, nonnulla etiam satis ingeniose tentavit: ut verbo dicam, ita critici munere functus est, ut nihil in eo mutatum velles, nisi, quod raro hac tempestate dicere contingit, nimiam modestiam. Nam cum in dividendo libro II. et in distribuendis carminibus saepius, quam debebat, Lachmanno est obsecutus, tum suas etiam ipsius emendationes non modo probabiles, sed quas veras esse quovis pretio spondere poterat (ut El. II, 34, 53. III, 7, 46. IV, 3, 8.), in carminum seriem recipere veritus est. Ceterorum vero, qui post Lachmannum Propertii aut interpretandi aut edendi munus vel totum amplexi sunt, vel partem certe administraverunt, plurimum deberi Iacobsio [1]), Beckero [2]), Bachio [3]) censeo, multo minus Webero [4]), pauca editioni Paldami [5]), qui tamen aliquanto plus postea in libello de Eroticis Romanis praestitit, Gruppio [6]) vero et I. H. Bormansio [7]) — nihil.

1) Florileg. poett. Latt. Ienae 1826. 8. — 2) Elegeia Romana. Servestae 1827. 8. — 3) De ingenio elegiae Romanae. Goth. 1823. 8. — 4) In Corp. poett. Latt. Francof. ad M. 1833. fol. — 5) Hal. 1827. 8. — 6) Cf. Annall. Hall. l. l. — 7) I. H. Bormans. in acad. Gand. prof. extraord. Prodromus Animadversionum ad Sex. Aurelii Propertii Eleg. l. IV. et novae simul editionis specimen. Lovanii 1836. 8.

(Halis, formis expressum Ploetzianis.)

Corrigenda.

p. 32. v. 43. pro: II, 12, 1. lege: II, 12, 13.
p. 79. v. 17. pro: cuique lege: quaque.
p. 80. v. 30. pro: aliusque l. illiusque.
p. 83. v. 17. pro: Elegia l. Elegiae.
p. 106. v. 24. pro: dissoluto l. dissoluta.
p. 112. v. 35. pro: est, si l. est; sin.
p. 125. v. 21. pro: artis l. certis.
p. 143. v. 9. pro: mihi l. tibi, pro: meis l. venit.
p. 149. v. 8. inter usui et saepe insere: adeo.
p. 151. v. 34. pro: nimis l. minus.
p. 152. v. 39. pro: incertum l. incestum.
p. 153. v. 13. pro: commentari l. commutari.
— v. 24. pro: rationes l. rationis.
p. 157. v. 35. pro: orantes l. ovantes.
p. 158. v. 21. pro: suis l. senis.
p. 161. v. 35. pro: amice l. amici.
p. 162. v. 30. pro: excepta l. excerpta.
p. 164. v. 21. post: Lachmanno adde mutatum.
p. 172. v. 21. et 23. pro: versa l. versu.
p. 175. v. 28. pro: illis l. ille.
p. 193. v. 8. post: proxima punctum dele.
p. 199. v. 5. post: Πάλας punctum dele.
— v. 6. pro: Hoc l. hoc.
— v. 20. pro: quam l. quae.
p. 211. v. 23. pro: Amor l. amore.
p. 221. v. 10. ante: meo adde: at.
p. 231. v. 6. pro: Ferridamente l. Fervidamente.
— v. 11. pro: seriptarum l. scriptarum.
p. 234. v. 21. ante: marginem adde: ad.
— v. 22. pro: nimio l. minio.
— v. 24. pro: aetate l. aetatem.
p. 235. v. 17. post: codex insere: Dresdensis.
p. 249. v. 20. pro: emendatum l. emendata.
— v. 21. pro: restitutum est l. restituta sunt.
p. 253. v. 6. pro: Pesthianum l. Posthianum.

SEX. AURELII PROPERTII

ELEGIARUM

LIBRI QUATTUOR.

CODICIBUS PARTIM DENUO COLLATIS, PARTIM NUNC PRIMUM EXCUSSIS RECENSUIT, LIBRORUM MSS. GRONINGANI, GUELFERBYTANI, HAMBURGENSIS, DRESDENSIS, VOSSIANI, HEINSIANI, EDITIONIS REGIENSIS, EXCERPTORUM PUCCII, EXEMPLARIS PERREIANI DISCREPANTIAS INTEGRAS

ADDIDIT,

QUAESTIONUM PROPERTIANARUM LIBRIS TRIBUS ET COMMENTARIIS

ILLUSTRAVIT

GUIL. AD. B. HERTZBERG,
PH. DR.

TOMUS II.

PROPERTII CARMINA CUM DISCREPANTIA LIBRORUM MSS. CONTINENS.

HALIS,
SUMPTIBUS I. F. LIPPERTI ET SCHMIDTI.
MDCCCXLIV.

Praefatio.

En tibi, lector, alteram partem libelli, quem iam nascentem fata immitia haud prorsus vulgari modo vexaverunt. Nam dum incendio tristissimo absumptum reficio et quam primum huic luci reddere viribus intentioribus nitor, mala hercle avi accidit, ut primum variis negotiis curisque turbatus, quales longis itineribus et patria mutata oriri innumerabiles solent, tum vero gravi valetudine et gravioribus hac aerumnis domesticis afflictus, labores toties instauratos denuo intermittere cogerer. Qua in re cum neminem his studiis aliquatenus saltem versatum ignoraturum esse existimem, quanto sit difficilius interrupta contexere, quam absolvere instituta, veniam a prudentibus non mihi magis expetere, quam librariorum honestissimorum vice postulare atque flagitare volui. Ita viri illi optimi in consiliis meis iuvandis paratissimam mihi facilitatem et comitatem, raras hac aetate virtutes, omni tempore praestiterunt. Qui ne diutius vanis promissis

duxisse exspectantes falso viderentur, has duas operis particulas iam ante annum absolutas et prelo partim iam tunc subactas, seorsum nunc Ianum spectare iussi, quas tertium, quod restat volumen commentarios amplexurum propediem, sub ipso mercatu verno, excipiet. Tu vero interim, lector benevole, ut coepto libro faustiora, quam quibus primum conditus est, omina adnuas, vehementer cupio. Vale.

D. Elbingae ipsis Kal. Ianuariis

MDCCCXLIV.

Sex. Aurelii Propertii Elegiarum

Libri quattuor.

Index notarum.

G. codex Groninganus. *N.* Neapolitanus, qui nunc Guelferbytanus. *Hb.* Hamburgensis. *r.* Editio Regiensis a Lepido a. 1481., quae sic semper, minore littera, notatur, si quid a Puccio (*P.*) in ordine verborum mutatum est: sin minus, maiuscula *R.* Idem in Aldina 1515. (*a.*) observavi, ad cuius marginem codd. Vossianus (*V.*), Heinsianus (*H.*), Mentelianus (*M.*), ab Heinsio sunt excussi, Dresdensis (*D.*) a Wendlero, cuique emendator Perreianus (*Perr.*) excerpta codicis antiqui apposuit. Qui omnes ubicunque Aldinae non refragantur, *A.* scriptum invenies.

SEX. AURELII PROPERTII ELEGIARUM

LIBER PRIMUS.

CYNTHIA.

MONOBIBLOS.

I.

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
  Contactum nullis ante cupidinibus.
Tum mihi constantis deiecit lumina fastus
  Et caput impositis pressit Amor pedibus,
Donec me docuit castas odisse puellas
  Improbus, et nullo vivere consilio:
Et mihi iam toto furor hic non deficit anno,
  Cum tamen adversos cogor habere deos.
Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores
  Saevitiam durae contudit Iasidos.
Nam modo Partheniis amens errabat in antris,
  Ibat et hirsutas ille videre feras:

LIBRORUM DISCREPANTIAE.

Tit. Propertii nautae mevan. umbri cynthia *G.*, Propertii Aurelii nautae poetae clarissimi Elegiarum liber primus. ad Tullum *r.*, Incipit Monobyblos Propertii Aurelii nautae *P.*, Incipit Propertius *N.*, Incipit Monobiblos Propertii. Aurelii. Naute ad Tullum foeliciter *Hb.*

Lib. primus. El. I, 1. Cinthia *Hb.* 3. Tunc *Hb.* 4. impoctis *Hb.* 5. castas docuit *H. V.* eidisse (*sic*) *Hb.* 6. vincere *M.* 7. totis-annis *H. Hb. V.* 8. Quom *R.* cogar *H.* 9. Minalion *G. N. P. H. V. D. M. Hb.*, Mimalion *r. a.* 10. Seviciam *N.* hysiados *G.*, yasidos *pr. m. Hb. N.*, hyasidos *R.* 11. Iam *H.* 12. hyrsutas *pr. m. N.*, irsutas *Hb.*

Ille etiam Hylaei percussus vulnere rami
Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.
Ergo velocem potuit domuisse puellam:
Tantum in amore preces et benefacta valent! —
In me tardus Amor non ullas cogitat artes,
Nec meminit notas, ut prius, ire vias.
At vos, deductae quibus est fallacia lunae
Et labor in magicis sacra piare focis,
En agedum dominae mentem convertite nostrae,
Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis et sidera et amnes
Posse Cytaines ducere carminibus.
Aut vos, qui sero lapsum revocatis, amici,
Quaerite non sani pectoris auxilia.
Fortiter et ferrum, saevos patiemur et ignes,
Sit modo libertas, quae velit ira, loqui.
Ferte per extremas gentes, et ferte per undas,
Qua non ulla meum femina norit iter.
Vos remanete, quibus facili Deus annuit aure,
Sitis et in tuto semper amore pares.
In me nostra Venus noctes exercet amaras,
Et nullo vacuus tempore defit amor.
Hoc, moneo, vitate malum: sua quemque moretur
Cura, neque assueto mutet amore locum.
Quod si quis monitis tardas adverterit aures,
Heu referet quanto verba dolore mea!

13. psilli *N. D. V. M.*, psili *G. Hb. r.*, psilei *a.*, psyli *H.*, psillei *v. c. P.*, psillus *Perr.* vulnere] arbore *Hb.*, pondere *D.* 14. Sautius *r. Hb.* archadiis *N.* 17. nonnullas *Hb. H. V. M. a.*, non ullas *D.*, non nullas *N.* 19. 20. *Hb. omittit.* subductae *H. M.* 20. sachra *G.* 21. age dum *R.* 22. mea *m. pr. N.* placeat ire *Hb.* modo *r.* 23. nobis *M.* sydera *A. R.* 24. cythalinis *N. m. pr.*, cythainis *m. s.*, cytheinis *R*,, cithalinis *Hb.*, citeinis *a.*, cytalinis *V.*, citallinis *D.*, cytallinis *G.* 25. At *G.*, Et *N. R. A.* seros *r.* 28. illa *r.*, ire *V.* 29. et *om. G.* 30. nulla *V.* nouit *D.* 31. annuet *r. a.*, annuit *H. V. M. D.* aura *f. P. Perr.* 33. noctes] voces *Hb.* 34. Ut *H. M.* desit *H. M. r. N. pr.* 35. vitare *H. M.* 36. a sueto *M.* 38. Seu *H.* refert *a.*

II.

Quid iuvat ornato procedere, vita, capillo
Et tenues Coa veste movere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha
Teque peregrinis vendere muneribus?
Naturaeque decus mercato perdere cultu,
Nec sinere in propriis membra nitere bonis?
Crede mihi, non ulla tuae est medicina figurae:
Nudus Amor formae non amat artificem.
Aspice, quos summittit humus formosa colores:
Ut veniant hederae sponte sua melius,
Surgat et in solis formosius arbutus antris,
Et sciat indociles currere lympha vias.
Litora nativis praelucent picta lapillis,
Et volucres nulla dulcius arte canunt.
Non sic Leucippis succendit Castora Phoebe,
Pollucem cultu non Hilaira soror,
Non Idae et cupido quondam discordia Phoebo
Eueni patriis filia litoribus:
Nec Phrygium falso traxit candore maritum
Avecta externis Hippodamia rotis:
Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
Qualis Apelleis est color in tabulis.
Non illis studium vulgo conquirere amantes:
Illis ampla satis forma pudicitia.
Non ego nunc vereor ne sim tibi vilior istis:

II, 1. vincta *M.*, victa *Hb.* 2. choa *G. N. pr. Hb,* 4. orontheа *Gr. N. R. Hb.*, orontaea *P.* murra *N.*, mitra *Hb.* 5. pendere *G.* 7. tua est *N.* tuae-figurae est *a.* 9. quot *M.*, quod *r.* summittat *N. a. Hb.* colore *r.* 10. Et *omnes, praeter Perr.* 12. in dociles *r.* 13. persuadent *N. D. H. V. M. Hb.*, collucent *G.*, pellucent *a.* pacta *Hb.* 14. canant *H. D.* 15. phaebae *N.* 16. cultu] curru *D.* telaria *N. pr. m.*, ilaira *m. s.*, telaira *Hb.*, thelaira *G.*, thelayra *A. r.* 17. Nonida *r.*, ida *H. M. D. in marg.*, yda *Hb.*, Ide *P.* phaebo *N.* 18. Evenit *r. Hb.*, Et venit *N. pr. m.* 19. Non *G. V.* phrigium *Hb.* 20. Advecta *D. V.* ippodamia *N. pr. m.*, yppodamia *Hb.* 21. faties *N.* 22. appellaeis *N.* 23. acquirere *Hb.* 24. forma *s.* ampla pudicicia *Hb.* 25. nunc] non *N. sed a pr. m. corr.*

Uni si qua placet, culta puella sat est;
Cum tibi praesertim Phoebus sua carmina donet
Aoniamque libens Calliopea lyram,
Unica nec desit iucundis gratia verbis,
Omnia, quaeque Venus, quaeque Minerva probat.
His tu semper eris nostrae gratissima vitae,
Taedia dum miserae sint tibi luxuriae.

III.

Qualis Thesea iacuit cedente carina
Languida desertis Cnosia litoribus,
Qualis et accubuit primo Cepheia somno
Libera iam duris cotibus Andromede,
Nec minus assiduis Edonis fessa choreis
Qualis in herboso concidit Apidano:
Talis visa mihi mollem spirare quietem
Cynthia non certis nixa caput manibus,
Ebria cum multo traherem vestigia Baccho,
Et quaterent sera nocte facem pueri.
Hanc ego, nondum etiam sensus deperditus omnes,
Molliter impresso conor adire toro:
Et quamvis duplici correptum ardore iuberent
Hac Amor hac Liber, durus uterque deus,
Subiecto leviter positam temptare lacerto,
Osculaque admota sumere et arma manu,
Non tamen ausus eram dominae turbare quietem,
Expertae metuens iurgia saevitiae,
Sed sic intentis haerebam fixus ocellis,
Argus ut ignotis cornibus Inachidos.

26. culta] una *Hb.* 27. Quom *D. H. R.* phebus *N.* 29. iocundis *G. N. V. Hb.*, iucundus *r.* verbis] dictis *V.* 31. nostra *r.* 32. misere *r.*

III, 2. gnosia *omnes, P. correxit.* 3. cephia *pr. m. N.*, cepheya *Hb.* 4. coctibus *Hb.* 5. aedonis *G. R. Hb.* 6. appidano *omnes praeter D.* 7. sperare *V. M. N. sed in margine eadem m. corr.* 9. suspiria *G.* bacho *N.* 11. nundum *N. Hb.*, mundum *r.* omnis *D.* 12. thoro *R. A.* 15. tentare *R. A.* 16. summe *M.* et *om. G.* 18. Ex parte *r.* seviciae *N.* 19. occellis *Hb.* 20. conibus *R.*

Et modo solvebam nostra de fronte corollas
Ponebamque tuis, Cynthia, temporibus,
Et modo gaudebam lapsos formare capillos,
Nunc furtiva cavis poma dabam manibus,
Omniaque ingrato largibar munera somno,
Munera de prono saepe voluta sinu.
Et quotiens raro duxti suspiria motu,
Obstupui vano credulus auspicio,
Ne qua tibi insolitos portarent visa timores,
Neve quis invitam cogeret esse suam.
Donec diversas percurrens luna fenestras,
Luna moraturis sedula luminibus,
Compositos levibus radiis patefecit ocellos.
Sic ait, in molli fixa toro cubitum,
„Tandem te nostro referens iniuria lecto
Alterius clausis expulit e foribus?
Namque ubi longa meae consumpsti tempora noctis,
Languidus exactis, hei mihi, sideribus?
O utinam tales perducas, improbe, noctes,
Me miseram quales semper habere iubes!
Nam modo purpureo fallebam stamine somnum,
Rursus et Orpheae carmine, fessa, lyrae:
Interdum leviter mecum deserta querebar
Externo longas saepe in amore moras,
Dum me iucundis lapsam sopor impulit alis.
Illa fuit lacrimis ultima cura meis.“

IV.

Quid mihi tam multas laudando, Basse, puellas
Mutatum domina cogis abire mea?

21. corallas *R.* 24. Tunc *H.* canis *r.* *Hb.* 25. sompno *N.* 27. duxit *N. Hb. H. V. M. D.* 28. vino *M.* 29. sibi *V.* in solitos *r.* 30. inventam *G. r.* 31. praecurrens *N.* 34. thoro *N. et sic semper.* 37. consumpsi *M. Hb. r.*, consumpsisti *H.* 38. ex actis *Hb.* ei michi *N. et* michi *semper pr. m.* 41. purpureum *G.* 42. carmina *D.* 43. graviter *a.*, leviter *D. Perr.* 44. vias *G.* 45. iocundis *N. G. R. Hb.* lassam *D.* sapor *N. pr. m.* inpulit *G. R. N.*

Quid me non pateris vitae quodcumque sequetur
Hoc magis assueto ducere servitio?
Tu licet Antiopae formam Nycteidos et tu
Spartanae referas laudibus Hermionae,
Et quascumque tulit formosi temporis aetas:
Cynthia non illas nomen habere sinet:
Nedum, si levibus fuerit collata figuris,
Inferior duro iudice turpis eat.
Haec sed forma mei pars est extrema furoris:
Sunt maiora, quibus, Basse, perire iuvat,
Ingenuus color et multis decus artibus et quae
Gaudia sub tacita ducere veste libet:
Quo magis et nostros contendis solvere amores,
Hoc magis accepta fallit uterque fide.
Non impune feres. sciet haec insana puella,
Et tibi non tacitis vocibus hostis erit:
Nec tibi me post haec committet Cynthia, nec te
Quaeret: erit tanti criminis illa memor,
Et te circum omnes alias irata puellas
Differet: heu nullo limine carus eris.
Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
Et quicumque sacer, qualis, ubique, lapis.
Non ullo gravius tentatur Cynthia damno,
Quam sibi cum rapto cessat amore deus,
Praecipue nostri. maneat sic semper, adoro,
Nec quicquam ex illa quod querar inveniam.

IV, 3. quicunque *M.* 4. vivere *G. r. a.*, ducere *H. V. M. D. Perr. f. P.* 5. antiope *N.*, antiopes *D.* nicteidos *Hb.* 6. Spartane *R. G.* hermione *N. G.*, hermiones *H. D.* 7. fomosi *M.* 8. Cinthya *Hb. et sic fere semper.* sinit *r.*, sinat *N. P. Hb. a.*, sinet *H.* 9. Medum *r.* collacta *Hb.* 10. erat *Hb. pr. m.* 11. sed *om. M.* 13. color est *D.* 14. dicere *omnes.* 15. contempnis G. 16. fallis *V.*, fallis utrumque *M. Hb. correctura pr. m.* 17. sciat *G. V.* 19. posthac *Perr.* nec te] posthec *N. sed corr. pr. m.* 21. At *H.* omnis *R. D. H. V. Hb.*, omneis *a.* illata *G. r.* 22. Deferet *A. r.* 23. contempnet *N.* flectibus *Hb.* 25. temptatur *N.*, temtatur *Hb.* dampno *Hb.* 28. quod *om. G.*

V.

Invide, tu tandem voces compesce molestas,
Et sine nos cursu, quo sumus, ire pares.
Quid tibi vis, insane? meos sentire furores?
Infelix, properas ultima nosse mala,
Et miser ignotos vestigia ferre per ignes,
Et bibere e tota toxica Thessalia.
Non est illa vagis similis collata puellis:
Molliter irasci non solet illa tibi.
Quod si forte tuis non est contraria votis,
At tibi curarum milia quanta dabit!
Non tibi iam somnos, non illa relinquet ocellos:
Illa feros animis alligat una viros.
Ah mea contemptus quotiens ad limina curres,
Cum tibi singultu fortia verba cadent,
Et tremulus maestis orietur fletibus horror,
Et timor informem ducet in ore notam,
Et quaecumque voles fugient tibi verba querenti,
Nec poteris, qui sis aut ubi, nosse miser.
Tum grave servitium nostrae cogere puellae
Discere, et exclusum quid sit abire domum:
Nec iam pallorem totiens mirabere nostrum,
Aut cur sim toto corpore nullus ego.
Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti:
Nescit Amor priscis cedere imaginibus.
Quod si parva tuae dederis vestigia culpae,
Quam cito de tanto nomine rumor eris!
Non ego tum potero solatia ferre roganti,

V, 4. posce *M. Hb. r.* 6. e] et *N. sed a s. m. corr.*, *item Hb.* tossica *D.* 7. magis *pr. m. Hb.* 9. Quid *V.* tuis] animis *Perr.*, ruis *N. pr. m. Hb. V.* votis] nostris *N. pr. m. Hb. V.* 10. Et *H.* quanta] multa *H.* 11. sompnos *N. et sic fere.* illa *om. H.* relinquat *G.* 12. ferox *D.* 13. Ha *H.* 14. Quom *R.* 15. tremulis moestus *G. R. a.*, tremulus moestis *D. H. V. M.* flectibus *Hb.* orror *Hb. G.* 16. tremor *G.* docet *Hb.* ora *G.* 18. quis *Hb.* ubi] tibi *M.* noscere *pr. m. Hb.* 20. Disere *G.*, Miscere *H.* exclausum *Hb.* 21. miserabere *H.* nostram *N. pr. m.* 22. sum *G.* 23. poterrit succurres *N. pr. m.* 24. credere *H. M.*

Cum mihi nulla mei sit medicina mali:
Sed pariter miseri socio cogemur amore
Alter in alterius mutua flere sinu.
Quare, quid possit mea Cynthia, desine, Galle,
Quaerere: non impune illa rogata venit.

VI.

Non ego nunc Hadriae vereor mare noscere tecum,
Tulle, neque Aegaeo ducere vela salo,
Cum quo Rhipaeos possim conscendere montes,
Ulteriusque domos vadere Memnonias:
Sed me complexae remorantur verba puellae,
Mutatoque graves saepe colore preces.
Illa mihi totis argutat noctibus ignes,
Et queritur nullos esse relicta deos:
Illa meam mihi iam se denegat: illa minatur,
Quae solet irato tristis amica viro.
His ego non horam possum durare querelis:
Ah pereat, si quis lentus amare potest!
An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas
Atque Asiae veteres cernere divitias,
Ut mihi deducta faciat convicia puppi
Cynthia et insanis ora notet manibus,
Osculaque opposito dicat sibi debita vento,
Et nihil infido durius esse viro?
Tu patrui meritas conare anteire secures,
Et vetera oblitis iura refer sociis:
Nam tua non aetas umquam cessavit amori,

28. Quom *G.*, Tum *H.* 31. quod *pr. m. N.*

VI, 1. adriae *Hb.* teque *P.* 2. nec *D.* aegeo *Hb. R.*, aego *N.* 3. Cum coripeos *pr. N.*, Cum corripeos (*sic*) *Hb.*, C. coripheos *M.*, C. corcyreos *H.*, ripheos *R.*, riphaeos *a.* passim *Hb.* 4. Alteriusque *H.* mennonias *G.*, in aemonias *r. H. V.*, haemonias *D.* 6. dolore *V.* 7. argutat] acuit sub *Perr.* 9. negat *D.* illa] esse *G.* 11. querellis *G. r.* 12. amore *pr. m. N.* 14. noscere *G.* 15. fatiat cunvitia pupi *N.* 16. notat *G.* 17. dedita *V. R. f.* debita *f. P.* 19. patri emeritas *Perr.* 20. sotiis *r.*, referre sonis *Perr.* 21. Iam *H.* nunquam *R. D.* nunquam *pr. m. Hb.* servivit *f. P. a.*, cessavit *V. M. H.* *Perr.*

Semper at armatae cura fuit patriae,
Et tibi non umquam nostros puer iste labores
Afferat et lacrimis omnia nota meis.
Me sine, quem semper voluit fortuna iacere,
Hanc animam extremae reddere nequitiae.
Multi longinquo periere in amore libenter,
In quorum numero me quoque terra tegat.
Non ego sum laudi, non natus idoneus armis:
Hanc me militiam fata subire volunt.
At tu, seu mollis qua tendit Ionia, seu qua
Lydia Pactoli tingit arata liquor,
Seu pedibus terras seu pontum carpere remis
Ibis, et accepti pars eris imperii,
Tum tibi si qua mei veniet non immemor hora,
Vivere me duro sidere certus eris.

VII.

Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae
Armaque fraternae tristia militiae,
Atque, ita sim felix, primo contendis Homero,
Sint modo fata tuis mollia carminibus,
Nos, ut consuemus, nostros agitamus amores,
Atque aliquid duram quaerimus in dominam:
Nec tantum ingenio, quantum servire dolori
Cogor et aetatis tempora dura queri.
Hic mihi conteritur vitae modus, haec mea fama est,
Hinc cupio nomen carminis ire mei.
Me laudent doctae solum placuisse puellae,

22. at *N. R. Hb. a., om. M.*, et *G. ut videtur et D.* 23. Ut *H.* nunquam *G.* 24. Adferat *N. Hb. sed corr. a pr. m. G. R.* vota *V.*, omnia nota *M.* 25. voluit semper *V.* 30. facta *M.* 32. cingit *Hb. R. Perr.* aratra *H. M. G. r.* 33. terra r. 34. etis (*sic*) *N.* 35. inmemor *N. R. G.*

VII, 1. ..um *G.*, Cum *R. a.*, Dum *D.* 2. ..rmaque *N. rubricatoris culpa.* 3. sim felix ita *pr. m. Hb.*, sim ita f. *idem m. s.* prisco *H.* 4. facta *M.* molia *Hb.* 6. divam *r.* 7. tamen *M.* saevire *r.* 9. Sic *H.* fama] vita *V.* 10. Hm *Hb.* 11. laudant *Hb.*; ludent *D.* docuisse *N. sed corr. pr. m.*

Pontice, et iniustas saepe tulisse minas:
Me legat assidue post haec neglectus amator,
Et prosint illi cognita nostra mala.
Te quoque si certo puer hic concusserit arcu,
Quod nolim nostros evoluisse deos,
Longe castra tibi, longe miser agmina septem
Flebis in aeterno surda iacere situ,
Et frustra cupies mollem componere versum,
Nec tibi subiiciet carmina serus Amor.
Tum me non humilem mirabere saepe poetam:
Tunc ego Romanis praeferar ingeniis,
Nec poterunt iuvenes nostro reticere sepulcro
„Ardoris nostri magne poeta iaces."
Tu cave nostra tuo contemnas carmina fastu:
Saepe venit magno fenore tardus Amor.

VIII.

„Tune igitur demens, nec te mea cura moratur?
An tibi sum gelida vilior Illyria,
Et tibi iam tanti, quicumque est, iste videtur,
Ut sine me vento quolibet ire velis?
Tune audire potes vesani murmura ponti?
Fortis et in dura nave iacere potes?
Tu pedibus teneris positas fulcire ruinas,
Tu potes insolitas, Cynthia, ferre nives?
O utinam hibernae duplicentur tempora brumae,
Et sit iners tardis navita Vergiliis,
Nec tibi Tyrrhena solvatur funis arena,
Neve inimica meas elevet aura preces,

12. et *om.* *M.* tullisse *Hb.* 13. assiduae *N. r.* neglectus *Hb.* 14. Ut *H.* prosunt *Hb.* 16. nollim *N.* eviolasse *G. N. r. a.*, evoluisse *Perr. f. P.* 19. cupiens *r.* 20. subiciet *G. R. A. Hb.* sevus *R.*, „sevus Pon." *Perr. f.*, serus *P.*, servus *G.*, verus *Hb.* 21. Tunc *G. R. a.*, Tum *D.*, Tu *Hb.* 24. taces *G.* 26. lentus *D.* VIII, 2. hylliria *G.*, ilyria *Hb.* 7. sulcare *a.*, fulcire *H. M. D. Perr.* pruinas *a.*, ruinas *D. H. M.* 8. in solitas *r.* 9. lunae *V.* 10. vergaeliis *r.* 11. tyrrena *N.*, tyrena *Hb.* funis] puppis *Perr.* harena *N. Hb. G. R.* 12. aula *Hb.* praeces *N.*

Atque ego non videam tali sub sidere ventos,
Cum tibi provectas auferet unda rates,
Et me defixum vacua patietur in ora
Crudelem infesta saepe vocare manu!
Sed quocumque modo de me, periura, mereris,
Sit Galatea tuae non aliena viae,
Ut te, felici praevecta Ceraunia remo,
Accipiat placidis Oricos aequoribus.
Nam me non ullae poterunt corrumpere taedae,
Quin ego vita tuo limine vera querar:
Nec me deficiet nautas rogitare citatos
„Dicite, quo portu clausa puella mea est?“
Et dicam: „licet Autaricis considat in oris,
Et licet Eleis: illa futura mea est.““

* * *

Hic erit! hic iurata manet! rumpantur iniqui!
Vicimus! assiduas non tulit illa preces!
Falsa licet cupidus deponat gaudia livor:
Destitit ire novas Cynthia nostra vias.
Illi carus ego et per me carissima Roma
Dicitur, et sine me dulcia regna negat.
Illa vel angusto mecum requiescere lecto
Et quocumque modo maluit esse mea,
Quam sibi dotatae regnum vetus Hippodamiae,

13. tales subsidere *omnes praeter H., qui habet:* tales sub sidere. 14. proiectas *G.* 15. patiatur *N. R. G. H. M. D.*, patiaris *a.* in aura *sed corr. pr. m. N.*, in hora *G. Hb. M.*, arena *a.*, in ora *H. D. Perr.* 17. quodcunque *N. R. Hb. D.* moreris *pr. m. N.* 18. galathea *N. R. Hb. A.* 19. provecta *G. H. V. D.*, per saeva *P.*, vectam per caerula *a.*, praevecta *M.* 20. placidos *Hb.*, planidis *G.* orythos *G.*, horythos *r.*, oryquos *N.*, opriquos (*sic*) *Hb.*, Orycos *V. H.* 21. thede *G.*, tedae *P. a.*, de te *N. Hb. D. H. M. r.* 22. lumine *N. D. V. M. r.* verba *omnes praeter H., qui habet* dira. loquar *H. V.* 23. deficiat *Hb.*, defitiet *N.* 25. atraciis *N. G.* D. *Hb.*, *sed punctis transpositio vocum* licet atraciis *notata*, a tratiis licet haec *R.*, „Autraciis *vetus ille codex*“ *P.*, atraciis licet haec *a.*, „Autrariis *v. c. vel* autariis“ *Perr.* hac *M.* 26. hyleis *G. Hb. H. M.*, hileis *N.*, heleis *R. a.*, helleis *D.*, isseis *Perr.* 27. erat *N.* 28. Vincimus *r.* tullit *Hb.*, tollit *r.* pteces *R.* ira *H.*

Et quas Elis opes ante pararat equis.
Quamvis magna daret, quamvis maiora daturus,
Non tamen illa meos fugit avara sinus.
Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
Sed potui blandi carminis obsequio.
Sunt igitur Musae, neque amanti tardus Apollo,
Quis ego fretus amo: Cynthia rara mea est.
Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis:
Sive dies seu nox venerit, illa mea est,
Nec mihi rivalis certos subducit amores.
Ista meam norit gloria canitiem.

IX.

Dicebam tibi venturos, irrisor, amores,
Nec tibi perpetuo libera verba fore:
Ecce iaces supplexque venis ad iura puellae,
Et tibi nunc quaevis imperat empta modo.
Non me Chaoniae vincant in amore columbae
Dicere, quos iuvenes quaeque puella domet.
Me dolor et lacrimae merito fecere peritum:
Atque utinam posito dicar amore rudis!
Quid tibi nunc misero prodest grave dicere carmen
Aut Amphioniae moenia flere lyrae?
Plus in amore valet Mimnermi versus Homero:
Carmina mansuetus lenia quaerit Amor.
I quaeso et tristis istos compone libellos,
Et cane quod quaevis nosse puella velit.
Quid si non esset facilis tibi copia? nunc tu
Insanus medio flumine quaeris aquam.

36. helis *Hb. R.*, elys *G.* pararet *H.* aquis *H.* 38. fregit *D.* amara *H. M.* 39. yndis *Hb.* 41. nec *D.* surdus *H.* 43. sysdera *r.* 44. sive nox *N. Hb.* 45. Nunc *D.* certos] summos *Hb.* subducit *N. Hb. D. H. V.*, subducet *R. G. A.* 46. Iam *Hb.*

IX, 3. iura] tuta *M.* 4. quevis *Hb.*, que vis *N.*, quovis *P. Perr.* 7. lacime (*sic*) *N.* 10. amphoniae *a. operarum vitio*, amphioniae *D.* menia *N.* 11. minnermi *N.*, munerini *Hb.*, numerini *r.* homeri *V.*, hom^{o} *G.* 12. levia *N. Hb.* 13. tristeis *P.* depone *a.*, compone *H. V. M. Perr.* 14. E' *N.* 15. Quod *D.* 16. Insanis *sed corr. pr. m. N.* aquas *D.*

Necdum etiam palles, vero nec tangeris igni:
Haec est venturi prima favilla mali.
Tum magis Armenias cupies accedere tigres
Et magis infernae vincula nosse rotae,
Quam pueri totiens arcum sentire medullis
Et nihil iratae posse negare tuae.
Nullus Amor cuiquam facilis ita praebuit alas,
Ut non alterna presserit ille manu.
Nec te decipiat, quod sit satis illa parata:
Acrius illa subit, Pontice, si qua tua est;
Quippe, ubi non liceat vacuos seducere ocellos,
Nec vigilare alio nomine, cedat Amor?
Qui non ante patet, donec manus attigit ossa.
Quisquis es, assiduas ah fuge blanditias.
Illis et silices possunt et cedere quercus;
Nedum tu possis, spiritus iste levis.
Quare, si pudor est, quam primum errata fatere:
Dicere, quo pereas, saepe in amore levat.

X.

O iucunda quies, primo cum testis amori
Affueram vestris conscius in lacrimis!
O noctem meminisse mihi iucunda voluptas,
O quotiens votis illa vocanda meis,
Cum te complexa morientem, Galle, puella
Vidimus, et longa ducere verba mora!
Quamvis labentes premeret mihi somnus ocellos
Et mediis caelo Luna ruberet equis,

17. igne *G.* 19. cupias *D.*, cuperes *Perr.* 20. noscere vincla *V.* 21. tociens *N.*, toties *A.* medulis *Hb.* 23. quoiquam *R.* faciles *N. Hb.*, facileis *A.* 24. illa *D.* munu *Hb.* 27. deducere *G.*, subducere *H. V. M. et sic Hb. m. s.* 28. alios *H.* cedit *Hb.* 29. manus] cutis *G.* 30. es] et *D.* aufuge *omnes.* 31. salices *V.* et possunt *R. A. Hb.*, et possint *N.* 32. Necdum *V. r.* ipse *Perr. P. V.* 33. fateri *Hb. r.* 34. iuvat *a.*, levat *H. V. M.*

X, 1. iocunda *G. N. R. Hb.* 3. iocunda *G. N. R. Hb.* 4. quoties *A.* 6. et] in *Perr.* longam-moram *G.* 7. lambentis (*sic*) *Hb.*, labenteis *P. A.*

Non tamen a vestro potui secedere lusu:
Tantus in alternis vocibus ardor erat.
Sed quoniam non es veritus concredere nobis,
Accipe commissae munera laetitiae.
Non solum vestros didici reticere dolores:
Est quiddam in nobis maius, amice, fide.
Possum ego diversos iterum coniungere amantes
Et dominae tardas possum aperire fores,
Et possum alterius curas sanare recentis,
Nec levis in verbis est medicina meis.
Cynthia me docuit semper quaecumque petenda
Quaeque cavenda forent: non nihil egit Amor.
Tu cave ne tristi cupias pugnare puellae,
Neve superba loqui, neve tacere diu:
Neu, si quid petiit, ingrata fronte negaris,
Neu tibi pro vano verba benigna cadant.
Irritata venit, quando contemnitur illa,
Nec meminit iustas ponere laesa minas:
At quo sis humilis magis et subiectus amori,
Hoc magis effecto saepe fruare bono.
Is poterit felix una remanere puella,
Qui numquam vacuo pectore liber erit.

XI.

Ecquid te mediis cessantem, Cynthia, Baiis,
Qua iacet Herculeis semita litoribus,
Et modo Thesproti mirantem subdita regno
Proxima Misenis aequora nobilibus

9. nostro *Hb.* seccedere *Hb.* luxu *Perr.* 10. alterius *Hb. r.* 11. concedere *G. N. r. Hb. D. V.* 12. leticiae *N.* 13. nostros *Hb. f.* calores *V.* (*Heins.*) 14. quidam *pr. N. pr. Hb.* 15. divisos *a.* coniuugere *r.* 16. tartas *N. sed corr. pr. m.* 17. recenteis *a.*, recentis *H. M.* 20. canenda *Hb.* eger *pr. m. Hb.*, aegit *r.* 25. irrita *r.* quoniam *D.* contempnitur *Hb.* 27. susceptus *V.* 29. Hic *Hb.* poterat *G. R.*

XI, 1. Et quid *N.* Cynthia] littora *G.* bais *N. Hb.* 2. Quae *H.* tacet *M.* emita *G.* 3. thesporti *Hb.*, tesporti *D.*, Tesponti *V.*, te spreti *R.* sudita *G.*, subita *r.* 4. missenis *r.* littoribus *G.*

Nostri cura subit memores ah ducere noctes?
Ecquis in extremo restat amore locus?
An te nescio quis simulatis ignibus hostis
Sustulit e nostris, Cynthia, carminibus?
Atque utinam mage te remis confisa minutis
Parvula Lucrina cymba moretur aqua,
Aut teneat clausam tenui Teuthrantis in unda
Alternae facilis cedere lympha manu,
Quam vacet alterius blandos audire susurros
Molliter in tacito litore compositam,
Ut solet amoto labi custode puella
Perfida, communes nec meminisse deos;
Non quia perspecta non es mihi cognita fama,
Sed quod in hac omnis parte timetur amor.
Ignosces igitur, si quid tibi triste libelli
Attulerint nostri: culpa timoris erit.
An mihi nunc maior carae custodia matris
Aut sine te vitae cura sit ulla meae?
Tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes,
Omnia tu nostrae tempora laetitiae.
Seu tristis veniam seu contra laetus amicis,
Quicquid ero, dicam: „Cynthia causa fuit.“
Tu modo quam primum corruptas desere Baias.
Multis ista dabant litora dissidium,
Litora, quae fuerant castis inimica puellis.
Ah pereant Baiae crimen amoris aquae!

5. adducere *N. R. A. Hb.*, aducere *G.* 6. Et quis *G. R. Hb.* 7. Antea. 11. teutantis *G. N. a.*, tentantis *D. R.*, tentatis *Perr.*, metantis *M.* 12. Alterna *G?* Alterne *M.*, Alternis *H.* facili *G.* credere *Hb.* 13. blandos] tenues *G. Perr.* 15. amota *N. D. r.* 16. metuisse *M.* 17. perfecta *R.* non] nos *D.* est *G. r. h.*, es *Perr. D. H.* 18. quod] quia *D.* per te *r.* 19. tibi *om. Hb.* 20. Attullerint *Hb.*, Attulerint nostri *N.* eris *a.*, erit *H. V. M.* 21. An mihi non *G. N. Hb. a. r.*, An mihi sit *Perr.*, Aut mihi sit *P.* 22. Haud *G.* culpa *G.* 23. tua *Hb.* 24. leticiae *N.* 27. corruptas *om. M.* 28. dabunt *N. G. R. Hb. a.*, dabant *V.* discidium *N.*, descidium *Hb.* 29. captis *M.*

XII.

Quid mihi desidiae non cessas fingere crimen,
Quod faciat nobis conscio amore moram?
Tam multa illa meo divisa est milia lecto,
Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano,
Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores
Cynthia, nec nostra dulcis in aure sonat.
Olim gratus eram: non illo tempore cuiquam
Contigit, ut simili posset amare fide.
Invidiae fuimus: num me deus obruit? an quae
Lecta Prometheis dividit herba iugis?
Non sum ego qui fueram: mutat via longa puellas:
Quantus in exiguo tempore fugit amor!
Nunc primum longas solus cognoscere noctes
Cogor et ipse meis auribus esse gravis.
Felix, qui potuit praesenti flere puellae:
Non nihil aspersis gaudet Amor lacrimis;
Aut si despectus potuit mutare calores:
Sunt quoque translato gaudia servitio.
Mi neque amare aliam neque ab hac discedere fas est:
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

XIII.

Tu, quod saepe soles, nostro laetabere casu,
Galle, quod abrepto solus amore vacem.
At non ipse tuas imitabor, perfide, voces:
Fallere te numquam, Galle, puella velit.
Dum tibi deceptis augetur fama puellis,

XII. *Cohaeret cum superiore in G. N. Hb. D. r.* 1. des. mihi *pr. m. Hb.* carmen *G. D.* 2. Quid *V.*, Et *G.* conscia roma *omnes.* 3. est e *Hb.* 4. vento-heridano *G.* 5. complexu *G.*, complexa *Hb.* 7. eram] iras *V.* quoiquam *R.* 8. possit *V.* fides *Hb.* 9. nunc *G?* ñ (*quod modo* non, *modo* nunc *significat*) *N.*, non *Hb. D. M.* an quae] unquam *D.*, atque *r.* 11. quae *r.* 15. elix *R.* 16. aspersis *om. G.* 17. colores *N.*, colores *G. V.* 19. Me *G.* dissistere *N.*, desistere *D. Hb. Perr. f. P.*

XIII, 1. quod] quoque *V.* 2. arrepto *G.*, abrupto *H.* 3. immitabor *N.* 4. vellit *r.* 5. dereptis *G.* forma *G.*

Certus et in nullo quaeris amore moram,
Perditus in quadam tardis pallescere curis
Incipis et primo lapsus adire gradu.
Haec erit illarum contempti poena doloris,
Multarum miseras exiget una vices.
Haec tibi vulgares istos compescet amores,
Nec nova quaerendo semper amicus eris.
Haec ego non rumore malo, non augure doctus:
Vidi ego: me quaeso teste negare potes?
Vidi ego te toto vinctum languescere collo
Et flere iniectis, Galle, diu manibus,
Et cupere obtentis animam deponere labris,
Et quae deinde meus celat, amice, pudor.
Non ego complexus potui diducere vestros:
Tantus erat demens inter utrosque furor.
Non sic Haemonio Salmonida mixtus Enipeo
Taenarius facili pressit amore deus,
Nec sic caelestem flagrans amor Herculis Heben
Sensit in Oetaeis gaudia prima iugis.
Una dies omnis potuit praecurrere amantes:
Nam tibi non tepidas subdidit illa faces,
Nec tibi praeteritos passa est succedere fastus,
Nec sinet abduci: te tuus ardor aget.
Nec mirum, cum sit Iove digna et proxima Ledae,
Et Ledae e partu gratior una tribus

6. moram] viam *V.* 7. Queritis *pr. m. Hb.* palescere. 8. lassus *D. P. Perr. f.*, lapsus *P.* amare *P. Perr. f.*, adire *P.*, abire *H.* 9. Nec *D.*, Non *V.* contenti *a.*, contempti *D. V. H. M.* pena *N.* 10. exigit *R. a.*, exiget *D. H. V.* 11. Nec *G. r. Hb.* 13. ego *om. pr. N.* rubore *G.* augere *pr. m. N. et Hb.* 15. totum *D. M.* victum *R. f.*, vinctum *P.*, unctum *D.*, vatum *M. V.* 16. inlectis *N. M.*, illectis *D.*, in lectis *Hb.* 17. optatis *omnes.* verbis *omnes.* 18. qui *D.* caelat *a.*, celat *D.* amore *G.* 19. deducere *G. Hb. V. M.* 21. aemonio *omnes praeter Hb.* salamonida *G. N.*, salamonide *r.*, solamonida *Hb.* mistus *A.*, enipheo *A.*, enapeo *Hb.* 22. Trenarius *G.*, Tremariis *r.* 24. inaetheis *Hb.*, oetheis *G. P.*, aethaeis *N.*, aetheis *r.*, acteis *supra scripto* oetheis *D.* 25. omnes *G.* (*non N.*) *Hb.*, omneis *a.* 26. ille *H.* 27. fastos *M.* 28. adduci *N. Hb.*, aduci *G.* agit *D.* 29. Laede *N.* 30. Ledae *omnes praeter H., qui* Ledae e. una] ima.

Illa sit Inachiis et blandior heroinis,
Illa suis verbis cogat amare Iovem.
Tu vero, quoniam semel es periturus amore,
Utere: non alio limine dignus eras.
Quae tibi sit, felix quoniam novus incidit error:
Et quodcumque voles, una sit ista tibi.

XIV.

Tu licet abiectus Tiberina molliter unda
Lesbia Mentoreo vina bibas opere,
Et modo tam celeres mireris currere lintres
Et modo tam tardas funibus ire rates,
Et nemus omne satas intendat vertice silvas,
Urgetur quantis Caucasus arboribus:
Non tamen ista meo valeant contendere amori:
Nescit Amor magnis cedere divitiis.
Nam sive optatam mecum trahit illa quietem,
Seu facili totum ducit amore diem,
Tum mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores,
Et legitur rubris gemma sub aequoribus:
Tum mihi cessuros spondent mea gaudia reges;
Quae maneant, dum me fata perire volent.
Nam quis divitiis adverso gaudet Amore?
Nulla mihi tristi praemia sint Venere!
Illa potest magnas heroum infringere vires,
Illa etiam duris mentibus esse dolor:
Illa neque Arabium metuit transcendere limen,
Nec timet ostrino, Tulle, subire toro,
Et miserum toto iuvenem versare cubili:

31. blandior et *Hb.* hieroinis *G.* 34. Urere *P. Perr.* lumine *G. R. f.*, limine *P.* 35. Tue tibi *G.* 36. quocunque *N. Hb. D. r.*, quo... *M.*, quaecunque *H. V.*

XIV, 2. mentorio *Hb. a.*, mentoreo *D. V.* 3. lyntres *N. a. r.*, luntres *P.*, lintres *D.* 4. finibus *Hb.* 5. Ut *Hb.* incendat *D. r.* 6. quantus *V.* 7. contempnere *G.* 11. Tunc *R. a.*, Tum *R. H. V. M.* subiecta *Hb.* 13. spond. cess. *Hb. pr. m.* 14. volunt *G. V.* 15. Nunquis *G.* 16. sunt *G. r. a.*, sint *D. Perr.* 17. infrignere *G.*, fringere *M.* 18. Illam *operarum vitio a., delevit Heinsius* m. 21. cubilli *Hb.*

Quid relevant variis serica textilibus?
Quae mihi dum placata aderit, non ulla verebor
Regna nec Alcinoi munera despicere.

XV.

Saepe ego multa tuae levitatis dura timebam,
Hac tamen excepta, Cynthia, perfidia.
Aspice me quanto rapiat fortuna periclo;
Tu tamen in nostro lenta timore venis.
Et potes hesternos manibus componere crines
Et longa faciem quaerere desidia,
Nec minus Eois pectus variare lapillis,
Ut formosa novo quae parat ire viro.
At non sic Ithaci digressu mota Calypso
Desertis olim fleverat aequoribus:
Multos illa dies incomptis maesta capillis
Sederat iniusto multa locuta salo,
Et quamvis numquam posthaec visura, dolebat
Illa tamen longae conscia laetitiae.
Alphesiboea suos ulta est pro coniuge fratres,
Sanguinis et cari vincula rupit amor.
Nec sic Aesoniden rapientibus anxia ventis
Hypsipyle vacuo constitit in thalamo:
Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Ut semel Haemonio tabuit hospitio.
Coniugis Euadne miseros elata per ignes

22. relevent *V. M.* varriis *r.* 23. illa *D.* 24. vel *N. Hb. a.*, nec *D.* alcioni *Hb.*, alcinoy *G.* dispicere *M.*

XV, 1. iura *G. M. f. P.*, „iura *et* dura *pro duritie*“ *Perr.*, damna *a.*, dura *H. V.* (*D?*) 2. Fac *N. errore rubricatoris.* paerfidia *r.* 4. furore *D. M.* 5. externos *G. R. A.*, „*leg.* hesternos“ *Heins.* 6. fatiem *N.* 7. aeois *R.* et chois *N.* 8. Et *Hb.* 9. At nunc *r.* ythaci *N.*, ithachi *Hb.* digressum *G.* chalipso *Hb.* 10. Deserte *M.* olim] quondam *H.* fluerat *r.* 12. Sed erat *r.* colo *M.* 13. posthac *R. a.*, posthoc *D.* 14. longe *r. a.*, longae *M. D.* leticiae *N.*, nequitiae *Perr.* 15. Alphisiboea *N. Hb. r.* ulcta *G.* 17. aesonidem *G. H. D. r.*, esonidem *Hb.* 18. 19. Hypsiphile *N.*, Hysiphyle *R.*, Hysiphile *G. Hb.* 19. nullo *M.* 20. aemonio *R. A.* hospicio *r.* 21. data *Hb.*

Occidit, Argivae fama pudicitiae.
Quarum nulla tuos potuit convertere mores,
Tu quoque uti fieres nobilis historia.
Desine iam revocare tuis periuria verbis,
Cynthia, et oblitos parce movere deos:
Audax, ah nimium nostro dolitura periclo,
Si quid forte tibi durius inciderit.
Nulla prius vasto labentur flumina ponto,
Annus et inversas duxerit ante vices,
Quam tua sub nostro mutetur pectore cura:
Sis quodcumque voles, non aliena tamen;
Quam mihi nae viles isti videantur ocelli,
Per quos saepe mihi credita perfidia est.
Hos tu iurabas, si quid mentita fuisses,
Ut tibi suppositis exciderent manibus:
Et contra magnum potes hos attollere solem,
Nec tremis admissae conscia nequitiae?
Quis te cogebat multos pallere colores
Et fletum invitis ducere luminibus?
Quis ego nunc pereo, similes moniturus amantes
„O nullis tutum credere blanditiis.“

XVI.

Quae fueram magnis olim patefacta triumphis,
Ianua Tarpeiae nota pudicitiae,
Cuius inaurati celebrarunt limina currus
Captorum lacrimis humida supplicibus,
Nunc ego, nocturnis potorum saucia rixis,
Pulsata indignis saepe queror manibus,
Et mihi non desunt turpes pendere corollae

22. phama. 24. uti] ut *D.* hystoria *N.* 27. ha *Hb.*, e *M.* 29. Multa *G. N. R. Hb. A.* 30. Amnis *D. Hb. M.* 33. tibi *N. Hb. D. M. V.*, Quamve mihi *a.*, Quam tibi me *H.* ne *reliqui omnes*, nae *Perr.* (*vat adscripsit verus Perreius*), nae *P.* 34. multa *r.* mihi *om. r.* perfida *r.* 36. exciderint. 37. os *M.* attolere *G. r.* 38. admisce *r.* 39. Quid *M.* 40. imitis *Hb.* 41. Queis *a.*, Quis *M. V. H.* moriturus *pr. m. N.*

XVI, 2. pudititiae *Hb.*

Semper et exclusi signa iacere faces.
Nec possum infamis dominae defendere noctes,
Nobilis obscenis tradita carminibus —
Nec tamen illa suae revocatur parcere famae,
Turpior et saecli vivere luxuria —:
Has mihi ter gravibus cogor deflere querelis,
Supplicis ah! longis tristior excubiis.
Ille meos numquam patitur requiescere postes,
Arguta referens carmina blanditia.
„Ianua vel domina penitus crudelior ipsa,
Quid mihi tam duris clausa taces foribus?
Cur numquam reserata meos admittis amores,
Nescia furtivas reddere mota preces?
Nullane finis erit nostro concessa dolori,
Tristis et in tepido limine somnus erit?
Me mediae noctes, me sidera prona iacentem,
Frigidaque Eoo me dolet aura gelu:
Tu sola humanos numquam miserata dolores
Respondes tacitis mutua cardinibus.
O utinam traiecta cava mea vocula rima
Percussas dominae vertat in auriculas!
Sit licet et saxo patientior illa Sicano,
Sit licet et ferro durior et chalybe:
Non tamen illa suos poterit compescere ocellos,
Surget et invitis spiritus in lacrimis.
Nunc iacet alterius felici nixa lacerto:
At mea nocturno verba cadunt Zephyro.
Sed tu sola mei, tu maxima causa doloris,
Victa meis numquam, ianua, muneribus.
Te non ulla meae laesit petulantia linguae,

8. exclusis *G. N. r. a.*, exclusae-facis *Perr. f. P.* iacere] tenere *H. V.* 12. luxiria *N.* 13. Has inter *omnes.* querellis *R. G.* 14. a *N. G. R.*, a' *Hb. A.*, ab *H.* 17. paenitus *Hb.* 18. tam] iam *N.* noces *Perr.* 20. furtivis *D.* 22. Turpis *N. Hb. a.*, Tristis *Perr.* lumine *M.* sompnus *N.* 23. plena *N. R. Hb. A.* 24. aeoo *R.* 25. labores *H. M.* 26. carminibus *H.* 29. sycano *Hb.* 30. calibe *G. Hb.*, calybe *r.* 34. cadent *V.* zephiro *N.*

Quae solet irato dicere turba ioco,
Ut me tam longa raucum patiare querela
Sollicitas trivio pervigilare moras.
At tibi saepe novo deduxi carmina versu,
Osculaque impressis nixa dedi gradibus.
Ante tuos quotiens verti me, perfida, postes,
Debitaque occultis vota tuli manibus!“
Haec ille et si quae miseri novistis amantes
Et matutinis obstrepit alitibus.
Sic ego nunc dominae vitiis et semper amantis
Fletibus aeterna differor invidia.

XVII.

Et merito, quoniam potui fugisse puellam!
Nunc ego desertas alloquor alcyonas.
Nec mihi Cassiope solidam visura carinam,
Omniaque ingrato litore vota cadunt.
Quin etiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti:
Aspice: quam saevas increpat aura minas!
Nullane placatae veniet fortuna procellae?
Haeccine parva meum funus arena teget?
Tu tamen in melius saevas converte querelas:
Sat tibi sit poenae nox et iniqua vada.
An poteris siccis mea fata opponere ocellis,
Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?
Ah pereat, quicumque rates et vela paravit
Primus et invito gurgite fecit iter.
Nonne fuit levius dominae pervincere mores

38. tota *G. N. Hb. H. V. M.*, verba *a.*, turba *D.* (*in marg. s. m.* tota) *P. Perr.* loco *omnes.* 39. querella *Hb.* 40. Solicitas *Hb.* 42. gradibus] manibus *H.* 44. ocultis *Hb.* tulli *Hb.* 45. Nec. 48. deferor *Hb. N. D.*

XVII, 2. altyonas *Hb.* 3. casiope *N.*, casyope *Hb.*, calliope *V. r.* solito *omnes.* carina *G.* est *addunt P. H. V. M.* 5. tibi *om. pr. N.* 6. scaevas *Hb. H.* increpet *Hb. V.* 7. Nullave *Hb.* 8. Hoccine *Hb.*, Hemne *G.* funas *pr. m. Hb.*, corpus *H.* 9. scaevas *H.* querellas *Hb.* 10. Sit *D.* 11. mea fata siccis *Hb.* reponere *A. N. P.* 12. nostra tuo nulla *G.* 15. levius *N. Hb. V. Perr.* amores *M. H.*

(Quamvis dura, tamen rara puella fuit),
Quam sic ignotis circumdata litora silvis
Cernere et optatos quaerere Tyndaridas?
Illic si qua meum sepelissent fata dolorem,
Ultimus et posito staret amore lapis,
Illa meo caros donasset funere crines,
Molliter et tenera poneret ossa rosa:
Illa meum extremo clamasset pulvere nomen,
Ut mihi non ullo pondere terra foret.
At vos aequoreae formosa Doride natae,
Candida felici solvite vela choro:
Si quando vestras labens Amor attigit undas,
Mansuetis socio parcite litoribus.

XVIII.

Haec certe deserta loca et taciturna querenti,
Et vacuum Zephyri possidet aura nemus.
Hic licet occultos proferre impune dolores,
Si modo sola queant saxa tenere fidem.
Unde tuos primum repetam, mea Cynthia, fastus?
Quod mihi das flendi, Cynthia, principium?
Qui modo felices inter numerabar amantes,
Nunc in amore tuo cogor habere notam.
Quid tantum merui? quae te mihi crimina mutant?
An nova tristitiae causa puella tuae?
Sic mihi te referas, levis, ut non altera nostro
Limine formosos intulit ulla pedes.
Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet,
Non ita saeva tamen venerit ira mea,
Ut tibi sim merito semper furor et tua flendo
Lumina deiectis turpia sint lacrimis.

17. circumdata *Hb.* 18. optatas *M.* 19. peperissent *M. H.* 23. murmere *H.* 24. Et *H.* pulvere *G.* 25. formosae *V.* 26. vota *G.* noto *a.*, choro *M.* 28. Mansuetus *r.* pandite *Hb.*

XVIII, 2. zephiri *N.* 3. ocultos *N.* inpune *N.* 4. tenere] movere *V. M.* 7. internumerabar *R.*, numerabar inter *Hb.* 9. carmina *omnes. Sed Perr.* crimina. 11. refferas *r.* lenis *D.* 12. intullit *Hb.* illa *pr. N. M.* 13. aspara *r.* 14. scaeva *H. V.* 16. delectis *N. Hb.*, deletis *G. H.*

An quia parva damus mutato signa calore,
Et non ulla meo clamat in ore fides?
Vos eritis testes, si quos habet arbor amores,
Fagus et Arcadio pinus amica deo.
Ah quotiens teneras resonant mea verba sub umbras,
Scribitur et vestris CYNTHIA corticibus!
An tua quod peperit nobis iniuria curas,
Quae solum tacitis cognita sunt foribus?
Omnia consuevi timidus perferre superbae
Iussa, neque arguto facta dolore queri.
Pro quo, divini Fontes, et frigida rupes
Et datur inculto tramite dura quies:
Et quodcumque meae possunt narrare querelae,
Cogor ad argutas dicere solus aves.
Sed qualiscumque es, resonent mihi CYNTHIA silvae,
Nec deserta tuo nomine saxa vacent.

XIX.

Non ego nunc tristes vereor, mea Cynthia, Manes,
Nec moror extremo debita fata rogo:
Sed ne forte tuo careat mihi funus amore,
Hic timor est ipsis durior exequiis.
Non adeo leviter nostris puer haesit ocellis,
Ut meus oblito pulvis amore vacet.
Illic Phylacides iucundae coniugis heros
Non potuit caecis inmemor esse locis,
Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis
Thessalus antiquam venerat, umbra, domum.

17. colore *N. P. Hb. V. M.* 18. non nulla *Hb.* ora *G.* 19. ardor *G. H. V. r. Hb.* 20. amata *G. Hb. a.*, amica *Perr. H. M.* 22. nostris *Hb. M.* 25. timidis *H. M.* superbe *R.* 26. fata *H. M.*, ficta *Perr.* 29. narare *R.* 30. ad *om. M.*, et *H. r.* 31. es *om. G.* resonant *Hb. H. M.* tibi *R. a.*, mihi *D. Perr. V.* 32. Ne *G.* iacent *pr. N.*

XIX, 1. non tristos *pr. m. N.* 2. facta *M.* 3. caret r. tibi *H.* fumus *pr. m. Hb.* 5. noster *N. r. a. H. V. M. D.*, nostris *Perr.* occellis *pr. m. Hb.* haesit] exit *G.* 7. iuconde *Hb.* 10. Thessalus *G. N. r. Hb. H. M. D.*

Illic quicquid ero, semper tua dicar imago:
Traiicit et fati litora magnus amor.
Illic formosae veniant chorus heroinae,
Quas dedit Argivis Dardana praeda viris;
Quarum nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma
Gratior, et Tellus hoc ita iusta sinat.
Quamvis te longae remorentur fata senectae,
Cara tamen lacrimis ossa futura meis.
Quae tu viva mea possis sentire favilla!
Tum mihi non ullo mors sit amara loco.
Quam vereor ne te contempto, Cynthia, busto
Abstrahat heu nostro pulvere iniquus Amor,
Cogat et invitam lacrimas siccare cadentes!
Flectitur assiduis certa puella minis.
Quare, dum licet, inter nos laetemur amantes:
Non satis est ullo tempore longus amor.

XX.

Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore,
Id tibi ne vacuo defluat ex animo:
Saepe imprudenti fortuna occurrit amanti.
Crudelis Minyis dixerit Ascanius.
Est tibi non infra speciem, non nomine dispar,
Thiodamanteo proximus ardor Hylae:
Hunc tu, sive leges umbrosae flumina silvae,
Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes,

11. dicit *r.* imagho *G.* 12. Traicit *N. R. Hb. a.*, Traiiciet *om.* et *D.* 13. veniat *D.* 15. fuerat *H.* 16. hoc] haec *D.* sonat *Hb.* 17. longae te *N.* facta *Hb.* 20. Tu *pr. N.*, Cum *H.*, Tunc *G.* rogo *H. M.* 21. contenta *M.* 22. Abstraat *N.* heu] e *G. N. Hb.*, e' *a.*, a *D. M. H. R.* 23. Cogar-invitas *H.*

XX, 1. Haec *M.* 2. defleat *H.* 3. decurrit *H. M.* 4. miniis *N. P.*, myniis *G.*, minius *r.*, minus *pr. m. Hb.*, minius *s. m.*, mimius *H.*, nimius *M.* dixerat *G. R. H. V. M.*, dux erit *a.*, dux erat *Perr.*, dixerit *D.* 5. Et *D.* specimen *H. M.* 6. Thyodamanteo *G.*, Thyodomantaeo *P.*, Therodamanteo *r. V.*, Therodomanteo (*sic*) *N.*, Thiodamantheo *a.*, Thermodonteo *D.* hilae *N.*, hylle *Hb.* arbor *r.* 7. Nunc *R. a.*, Hunc *D. Perr.* legis *r.* 8. amena *G. V.*, amoena *Hb.* tinxerat *H.*

Sive Gigantea spatiabere litoris ora,
Sive ubicumque vago fluminis hospitio,
Nympharum semper cupidis defende rapinis,
— Non minor Ausoniis est amor Adryasin —
Ne tibi sit — durum! — montes et frigida saxa,
Galle, neque experto semper adire lacus,
Quae miser ignotis error perpessus in oris
Herculis indomito fleverat Ascanio.
Namque ferunt olim Pagases navalibus Argo
Egressam longe Phasidos isse viam,
Et iam praeteritis labentem Athamantidos undis
Mysorum scopulis applicuisse ratem.
Hic manus heroum, placidis ut constitit oris,
Mollia composita litora fronde tegit.
At comes invieti iuvenis processerat ultra
Raram sepositi quaerere fontis aquam.
Hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles,
Hunc super et Zetes, hunc super et Calais,
Oscula suspensis instabant carpere palmis,
Oscula et alterna ferre supina fuga.
Ille sub extrema pendens secluditur ala,
Et volucres ramo submovet insidias.
Iam Pandioniae cessit genus Orithyiae:

9. giganthea *Hb.* spatiaberis *G.* 10. vagi *V.* 11. cupidas rapinas *N. R. Hb. A. sed transpositis vocibus*, cupidas semper. *Ordinem tamen servant D. H. M.*, o cupidis *Perr.* 12. Nec *Hb.* adriacis *G. N. Hb. D. V. M.*, hadriacis *R. f.*, in dryasin *P.*, in dryadis *a.*, adriahcis *H.*, ausonias e. a. et driadas *Perr.* 13. Nec *G. D.* sint *N. Hb. V.* duri *N. Hb. V.* turbida *Hb.* 14. nec *M.* expertos *omnes.* 15. horis *pr. m. Hb.* 17. fuerunt *pr. m.* pegase *G. N.*, pegasae *r. H. V. M. D.*, pagasae *a.*, pegases *Perr.* argon *G. N. r. A. Hb.* 18. longo *pr. m.*, longe *s. m. N.*, longae *M.* phassidos *Hb.* esse *G. H.* 19. lambentem *V.* athamandidos *Hb.* 20. scapulis *V.* 22. teget. 23. invitis iuvenis *r.*, unitti *Hb.* processerit *M.* 24. frontis *N. Hb. pr. m.* 26. zethes *G. a.*, Zetus *H. N.*, zethēs *pr. m. Hb.*, zethis *P.*, zethus *r.* 27. corpore *sed corr. a pr. m.*, carpaere *N.* 28. suppina *Hb.* 29. Illa *Hb.* se cluditur *Hb.*, subcluditur *D. H.*, subducitur *M.*, concluditur *r.* 30. volucrum *G.* summovet *H.* 31. cesset *N. R. Hb. A.* orithie *N.*, orythiae *r.*, orynthie *G.*, oriothie *Hb.*, orithyia *D.*

Ah dolor ibat Hylas, ibat, Hamadryasin.
Hic erat Arganthi Pege sub vertice montis
Grata domus Nymphis humida Thyniasin,
Quam supra nullae pendebant debita curae
Roscida desertis poma sub arboribus,
Et circum irriguo surgebant lilia prato
Candida purpureis mixta papaveribus,
Quae modo decerpens tenero pueriliter ungui
Proposito florem praetulit officio,
Et modo formosis incumbens nescius undis
Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demissis flumina palmis
Innixus dextro plena trahens humero,
Cuius ut accensae Dryades candore puellae
Miratae solitos destituere choros,
Prolapsum leviter facili traxere liquore:
Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat responsa: sed illi
Nomen ab extremis fontibus aura refert.
His, o Galle, tuos monitus servabis amores
Formosum Nymphis credere visus Hylan.

XXI.

Tu, qui consortem properas evadere casum,
Miles, ab Etruscis saucius aggeribus,

32. A *N.*, Ha *D. R.* hamadrias hinc *G.*, amadrias hinc *Hb. N. R. V.*, hamadryas hinc *a.*, hinc ibant (*sic*) *H.* 33. erat] erit *H. M.* arganthiphege *N.*, arganti phege *Hb. D. V.*, arganti phegae *R.*, arganti phlegre *G. a.*, argantonini *in margine P. Quod emendator Perr. scripserat, absciso margine evanuit.* subvertite *N.* 34. thyniason *G.*, thiniasin *N.*, thiniasim *Hb. M.*, Timasin *A. V.*, thimasini *D.*, tyniacis *a.*, thyniasin *Perr.* 35. nulli *a.*, nullae *D. H. V. M.* 36. Rosida *r. M.* 37. inriguo *P.*, irrigideo *G.* ponto. 38. mista *a.*, mixta *M.* 39. Quem *D. H. M.* 40. pertulit *G. M. H.* 42. tradit *Perr.* 43. aurire *r.* 45. Quovis *V.* adcensae *G.* 47. *f.* texere *P.* 49. illi *exp. a m. sec. altera* l *Hb.* 51. monitis *G. R. a.*, monitus *D. Perr.* 52. nimphis *N.* iussus *D.* hylam *R.*, hylam *a.*, hylan *D.*

XXI. *Cum superiore cohaeret in G. Hb, r.*

Quid nostro gemitu turgentia lumina torques?
Pars ego sum vestrae proxima militiae.
Sic te servato, ut possint gaudere parentes,
Nec soror acta tuis sentiat e lacrimis:
Gallum per medios ereptum Caesaris enses
Effugere ignotas non potuisse manus,
Et quaecumque super dispersa invenerit ossa
Montibus Etruscis, haec sciat esse mea.

XXII.

Qualis et unde genus, qui sint mihi, Tulle, Penates,
Quaeris pro nostra semper amicitia.
Si Perusina tibi patriae sunt nota sepulcra,
Italiae duris funera temporibus,
Cum Romana suos egit discordia cives
(Sit mihi praecipue, pulvis Etrusca, dolor:
Tu proiecta mei perpessa es membra propinqui,
Tu nullo miseri contegis ossa solo),
Proxima supposito contingens Umbria campo
Me genuit terris fertilis uberibus.

3. Qui *G. et pr. m. Hb.* limina *M.* 4. Par *V.* nostrae *V.* maxima *Perr.* 5. ut *del. P. lacuna in G.* 6. Ne *N. Hb. V.*, Haec *P. a.*, *sed* Nec *D. M.* 9. quecunque *Hb.*, quicunque *a.*, quaecunque *D.* 10. sciet *M. Hb.* tua *sec. m. N.*

XXII, 1. Quaeris *H.* poenates *Hb.*, parentes *D.* 6. Sic *Hb. M.*, Tu *H.* praecipuae *N.* 7. propessa *Hb.* 8. Et *V.* 9. contignens *G.*

Finis primi libri Pro. Nav. in. secundus *G.* Propertii aurelij nautae liber primus explicit Secundus incipit feliciter *Hb.*

SEX. AURELII PROPERTII ELEGIARUM

LIBER SECUNDUS.

I.

Quaeritis, unde mihi totiens scribantur amores,
Unde meus veniat mollis in ore liber.
Non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo:
Ingenium nobis ipsa puella facit.
Sive illam Cois fulgentem incedere coccis,
Hoc totum e Coa veste volumen erit:
Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
Gaudet laudatis ire superba comis:
Sive lyrae carmen digitis percussit eburnis,
Miramur, facilis ut premat arte manus:
Seu cum poscentes somnum declinat ocellos,
Invenio causas mille poeta novas:
Seu nuda erepto mecum luctatur amictu,
Tum vero longas condimus Iliadas:
Seu quicquid fecit sive est quodcumque locuta,
Maxima de nihilo nascitur historia.
Quod mihi si tantum, Maecenas, fata dedissent,

Lib. secundus. El. I, 1. toties *P. a.*, tociens *N. r.* 2. molis *G.*, moris *N.* ora *sec. m. N. H. R. a.* 3. Non hoc *Hb.*, Non mihi *H. M. D. R.* caliope *Hb.* hoc *Hb.* 5. Sive togis illam *a.*, Sive illam chois *N. Hb. D. H. V. M.*, caeis *r.* cogis *G. N. D. H. V. M. Perr.* „*ita habet vetus is codex*“ *P.*, cois *a.*, togis *r.* 6. e' *N.* choa *N. Hb.*, caea *r.* 7. vidi] mihi *pr. m. N.* fontem *H.* sparsae *M.* 8. laudatis] lautis *M.* 9—12. *hoc ordine:* 11. 12. 9. 10. *in V.* 11. somnus *G. r.*, sompnum *N. Hb.* 14. Tunc *R. a.*, Tum *H. V. M.* illiadas *r. a.*, hyliadas *G.* concedimus (*sic*) *Hb.* 15. loquuta *G.* 16. hystoria *N.* 17. Quid *r. a.*, Quod *H. V. M.* mecoenas *G. r.*, moecenas *A.* (*sic et* 73.) facta *pr. m. Hb.*

Ut possem heroas ducere in arma manus,
Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
Impositum, ut caeli Pelion esset iter,
Non veteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri,
Xerxis et imperio bina coisse vada,
Regnave prima Remi, aut animos Carthaginis altae,
Cimbrorumque minas et benefacta Mari:
Bellaque resque tui memorarem Caesaris, et tu
Caesare sub magno cura secunda fores.
Nam quotiens Mutinam aut civilia busta Philippos
Aut canerem Siculae classica bella fugae,
Eversosque focos antiquae gentis Etruscae,
Aut Ptolemaeei litora capta Phari,
Aut canerem Cyprum et Nilum, cum tractus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis,
Aut regum auratis circumdata colla catenis,
Actiaque in Sacra currere rostra Via:
Te mea Musa illis semper contexeret armis,
Et sumpta et posita pace fidele caput.
Theseus infernis, superis testatur Achilles,
Hic Ixioniden, ille Menoetiaden.
Sed neque Phlegraeos Iovis Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus,
Nec mea conveniunt duro praecordia versu
Caesaris in Phrygios condere nomen avos.

18. posses *M.* 20. Impositam *N. Hb.* ut] at *Hb.* peleon *Hb.* 21. Nec G. *N.* ꝑgã (*sic*) *N.* 22. Xersis *G. N. Hb.*, Aersis *M.*, Persis *H.* choisse *Hb.*, cohisse *G.* 23. Regnane *Hb.* chartaginis *Hb.* 24. minae. 26. foret. 27. mutinem *G.* 29. fochos *Hb.* 30. Et *N. Hb.* ptolomenei *N. D.*, ptholomenei *Hb.*, ptholemaénei *r.*, pheolomēi *G.*, Ptolemaeeae *a.*, ptolemaeei *H. M.*, Ptholomaeaeae *P.* fari *D.* 31. caneret ciprum *Hb.*, canerem cyptum *N.*, Aegyptum *R. a.*, Cyprum *H. V. M.* (? *D.*) cum attractus *N.*, contractus *G. H. V.*, contactus *M.* 33. chatenis. 34. sana *H. V.* rastra *G.* 35. Contexerit *N. r. D. H. V. M.*, contexuit *G.*, contexeris *Hb.* armi *G.* 36. Te *G.* (*sic Lachm.?*) pacem *pr. m. N.* 37. achiles *Hb.* 38. isioniden *r.*, isionidem *D.*, ysyonidem *G.*, hysionidem *Hb.* meneciaden *N.*, meneatiden *Hb.*, meneciadem *G.* 39. flegreos *N. Hb.*, phelegereos *r.*, phlegreos *P.* encheladique *Hb. a. s. m.* 40. augusto *H.* calimachus *Hb.* 41. praeconia *G.*

Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves,
Nos contra angusto versantes praelia lecto:
Qua pote quisque, in ea conterat arte diem.
Laus in amore mori: laus altera, si datur uni
Posse frui: fruar o solus amore meo!
Si memini, solet illa levès culpare puellas,
Et totam ex Helena non probat Iliada.
Seu mihi sunt tangenda novercae pocula Phaedrae,
Pocula privigno non nocitura suo,
Seu mihi Circaeo pereundum est gramine, sive
Colchis Colchiacis urat aena focis,
Una meos quoniam praedata est femina sensus,
Ex hac ducentur funera nostra domo.
Omnes humanos sanat medicina dolores:
Solus amor morbi non amat artificem.
Tarda Philoctetae sanavit crura Machaon,
Phoenicis Chiron lumina Phillyrides,
Et deus extinctum Cressis Epidaurius herbis
Restituit patriis Androgeona focis,
Mysus et Haemonia iuvenis qua cuspide vulnus
Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.
Hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus
Tantalea poterit tradere poma manu:
Dolia virgineis idem ille repleverit urnis,
Ne tenera assidua colla graventur aqua:
Idem Caucasia solvet de rupe Promethei
Brachia et a medio pectore pellet avem.

43. tauris] bovis *H.* 44. Et numerat *N.*, emunerat *pr. m. Hb.* 45. versamus *P. a.*, versantes *D. H. M.* 46. mea *D. r.* conteret *H.* 47. uno *G. N. Hb. V.* laus si datur altera vivo *R. et vetus codex P. Perr. D. H. M.* 48. o *om. D.* 51. sint tangenda *G. a. R.*, sunt *D. H. M.* 52. privignio *r.* 53. circeio *pr. m. Hb.* sanguine. 54. Cholchis *N.* 57. Omnis *G. H.* 59. philotetae *G.* cura *pr. m. N.* 60. phillirides *N.*, phylirides *G.*, philirides *R.* 61. cresis *G. R. Hb. a.*, cressis *D.*, craesis *N.* 62. patruis *H.*, patrius *Hb. pr. m.* 63. Missus *N. D. M.* hemonja *R.* 65. potuit *D. R.* 66. Tanthalea *Hb.* 67. ille idem *G. D.* impleverit *D.*, repleverat *H.* 69. caucasea *G. R. H.* prometheus *G.*

Quandocumque igitur vitam mea fata reposcent,
Et breve in exiguo marmore nomen ero,
Maecenas, nostrae pars invidiosa iuventae,
Et vitae et morti gloria iusta meae,
Si te forte meo ducet via proxima busto,
Esseda caelatis siste Britanna iugis,
Taliaque illacrimans mutae iace verba favillae:
„Huic misero fatum dura puella fuit.“

II.

Liber eram et vacuo meditabar vivere lecto:
At me composita pace fefellit Amor.
Cur haec in terris facies humana moratur?
Iuppiter, ignoro pristina furta tua.
Fulva coma est longaeque manus, et maxima toto
Corpore, et incedit vel Iove digna soror,
Aut cum Dulichias Pallas spatiatur ad aras,
Gorgonis anguiferae pectus operta comis,
Qualis et Ischomache, Lapithae genus, heroine,
Centauris medio grata rapina mero,
Mercurio et Sais fertur Boebeidos undis
Virgineum primo composuisse latus.
Cedite iam, divae, quas pastor viderat olim
Idaeis tunicas ponere verticibus.

71. mea] me *H.* 73. spes *N. R. A.* inviidosa *r.* 74. mortis *D. H.* 75. ducit *H.* 76. celatis *D.* britanda *G.* 77. illachrymans mute *r.* 78. *Hic versus novam elegiam orditur in N.*

II, 3. interris *R.* divina *Perr.* 4. ignoro *superscripto: vel* sco *m. s. N., f.* ignosco *P.*, ignosco *a.*, ignoro *Perr. H. V. M.* fata *N.* 7. dulychias *D.*, bullichias *V.*, „munichias *al.*“ *Perr.* palias *r.* 8. angustae *D.*, anguiferre *Hb.* aperta *H.* 9. ischomacae *r.*, hyscomachae *G.*, hiscomachae *D.*, hischomache *Hb.*, hisconice *M.* lapite *G.*, lapithe *N.*, laphitae *r.*, laphite *Hb.*, laphytae *D.*, lapithum *v. c. Perr.*, laphitum *P.* gaenus *r.* heroinae *D. r.* 10. Centaurus *r.* 11. Mercurioque *a.*, Mercurio *H. M. D.* et *om. codd.* sanctis *r. H. M.*, sanctus *D.*, satis *G. N. Hb. V.* bebeidos *G.*, bobeidos *pr. m. N. D.*, bobeidas *Hb. r.*, baebeidos *a.*, boëbeidos *Perr.* 13. iam] etiam *N. Hb. D. H.* divaes *pr. m. Hb.* 14. tunicam *r. a.*, tunicas *D.*

Hanc utinam faciem nolit mutare senectus,
Etsi Cumaeae saecula vatis aget.

III.

Qui nullam tibi dicebas iam posse nocere,
Haesisti: cecidit spiritus ille tuus.
Vix unum potes, infelix, requiescere mensem,
Et turpis de te iam liber alter erit.
Quaerebam, sicca si posset piscis arena
[illegible] solitus ponto vivere torvus aper,
Aut ego si possem studiis vigilare severis:
Differtur, numquam tollitur ullus amor.
Nec me tam facies, quamvis sit candida, cepit
— Lilia non domina sint magis alba mea:
Ut Maeotica nix minio si certet Hibero,
Utque rosae puro lacte natant folia —,
Nec de more comae per levia colla fluentes,
Non oculi, geminae, sidera nostra, faces,
Nec si qua Arabio lucet bombyce puella
— Non sum de nihilo blandus amator ego —,
Quantum quod posito formose saltat Iaccho,
Egit ut euantes dux Ariadna choros,
Et quantum, Aeolio cum tentat carmina plectro,
Par Aganippeae ludere docta lyrae,
Et sua cum antiquae committit scripta Corinnae,

15. noluit *G. pr. m. Hb.* 16. cumemae *G.*, cumeae *R.* agat *H. M.*

III, 1. nullum *omnes.* dicebam *M.* 3. potes infelix unum *D.* 5. possit *a.*, posset *D. M.*, possis *r.* harena *G. Hb.* 6. torvus] solus *H.* 7. vigiliare *pr. m. Hb.* serenis *H. V. M.* 8. uillus *Hb.* 9. 10. *om. G.* 9. quavis *N.* si *M.* caepit *N.* 10. ut sint *P. Perr. H.*, sunt *H. V. M.*, st *Hb.* 11. Et *r. a.*, Ut *D. H. Perr.* maeoticanix *N.*, nix maeotica *D.* certat *G.*, crescit *pr. m. Hb.* hybero *R.* 12. natent *V.*, natent *N.*, nactant *r.* 13. levia per *Hb.* fluentis *Hb.* 14. gemine *r.*, gemme *G.* 15. si quando araba *P. Perr.* bombice *G. R.*, bonbyce *N.* 17. quod] pro *D.* formosae *G. r. A.* iacheo *pr. m. N. pr. m. Hb.*, iacho *r.*, hyaccho *G.* 18. euhantes *N.*, euentes *pr. m. Hb.*, euhentes *s. m.* adriagna *pr. m. N.*, adriana *M.* 19. temptat *N.*, tentant *Hb.* 21. corynae *R.*, carinae *Hb.*

Carminaque Erinnes non putat aequa suis.
Num tibi nascenti primis, mea vita, diebus
Ardidus argutum sternuit omen Amor?
Haec tibi contulerunt caelestia munera divi,
Haec tibi ne matrem forte dedisse putes.
Non non humani partus sunt talia dona:
Ista decem menses non peperere bona.
Gloria Romanis una es tu nata puellis:
Romana accumbes prima puella Iovi.
Nec semper nobiscum humana cubilia vises:
Post Helenam haec terris forma secunda redit.
Hac ego nunc mirer si flagret nostra iuventus?
Pulchrius hac fuerat, Troia, perire tibi.
Olim mirabar, quod tanti ad Pergama belli
Europae atque Asiae causa puella fuit:
Nunc, Pari, tu sapiens et tu, Menelae, fuisti,
Tu, quia poscebas, tu, quia lentus eras.
Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles:
Vel Priamo belli causa probanda fuit.
Si quis vult fama tabulas anteire vetustas,
Hic dominam exemplo ponat in arte meam:
Sive illam Hesperiis sive illam ostendet Eois,
Uret et Eoos, uret et Hesperios.

* * *

22. Carmina quae *G. N. R. Perr. V. M. D.* lyrnes *G.*, quivis *N. R. Perr. V. M. Hb. D.*, quamvis *H.* puta *G.* 23. Non *N. H. M.*, Nunc *V.* 24. Arduus *G.*, Aridus *Hb. a. r.*, Ardidus *D. v. c. Perr.*, Arridus *H. V. M.* stertuit *G. r. H. V. M.* omnis *r.* amor] avis *D.* 25. tibi *om. N.* contulerint *N. D. M. Hb. r.*, cum tulerint *H.*, contulerant *G.* 26. ne] me *H.* forte] stulta *Perr. f. P.* 27. sunt partus *R. a.*, partus sunt *H.*, pertus *Hb.*, parthus sint *G.* 30. accumbens *omnes corr. P.* 32. helenem *G.* reddit *G. Hb.* 33. Hanc *P.*, Ah *r.* non *G. a.*, nunc *Perr.*, nunc *Hb.* miser *r.* 34. ah *r.* fuerit *G.* 35. quod] cur *G.* ad] in *a.*, ad *D. H. V. M.* 39. achiles *Hb.* 40. priāō (*sic*) *N. pr. m.*, *sed* priamus *a. s. m. sic et G. r. A. Hb.* foret *G.* 41. fama volet *G.* 42. arce *f. P. v. c. Perr.*, ante *N. G. R. Hb. a.* 43. experūs (*sic*) *G.* ostendat *G.*, ostendit *r. a.*, ostendet *D.*, ostendes *Hb.*

His saltem ut tenear iam finibus! ah mihi, si quis,
Acrius ut moriar, venerit alter amor!
Ac veluti primo taurus detrectat aratra,
Post venit assueto mollis ad arva iugo,
Sic primo iuvenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti post haec aequa et iniqua ferunt.
Turpia perpessus vates est vincla Melampus,
Cognitus Iphicli surripuisse boves;
Quem non lucra, magis Pero formosa coegit,
Mox Amythaonia nupta futura domo.

IV.

Multa prius dominae delicta queraris oportet,
Saepe roges aliquid, saepe repulsus eas,
Et saepe immeritos corrumpas dentibus ungues,
Et crepitum dubio suscitet ira pede.
Nequicquam perfusa meis unguenta capillis,
Ibat et expenso planta morata gradu.
Non hic herba valet, non hic nocturna Cytaeis,
Non Perimedeae gramina cocta manus.
Quippe ubi nec causas nec apertos cernimus ictus,
Unde tamen veniant tot mala caeca via est.
Non eget hic medicis, non lectis mollibus aeger,
Huic nullum caeli tempus et aura nocet:
Ambulat, et subito mirantur funus amici:
Sic est incautum, quicquid habetur amor.

45. saltem] precor *Perr. f. P.* nequis] *Perr. P.* 46. morior *M.* 47. Ut *M.* detractat *N. Hb. D. M.* aratro *N.* 50. perdomiti *D.* posthaec *om. D.*, post hac *G.* 51. est] et *H. M. D.* 52. yphicli *N. Hb.*, hyphicli *G. R.* subripuisse *G. N. R. a.*, surripuisse *M.* bovem. 53. Quae *D.* tunc *V.* phero *N. Hb. D.*, ferro *H.*, phaero *r.*, paero *P.* 54. amithaonia *N. Hb. a. R.*, amintaonia *G.*, amyctaonia *D.* nuta *V.*

IV, 3. inmeritos *N. G.* 4. strepitum *H.* 5. Nequiquam *N.*, Ne quisquam *Hb.* perfussa *Hb.* 7. nocitura *V.*, nocentia *G.* citeis *a.*, cytheis *N.*, cythueis *R.* 8. per medeae *codd. omnes.* 9. ibi *V. M.* carminis *pr. m. Hb.* 10. torta *G.*, certa *pr. m. D.* 13. subitum *G. Perr.* miramur *G.* 14. sinus *Hb.* in cantum *H.*

Nam cui non ego sum fallaci praemia vati?
Quae mea non decies somnia versat anus?
Hostis si quis erit nobis, amet ille puellas:
Gaudeat in puero, si quis amicus erit.
Tranquillo tuta descendis flumine cymba:
Quid tibi tam parvi litoris unda nocet?
Alter saepe uno mutat praecordia verbo,
Altera vix ipso sanguine mollis erit.

V.

Hoc verum est, tota te ferri, Cynthia, Roma,
Et non ignota vivere nequitia?
Haec merui sperare? dabis mihi, perfida, poenas:
Et nobis aliquo, Cynthia, ventus erit.
Inveniam tamen e multis fallacibus unam,
Quae fieri nostro carmine nota velit,
Nec mihi tam duris insultet moribus, et te
Vellicet: heu sero flebis amata diu.
Nunc est ira recens, nunc est discedere tempus:
Si dolor abfuerit, crede, redibit amor.
Non ita Carpathiae variant Aquilonibus undae,
Nec dubio nubes vertitur atra Noto,
Quam facile irati verbo mutantur amantes:
Dum licet, iniusto subtrahe colla iugo.
Nec tu non aliquid, sed prima nocte, dolebis:
Omne in amore malum, si patiare, leve est.
At tu, per dominae Iunonis dulcia iura
Parce tuis animis, vita, nocere tibi.
Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem,
Verum etiam instanti laesa repugnat ovis.

15. Nam quoi ego non sum *G.* previa *G.* 17. si quid *V.* ipse *R. Hb. a.*, ille *Perr. II.* puellam. 18. Candeat. 19. descendit *G. R. a.*, descendis *D.* flumina *G.* 20. iam *P.* 22. mitis *G.*

V. *Cohaeret cum superiore pr. m. Hb.* 1. est] e. *Hb.* fieri *r.* 3. Haec *V.* spectare *Hb.* mi *G. Hb.* 4. aquilo *omnes.* 6. carmina *r.* 8. Vendicet *R. M. V.*, vindicet *Perr. H.* 10. abfuerit *R. a. fortasse G.*, affuerit *N. Hb.* 11. undae] ũ (*sic*) *Hb.* 12. dubie *D.* notho *Hb. N.* 15. non *bis G.* 20. inflanti *N.*

Nec tibi periuro scindam de corpore vestem,
Nec mea praeclusas fregerit ira fores,
Nec tibi connexos iratus carpere crines
Nec duris ausim laedere pollicibus.
Rusticus haec aliquis tam turpia praelia quaerat,
Cuius non hederae circuiere caput.
Scribam igitur, quod non umquam tua deleat aetas,
„Cynthia forma potens, Cynthia verba levis.“
Crede mihi, quamvis contemnas murmura famae,
Hic tibi pallori, Cynthia, versus erit.

VI.

Non ita complebant Ephyreae Laidos aedes,
Ad cuius iacuit Graecia tota fores,
Turba Menandreae fuerat nec Thaidos olim
Tanta, in qua populus lusit Erichthonius,
Nec, quae deletas potuit componere Thebas,
Phryne tam multis facta beata viris.
Quin etiam falsos fingis tibi saepe propinquos,
Oscula nec desunt qui tibi iure ferant.
Me iuvenum pictae facies, me nomina laedunt,
Me tener in cunis et sine voce puer:
Me laedit, si multa tibi dedit oscula mater,
Me soror et cum qua dormit amica simul:

21. periurae *D.* vestes *N. R.* 22. mea] que *G.* per clausas *D.* 23. conexos *N.*, commexos *M.*, contextos *Perr.* 25. aliquid *H.* 26. circuire *G.*, circumiere *N. r. Hb. A.* 27. quod *om. pr. m. Hb.* nunquam *G. pr. m. N.* deleverit *M.*, dŏleat (*sic*) *N.* 28. formapotens *et* verbalevis *P.* sermo verba (*sic*) *D.* 29. contempnas *N.* munera *G.*

VI, 1. ephereae *N. Hb.*, *sed exp. tertia* e, laydos *Hb. N.* 2. fores] pedes *H. V. M.* 3. memorandae fuerant *D.* taydos *Hb.*, nicteidos *V.* olim] undis *D.* 4. Tanta] Turba *D.* ericthonius *N.*, erictonius *G. R. Hb.* 5. delectas *pr. G. N. Hb. V.* 6. Phyrne *A. G. N. r.*, Pirnae *pr. m. Hb.*, Phirne *s. m. Hb.* 7. Quum *r.* falso *G.* fingit *M.* 8. ne desint *D.* iure] rara *H. M.* ferunt *G.* 9. facies pictae *a.*, pictae facies *V.*, faties *N.* 11. ledet *N. Hb. R.*, laedet *a.*, laedit *H.*, laedes *D.* „sibi *et* dormit (12.) *Pius in Luc.* 14.“ *Perr.* simulata *Hb. pr. m.* dabit *N. R. A.* 12. „dormis *contra regulam*“ *Perr. r.*

Omnia me laedunt: — timidus sum: ignosce timori: —
Et miser in tunica suspicor esse virum.
His olim, ut fama est, vitiis ad praelia ventum est:
His Troiana vides funera principiis.
Aspera Centauros eadem dementia iussit
Frangere in adversum pocula Pirithoum.
Cur exempla petam Graium? tu criminis auctor,
Nutritus duro, Romule, lacte lupae.
Tu rapere intactas docuisti impune Sabinas:
Per te nunc Romae quidlibet audet Amor.
Felix Admeti coniunx et lectus Ulixis,
Et quaecumque viri femina limen amat.
Templa Pudicitiae quid opus statuisse puellis,
Si cuivis nuptae quidlibet esse licet?
Quae manus obscenas depinxit prima tabellas
Et posuit casta turpia visa domo,
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiaeque suae noluit esse rudes.
Ah gemat, in terris ista qui protulit arte
Iurgia sub tacita condita laetitia.
Non istis olim variabant tecta figuris:
Tum paries nullo crimine pictus erat.
Sed nunc immerito velavit aranea fanum,
Et mala desertos occupat herba deos.
Quos igitur tibi custodes, quae limina ponam,
Quae numquam supra pes inimicus eat?

13. ledent *N. Hb. R.*, laedent *r.*, laedunt *H.* furori *D.* 15. deprelia *Hb.* est *om. V.* 16. principibus *G.* 17. centauros *r.* clementia *pr. m. Hb.* 18. perithoum *N. r.*, pyrithoum *Hb.* 19. Quin *H.*, Cui *Hb.*, Cumque *M.* extrema *G. M.* petas *D.* gravius *M.*, gravium *Hb.* 20. dura *M.* 22. qui libet (*sic*) *G. r.*, quilibet *Hb. D. m.* 23. ameti *N. Hb.*, admoti *G.* ulyxis *G.*, ulyssis *R.*, ulysses *D.* 24. vici *r.*, feri *N. Hb. V. D.*, veni *M.* „*erasa vel*“ (*sic Heins.*) fori *H.* 26. cuius *r. H.*, quovis *V. Hb.* qui libet (*sic*) *G.*, quodlibet *R.*, cuilibet *H. V. M.* 28. iussa *H. V.* 29. corrumpit *G. Hb. H. V.* 30. voluit *Hb.* 31. Ha *Hb.* iste *N.* protullit *Hb.* 34. Cum *R. a.*, Tum *Perr.* lumine *H.* 35. non *codd. omnes.* vitiavit *G.* 37. lumina *r.* 38. supra me pes, *sed exp.* me *G.*

Nam nihil invitae tristis custodia prodest:
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.
Nos uxor numquam, numquam me ducet amica:
Semper amica mihi, semper et uxor eris.

VII.

Gavisa est certe sublatam Cynthia legem,
Qua quondam edicta flemus uterque diu,
Ni nos divideret. — Quamvis diducere amantes
Non queat invitos Iuppiter ipse duos.
At magnus Caesar. — Sed magnus Caesar in armis:
Devictae gentes nil in amore valent.
Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
Quam possem nuptae perdere amore faces.
Aut ego transirem tua limina clausa maritus,
Respiciens udis prodita luminibus?
Ah mea tum qualis caneret tibi, Cynthia, somnos
Tibia, funesta tristior illa tuba!
Unde mihi patriis gnatos praebere triumphis?
Nullus de nostro sanguine miles erit.
Quod si vera meae comitarent castra puellae,
Non mihi sat magnus Castoris iret equus.
Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,
Gloria ad hibernos lata Borysthenidas.

39. nil *G.* prodet *V.* 41. Hos *r. M.*, Uxor me *a.*, *sed* Nos uxor *D. H. V.*

VII, 1. sub certe latam *Hb.*, sublata-lege *G.* 2. edita *Hb.* stemus *N. Hb. D. M. r.* 3. Qui *Hb.*, Quae *P. Perr.*, Quis *V.*, Si *H.* deducere *M.* amanteis *P. A.*, amantis *r.*, amantem *G.* 4. querit *H.* invictos *D.* 5. An *D.* 6. Seductae *H.* 7. discindere *G.*, debiscere *pr. m. Hb.* 8. more *N. Hb. D.*, in ore *H. M. r.*, amore *Perr. V.* 9. An *a.*, Aut *M. H. D.* transierem *pr. m. Hb.*, transierim *G.* clara *M.* 10. perdita *a. r.*, prodita *Perr. D. H. V. M.* 11. A *N.* qualeis *a.*, qualis *M.* tibi tybia *N.*, tibi tibia *Hb. D. H. V. M.* somnos] cantus *a.*, somnos *D. H. V. M.* 12. Tybia. 13. *initium elegiae G. N. r. D. H. V. M. Interducta lineola discrevit, tum vero adscripsit: „una in veteri cod.“ Perr. „una eademque elegia in antiquo codice.“ P.* 13. pateris *D.* gnatos *V.* 15. Et si *r.* comitarer *P. a. sed nostrum D. et Heinsiani tres.* 18. boristenidas *r. Hb. N.*, borystenidas *P.*, borestinidas *G.*

Tu mihi sola places: placeam tibi, Cynthia, solus.
Hic erit et patrio sanguine pluris amor.

VIII.

Eripitur nobis iam pridem cara puella,
Et tu me lacrimas fundere, amice, vetas!
Nullae sunt inimicitiae nisi amoris acerbae:
Ipsum me iugula, lenior hostis ero.
Possum ego in alterius positam spectare lacerto?
Nec mea dicetur, quae modo dicta mea est?
„Omnia vertuntur: certe vertuntur amores:
„Vinceris aut vincis: haec in amore rota est.
„Magni saepe duces, magni cecidere tyranni,
„Et Thebae steterunt, altaque Troia fuit."
Munera quanta dedi, vel qualia carmina feci!
Illa tamen numquam ferrea dixit: Amo.
Ergo tam multos nimium temerarius annos,
Improba, qui tulerim teque tuamque domum,
Ecquandone tibi liber sum visus? an usque
In nostrum iacies verba superba caput?
Sic igitur prima moriere aetate, Properti?
Sed morere, interitu gaudeat illa tuo,
Exagitet nostros Manes, sectetur et umbras,
Insultetque rogis, calcet et ossa mea.
Quid? non Antigones tumulo Boeotius Haemon
Corruit ipse suo saucius ense latus,
Et sua cum miserae permiscuit ossa puellae,
Qua sine Thebanam noluit ire domum?
Sed non effugies: mecum moriaris oportet:

19. placem *Hb.* 20. patriae *V.*

VIII, 1. Aripitur *G.* 3. Nullae inimicitiae sunt *D.* 4. levior *Hb. r.*, segnior *V.* 9. tyramni *Hb.* 10. steterant *omnes.* 12. dicit *D.* 13. iam *N. Hb. A. R.* 14. qui] quin *pr. m. N.* tullerim *Hb.* 15. Et quando ire *R. pr. G. a.*, Et quando ne *v. c. P. corr. G. v. c. Perr. M. Hb. D.*, quoniamne *H.* anusque *N. Hb. r.* 17. aetaete *Hb.* 18. Sed morte *G.* 19. in umbras *Hb.* 21. antigone *G. N. Hb. r. H. V.*, antigonae *M. D.* boetius *G. r. Hb.*, boecius *N.* 22. sancius *pr. m. Hb.* 23. cum] tam *G.* 25. effigies *pr. m. N.*, efficies *r. Hb. a.*, effugies *M. Perr.*

Hoc eodem ferro stillet uterque cruor.
Quamvis ista mihi mors est inhonesta futura:
Mors inhonesta quidem, tu moriere tamen.
Ille etiam abrepta desertus coniuge Achilles
Cessare in tectis pertulit arma sua.
Viderat ille fugas, tractos in litore Achivos,
Fervere et Hectorea Dorica castra face,
Viderat informem multa Patroclon arena
Porrectum et sparsas caede iacere comas,
Omnia formosam propter Briseida passus:
Tantus in erepto saevit amore dolor.
At postquam sera captiva est reddita poena,
Fortem illum Haemoniis Hectora traxit equis.
Inferior multo cum sim vel matre vel armis,
Mirum, si de me iure triumphat Amor?

IX.

Iste quod est, ego saepe fui: sed fors et in hora
Hoc ipso eiecto carior alter erit.
Penelope poterat bis denos salva per annos
Vivere, tam multis femina digna procis:
Coniugium falsa poterat differre Minerva,
Nocturno solvens texta diurna dolo:
Visura et quamvis numquam speraret Ulixen,
Illum expectando facta remansit anus.
Nec non exanimem amplectens Briseis Achillem
Candida vesana verberat ora manu,
Et dominum lavit maerens captiva cruentum,
Appositum fluviis in Simoenta vadis,

26. ferro eodem *N.* 29. coninge *R.*, coiuge *G.* 30. intectis *R.* 31. fuga *G. R. a.*, fugas *D. V.*, Phrygas *H.* littora *P.* 32. Ferre. 35. formosa *G. in fine add.* Achilles, *quod tamen iterum expunxit.* 36. erepito *pr. m. Hb.* sacra *V.*, seni *pr. m. Hb.* rectoita *pr. m. Hb.* 39. marte *G. N. A.*, in arte *R.*, matre *Perr.* „marte *vel* matre“ *P.*

IX, 1. fors et] forae *G.* in ora *D.* 2. electo *N. Hb. D. H.*, erepto *G. r.* 3. Penolope *R.* bissenos *G.* 6. tecta *r.* 7. ulyssem *R.* 8. annus. 11. moriens *D.* 12. Propositum *N. Perr.*, Oppositum *H.* in fluviis *H.*

Foedavitque comas, et tanti corpus Achilli
Maximaque in parva sustulit ossa manu,
Cum tibi nec Peleus aderat nec caerula mater,
Scyria nec viduo Deidamia viro.
Tunc igitur veris gaudebat Graecia natis:
Tunc etiam felix inter et arma pudor.
At tu non una potuisti nocte vacare,
Impia, non unum sola manere diem.
Quin etiam multo duxistis pocula risu:
Forsitan et de me verba fuere mala.
Hic etiam petitur, qui te prius ipse reliquit.
Di faciant, isto capta fruare viro!
Haec mihi vota tuam propter suscepta salutem,
Cum capite hoc Stygiae iam poterentur aquae,
Et lectum flentes circum staremus amici?
Hic ubi tum, proh di, perfida, quisve fuit?
Quid si longinquos retinerer miles ad Indos,
Aut mea si staret navis in Oceano?
Sed vobis facile est, verba et componere fraudes:
Hoc unum didicit femina semper opus,
Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hiberno tam tremefacta Noto,
Quam cito feminea non constat foedus in ira,
Sive ea causa gravis, sive ea causa levis.
Nunc, quoniam ista tibi placuit sententia, cedam,
Tela, precor, pueri, promite acuta magis,
Figite certantes, atque hanc mihi solvite vitam:
Sanguis erit vobis maxima palma meus.

* * *

13. achilis *r.*, achillis *P. a.*, achilli *D.* 14. substulit *G.* 15. Quo. 16. Syria *r. V.* 17. viris *N. Hb.* castis *D. H. V. M. r.* gratia *G.* 21. duxisti *G. r. A.* luxu *P. a.*, *sed nostrum tuetur D. et Heinsiani.* 22. et risu de *V.* 24. Dii *Hb. N.* 25. Nec *G. r. D.* 27. circumstaremus *R. A.* 28. tibi *Perr.* tum *om. H.* prodii *R.*, pro dii *Hb.*, proh dii *N.* 29. longincos retineret *G.* 30. ooceano *N.* 31. nobis *G. pr. m. Hb.* 36. ea *om. M.* cā levis *Hb.* 37. ipsa *H.* 38. precor] quidem *Hb. D. M.* promitte *N.*, figite *a.*, promite *D. Perr. M.*, prompte *pr. m. Hb.* magis] manu. 40. nobis *G. r.* meis *r.*

Sidera sunt testes et matutina pruina
Et furtim misero ianua aperta mihi:
Te nihil in vita nobis acceptius umquam:
Nunc quoque eris, quamvis sis inimica mihi.
Nec domina ulla meo ponet vestigia lecto:
Solus ero, quoniam non licet esse tuum.
Atque utinam, si forte pios eduximus annos,
Ille vir in medio fiat amore lapis!
Non ob regna magis diris cecidere sub armis
Thebani media non sine matre duces.
Quam, mihi si media liceat pugnare puella,
Mortem ego non fugiam morte subire tua.

X.

Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis,
Et campum Haemonio iam dare tempus equo.
Iam libet et fortes memorare ad praelia turmas,
Et Romana mei dicere castra ducis.
Quod si deficiant vires, audacia certe
Laus erit: in magnis et voluisse sat est.
Aetas prima canat Veneres, extrema tumultus:
Bella canam, quando scripta puella mea est.
Nunc volo subducto gravior procedere vultu,
Nunc aliam citharam me mea Musa docet.
Surge, anima, ex humili: iam carmine sumite vires,
Pierides: magni nunc erit oris opus.
Iam negat Euphrates equitem post terga tueri
Parthorum, et Crassos se tenuisse dolet:
India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho,

42. Est *r.* 43. nobis] magis est *H.* 44. sis] sic *N.* 45. pone *r.* 47. pios] tuos *D.* 52. fugio *H.*

X, 1. 2. *in G. r. Hb. D. superiori carmini adhaerescunt, sed P. et m. s. Hb. interstitio diiunxit.* 1. Iam *a.*, Sed *H. M. D.*, ...d *V.* 2. hemonio *G.*, aemonio *r.* 5. deficient *D.* 6. noluisse *G.* 7. veteres *G.* 9. succedere *D. H. M. r.* cultu *G.* 10. Namque *H. M.*, Iamque *V.* citheram *G.* 11. carmina *pr. m. Hb. D. H.* 13. eufrates *G.* 14. timuisse *s. m. Hb. H. M.*, metuisse *V.* 15. quis *G. N. Hb. D. H. V. r.*, Indicus o *Perr.* augustae *N.*

Et domus intactae te tremit Arabiae:
Et si qua extremis tellus se subtrahit oris,
Sentiat illa tuas post modo capta manus.
Haec ego castra sequar: vates tua castra canendo
Magnus ero: servent hunc mihi fata diem!
Ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
Ponitur hic imos ante corona pedes,
Sic nos nunc, inopes laudis conscendere carmen,
Pauperibus sacris vilia tura damus.
Nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontes,
Sed modo Permessi flumine lavit Amor.

XI.

Scribant de te alii vel sis ignota, licebit:
Laudet, qui sterili semina ponit humo.
Omnia, crede mihi, secum uno munera lecto
Auferet extremi funeris atra dies:
Et tua transibit contemnens ossa viator,
Nec dicet: „Cinis hic docta puella fuit.“

XII.

Quicumque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,
Nonne putes miras hunc habuisse manus?
Hic primum vidit sine sensu vivere amantes,
Et levibus curis magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas,

16. E *r.* 17. subtrahat *G.* horis *N. Hb.* 18. Sentiet *P. a.*, *sed* sentiat *D. H. V. M.* post mihi *G.* capta] victa *a.*, *sed* capta *D. H. V. M.* 19. Nec *r.* 20. nunc *G.* 21. magnis ut non ũ ẽ (*sic*) *Hb.* 22. hac *G. N. r. Hb.*, ac *D.* unos *V.* 23. nunc] non *H.* inipes *pr. m. N.* 25. Nundum *Hb.* aeciam *Hb.* ascreos etiam *N.* 26. termessi *Hb. s. m. et D.* flumina *H.*

XI, 1. Scribebant *M.* alii de te *Hb.* vel] ne *M.* ignora (*sic*) *N.* 2. Ludet *N. R. Hb. a.*, Audet *H.*, Laudet *Perr. f. P.* 3. tecum *N. r. A.* 5. contempnens *N.* 6. hec *s. m. N.*, cuius haec *D.*

XII, 1. primus *G. R.* „*f.* puerum *v. c.*“ (*sic*) *P.* depinxit *H.* 2. hunc] h *pr. m. Hb.* 3. Is *a.*, Hic *D. H. M.*, is *s. m. Hb.* 5. ventosos *Hb.*

Fecit et humano corde volare deum;
Scilicet alterna quoniam iactamur in unda,
Nostraque non ullis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Cnosia utroque iacet;
Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.
In me tela manent, manet et puerilis imago:
Sed certe pennas perdidit ille suas,
Evolat heu! nostro quoniam de pectore nusquam,
Assiduusque meo sanguine bella gerit.
Quid tibi iucundum est siccis habitare medullis?
Si pudor est, alio traiice tela tua.
Intactos isto satius tentare veneno:
Non ego, sed tenuis vapulat umbra mea.
Quam si perdideris, quis erit qui talia cantet
(Haec mea Musa levis gloria magna tua est),
Qui caput et digitos et lumina nigra puellae
Et canat ut soleant molliter ire pedes?

XIII.

Non tot Achaemeniis armatur Itura sagittis,
Spicula quot nostro pectore fixit Amor.

8. nonnullis *H. Hb. M.* 9. hamantis *N.*, amatis *pr. m. Hb.* armta *R.* 10. gnosia *N. Hb. r. A.* uterque *N.* sonat *a.*, *sed* iacet *D. H. V. M.* 11. quam] qua *H.*, non *G.* hostes *G.* 12. abit] erit *Hb. V.* 14. poeñas *Hb.*, poenas *M.* 15. heu] é *N. Hb.*, è *A.*, e *R. G.* (?) 17. tibi *om. G.* est *G.*, et *N.*, *om. R. a.*, est *V.* si vis *G.* medulis *Hb.* 18. Si puer *N. R. Hb. A.* es *a.*, est *D. V. M.* traice *N. Hb. A. R.*, trahice *G.* puella tuq *pr. m. N. V. Hb. M.*, puella loco *m. s. N. D. H.*, tella tuo *R.*, „bella *vel* tela loco“ *Perr.* „Si pudor est: alio traiice bella tua, *ut puto*“ *P.* 19. istos *H.* saucius *Hb.*, potius *H.* temptare *G. N. Hb.* 20. vapulet *Hb.* 22. Nec *G. Hb. r.* 23. Quae *G. a.*, Quum *P.*, Qui *D. H. V. M.* 24. canit *G. R. a.*, *sed* canat *D. H. V. M. Perr.*

XIII, 1. achimeniis *N.*, achemeneis *G.*, tota achimeniis *Hb.* armantur *R. a.*, armatur *D. H. V. M.*, armatū (*sic*) *G.* etrusca *G. N. Hb. H. V. M. v. c. P. v. c. Perr.*, hetrusca *D. r.*, susa *a.* „Ityra *Pon.*“ *Perr.* sagiptis *G.*

Hic me tam graciles vetuit contemnere Musas,
Iussit et Ascraeum sic habitare nemus,
Non ut Pieriae quercus mea verba sequantur,
Aut possim Ismaria ducere valle feras,
Sed magis ut nostro stupefiat Cynthia versu:
Tunc ego sim Inachio notior arte Lino.
Non ego sum formae tantum mirator honestae,
Nec si qua illustres femina iactat avos:
Me iuvet in gremio doctae legisse puellae,
Auribus et puris scripta probasse mea.
Haec ubi contigerint, populi confusa valeto
Fabula: nam domina iudice tutus ero.
Quae si forte bonas ad pacem verterit aures,
Possum inimicitias tunc ego ferre Iovis.
Quandocumque igitur nostros mors claudet ocellos,
Accipe quae serves funeris acta mei.
Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa,
Nec tuba sit fati vana querela mei,
Nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.
Desit odoriferis ordo mihi lancibus: adsint
Plebei parvae funeris exequiae.
Sat mea sat magna est si tres sint pompa libelli,
Quos ego Persephonae maxima dona feram.
Tu vero nudum pectus lacerata sequeris,
Nec fueris nomen lassa vocare meum,
Osculaque in gelidis pones suprema labellis,
Cum dabitur Syrio munere plenus onyx.

3. gratiles *Hb.* contempnere *G.* 4. ascretum *Hb.* 6. hismaria *r. Hb.*, hismarias *N.*, in hismaria *G.* vale *Hb.* 7. stupescat *r. H. M.* 8. Tum sim ego *M.* Inacho *H.* 10. iactet *H. M.* 11. Nam *H.* iuvat *Hb. D. M.* docte *r.* 12. pueris *N. D. M. r. et pr. G.* dicta *H.*, scripta *H.* 13. contigerit *H.* 15. Quod *G. R. a.*, Quae *H. N. M.* 19. tunc] nunc *H.* 20. sit] sic *Hb.* 21. tum *H.* ex 22. actalico *Hb.* visa *D. H. M.* choro *Hb.* 24. obsequiae *G.*, obsequiae (*sic*) *N.* 25. Sat mea sit magna si *G. N. r. H. D.*, Sat sit magna mei si *P. a.*, Sat mea sat magna est *Perr.* sint] sit *M.* 26. Persephone *D.* 27. Tum *H.* nundum *r.* lacerta *r.* 29. Oscula quae *N.* supprema.

Deinde, ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat Manes parvula testa meos,
Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
Quae tegat extincti funeris umbra locum.
Et duo sint versus: „Qui nunc iacet horrida pulvis,
Unius hic quondam servus Amoris erat.“
Nec minus haec nostri notescet fama sepulcri,
Quam fuerant Phthii busta cruenta viri.
Tu quoque si quando venies ad fata (memento
Hoc iter), ad lapides cana veni memores.
Interea cave sis nos aspernata sepultos:
Non nihil ad verum conscia terra sapit.

* * *

Atque utinam primis animam me ponere cunis
Iussisset quaevis de tribus una soror!
Nam quo tam dubiae servetur spiritus horae?
Nestoris est visus post tria saecla cinis.
Cui tam longaevae minuisset fata senectae
Gallicus Iliacis miles in aggeribus!
Non ille Antilochi vidisset corpus humari,
Diceret aut: „O mors, cur mihi sera venis?“
Tu tamen amisso non numquam flebis amico:
Fas est praeteritos semper amare viros.
Testis, cui niveum quondam percussit Adonim
Venantem Idalio vertice durus aper:
Illis formosum iacuisse paludibus, illuc
Diceris effusa tu Venus isse coma.

31. ubi] et *Hb.* cineres *G.* 33. abdita *Hb.* 34. tegit *pr. m. N.* 35. arida *v. c. P. a.*, horrida *D. H. M.* 36. Huius *Hb.*, Unus *N.* hac condam *M.* 37. Non *H. V. pr. m. Hb.*, *s. m.* Hoc. hoc tristi *G.* notescat *H.* 38. pytii *Hb.*, pythii *N.*, ph..tii *G.*, scythii *H.* 39. facta. 41. si *G.* 43. curis *N.*, curis *M.* 44. quamvis *Hb.* 45. servatur *P.* 46. tria] tua *M.* secla] tela *pr. m. N.* 47. Quis *codd. mss. omnes*, Si *a.* 48. Gallus in *H.* illiacis *r.* milles *Hb.* 49. ille *om. G.* anthilochi *Hb.* humati *r.*, humari *D. H. V. M.* 53. qui *libri omnes.* iuvenem *H.* adonem *G. N. r. D. M.*, Adonim *a.* 55. flevisse *a.*, iacuisse *D. v. c. Perr.*

Sed frustra mutos revocabis, Cynthia, Manes:
Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui?

XIV.

Non ita Dardanio gavisus Atrida triumpho est,
Cum caderent magnae Laomedontis opes,
Nec sic errore exacto laetatus Ulixes,
Cum tetigit carae litora Dulichiae,
Nec sic Electre, salvum cum aspexit Oresten,
Cuius falsa tenens fleverat ossa soror,
Nec sic incolumem Minois Thesea vidit,
Daedalium lino cum duce rexit iter,
Quanta ego praeterita collegi gaudia nocte:
Inmortalis ero, si altera talis erit.
At dum demissis supplex cervicibus ibam,
Dicebar sicco vilior esse lacu.
Nec mihi iam fastus opponere quaerit iniquos,
Nec mihi ploranti lenta sedere potest.
Atque utinam non tam sero mihi nota fuisset
Conditio! cineri nunc medicina datur.
Ante pedes caecis lucebat semita nobis:
Scilicet insano nemo in amore videt.
Hoc sensi prodesse magis: contemnite, amantes:
Sic hodie veniet, si qua negavit heri.
Pulsabant alii frustra dominamque vocabant:
Mecum habuit positum lenta puella caput.
Haec mihi devictis potior victoria Parthis,
Haec spolia, haec reges, haec mihi currus erunt.

58. qui *N. D.* minat loqui *pr. m. Hb.*

XIV. *Expuncta inscriptio a. Perr.* 1. est *om. R.* 2. magno *pr. m.* laoomedontis *G.*, laumedontis *Hb. H. V. M.* 3. ulysses *R. A.* 5. Non electra *G.*, Nec sic electra *a.*, electre *v. c. Perr.* suum salvum *G. a.*, suum *omittit D.* cum *om. H. V.* conspexit *H.*, vidit *G.* orestem *r.*, horestem *Hb.* 7. Non *V.* 8. Daedaleum *a.*, Daedalium *H. V.*, Dedalium *N.* 11. Aut, *sed abras.* u *N.* dimissis *G.* 16. Condito *N.*, Condicio *r. G.* 17. vobis *V.* 19. contennite *G.*, contempnite *N.* 20. Si qua hodie *D.* venit *r.* 24. teges *D.*

Magna ego dona tua figam, Cytherea, columna,
Taleque sub nostro nomine carmen erit:
HAS PONO ANTE TUAS TIBI, DIVA, PROPERTIUS AEDES
EXUVIAS, TOTA NOCTE RECEPTUS AMANS.
Nunc ad te, mea lux, veniat mea litore navis
Servata! An mediis sidat onusta vadis?
Quod si forte aliqua nobis mutabere culpa,
Vestibulum iaceam mortuus ante tuum.

XV.

O me felicem! o nox mihi candida! et o tu
Lectule deliciis facte beate meis!
Quam multa apposita narramus verba lucerna,
Quantaque sublato lumine rixa fuit!
Nam modo nudatis mecum est luctata papillis,
Interdum tunica duxit operta moram.
Illa meos somno lapsos patefecit ocellos
Ore suo, et dixit: „Siccine, lente, iaces?“
Quam vario amplexu mutamus brachia! quantum
Oscula sunt labris nostra morata tuis!
Non iuvat in caeco Venerem corrumpere motu:
Si nescis, oculi sunt in amore duces.
Ipse Paris nuda fertur periisse Lacaena,
Cum Menelaeo surgeret e thalamo:
Nudus et Endymion Phoebi cepisse sororem
Dicitur et nudae concubuisse deae.
Quod si pertendens animo vestita cubaris,
Scissa veste meas experiere manus:

25. damna *pr. m. Hb.* cytheraea *P.*, cytarea *G.* columpna *N.*, columnae *N.*, coloña *Hb.* 29. Hunc *G.* a te *Perr.* venit *G.*, veniet *N. r. a.*, veniat *V.* me *H.* littora *P. a.*, littore *D. H. V. M.* 30. an] in *D. H.* sudat *M.*, sistat honusta *G. D.*, honusta *N. Hb.* 31. Quae *G. r. D.*, Et *a.*, Quod *Perr. H. V. M.*

XV, 1. nox o *a.*, o nox *D. V.* 2. delitiis *P. a.* 3. Multa tecum *H.* 7. lapso *r.*, lassos *N. a.*, lapsos *Perr.* 8. Sic cine *Hb.* lecte *N. H.* vaces *M.* 10. labiis *D.* 14. menelao *N. pr. m. Hb.*, menelaaeo *P.* 15. endimion *R. N.* 17. pretendens *G.*, protendens *D.* cubares *G. N. Hb. r. D. H. V. M.* 18. Scixa — manus — meas *G.*

Quin etiam, si me ulterius provexerit ira,
Ostendes matri brachia laesa tuae.
Necdum inclinatae prohibent te ludere mammae:
Viderit haec, si quam iam peperisse pudet.
Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore:
Nox tibi longa venit, nec reditura dies.
Atque utinam haerentes sic nos vincire catena
Velles, ut numquam solveret ulla dies!
Exemplo iunctae tibi sint in amore columbae,
Masculus et totum femina coniugium.
Errat, qui finem vesani quaerit amoris:
Verus amor nullum novit habere modum.
Terra prius falso partu deludet arantes,
Et citius nigros Sol agitabit equos,
Fluminaque ad caput incipient revocare liquores,
Aridus et sicco gurgite piscis erit,
Quam possim nostros alio transferre dolores:
Huius ero vivus, mortuus huius ero.
Quod mihi si secum tales concedere noctes
Illa velit, vitae longus et annus erit:
Si dabit haec multas, fiam immortalis in illis.
Nocte una quivis vel deus esse potest.
Qualem si cuncti cuperent decurrere vitam
Et pressi multo membra iacere mero,
Non ferrum crudele neque esset bellica navis,
Nec nostra Actiacum verteret ossa mare,
Nec totiens propriis circum oppugnata triumphis
Lassa foret crines solvere Roma suos.

19. etiam et si *G.* 20. Ostendens *r.* 22. hoc *G. v. c. Perr. H. V. M.* si qua *D.* periisse *G.* 24. non *G.* rediture *r.* 25. hyentes *Hb.* 27. vinctae *N. Hb. V.* sunt *H. M. r.* 28. feomina *Hb.* 29. Erat *pr. m. N.* 30. nullus *M.* 31. parthu *r.* 33. incipiant *V.* agitare *H.* 34. Arridus *G. Hb.* 35. possit *N.* calores *a.*, dolores *D. H. V. M.* 36. Vivus ero huius *H.* 37. tecum *N. Hb. A. r.* 41. cupient *G.*, vellent *R. a.*, cuperent *V.* deducere *G. N.*, decurrere *pr. m. Hb.* 43. esset neque *R. a.*, meum est *M.*, neque esset *V.*, et nec *H.* 44. actiatum *Hb.*, acciacum *r.*, adriacum *D.*, adryacum *G.* 45. toties *P. A.* cirrcum *r.*

Haec certe merito poterunt laudare minores:
Laeserunt nullos pocula nostra deos.
Tu modo, dum lucet, fructum ne desere vitae:
Omnia si dederis oscula, pauca dabis.
Ac veluti folia arentes liquere corollas,
Quae passim calathis strata natare vides,
Sic nobis, qui nunc magnum speramus amantes,
Forsitan includet crastina fata dies.

XVI.

Praetor ab Illyricis venit modo, Cynthia, terris,
Maxima praeda tibi, maxima cura mihi.
Non potuit saxo vitam posuisse Cerauno?
Ah Neptune, tibi qualia dona darem!
Nunc sine me plena fiunt convivia mensa,
Nunc sine me tota ianua nocte patet.
Quare, si sapis, oblatas ne desere messes,
Et stolidum pleno vellere carpe pecus:
Deinde, ubi consumpto restabit munere pauper,
Dic alias iterum naviget Illyrias.
Cynthia non sequitur fasces, nec curat honores:
Semper amatorum ponderat illa sinus.
At tu nunc nostro, Venus, o succurre dolori,
Rumpat ut assiduis membra libidinibus.
Ergo muneribus quivis mercatur amorem?
Iuppiter, indigna merce puella perit.
Semper in Oceanum mittit me quaerere gemmas,
Et iubet ex ipsa tollere dona Tyro.

47. Nec *N. Hb. V.*, Me *M.*, Te *H.* certa *r.* 48. pocula] lumina *V.* 49. licet *Hb. r.*, liceat *G.*, licet hunc *a.*, hunc *om. M. V. H. Perr.*, lucet *Perr.*, liceat *M.* 51. At *R.* arentis *H.*, alentes *G.* 52. cyathis *Perr.*, „ciathis *f.*“ *P.* 53. Sic magnum nobis nunc qui *N.* 54. inducet *D.* castina *G.*

XVI, 4. Ha. 5. fiunt tota *H.* 7. mesere *M.* 9. restabat *pr. m. Hb.* 11. non quaerit (querit *G.*) honores *H.* 12. una *N. Hb. D. P. Perr.* 14. ut] et *Hb.* membra *N.* 15. mercatus *r.* amicam *R. Hb. a.*, amorem *D. H. V.* 17. occeanum *Hb.* mitt (*sic*) *N.* 18. ipso *N. Hb. H. M. R.*

Atque utinam Romae nemo esset dives, et ipse
Straminea posset dux habitare casa!
Numquam venales essent ad munus amicae,
Atque una fieret cana puella domo.
Non quia septenas noctes seiuncta cubaris,
Candida tam foedo brachia fusa viro,
Non quia peccaris, testor te, sed quia vulgo
Formosis levitas semper amica fuit.
Barbarus excussis agitat vestigia lumbis,
Et subito felix nunc mea regna tenet.
Aspice, quid donis Eriphyla invenit amaris,
Arserit et quantis nupta Creusa malis.
Nullane sedabit nostros iniuria fletus?
An dolor hic vitiis nescit abesse tuis?
Tot iam abiere dies, cum me nec cura theatri
Nec tetigit Campi, nec mea Musa iuvat.
At pudeat certe, pudeat; nisi forte, quod aiunt,
Turpis amor surdis auribus esse solet.
Cerne ducem, modo qui fremitu complevit inani
Actia damnatis aequora militibus.
Hunc infamis amor versis dare terga carinis
Iussit et extremo quaerere in orbe fugam.
Caesaris haec virtus et gloria Caesaris haec est:
Illa, qua vicit, condidit arma manu.
Sed quascumque tibi vestes, quoscumque smaragdos
Quosve dedit flavo lumine chrysolithos,
Haec videam rapidas in vanum ferre procellas,
Quae tibi terra, velim, quae tibi fiat aqua.

19. ipso *H. M.* 20. posset *om. pr. m. Hb.* 21. amici *D.* 22. cara *G.*, coma *M.* domo] viro *H.* 23. sevincta *N. Hb.* cubares *R.* 24. fedo *N.* fixa *M.* 25. peccarim *omnes praeter P. Perr. a.* 26. lenitas *G.* 27. exclusis *G. r. Hb. D. M.*, exclusit *N.* 29. Accipe *M.* Eriphyle *a.*, Eriphyla *D. H.* amoris *M.*, amares *G.* 32. Et *Hb.* suis *N. R. Hb. A.* 34. campi *omiss. sed a pr. m. supra additum in N.* mensa *Hb. N. H. V. M.* 35. Ah *G. r. a.*, At *H. M.* nisi *om. H.* 37. flemitu *Hb.* 39. insanus *D. H. M.* 40. externo *una a. sed corr. omnes.* 43. quocunque *G. pr. m. Hb.* smaracdos *G.* 44. flavos *Hb. H. V.* chrisolithos *N.*, crisolitos *Hb.*, chrysolithus *M.* 45. vidam *G.* 46. fiet *omnes praeter V.*

Non semper placidus periuros ridet amantes
Iuppiter et surda negligit aure preces.
Vidistis toto sonitus percurrere caelo,
Fulminaque aetheria desiluisse domo.
Non haec Pleiades faciunt neque aquosus Orion,
Nec sic de nihilo fulminis ira cadit:
Periuras tunc ille solet punire puellas,
Deceptus quoniam flevit et ipse deus.
Quare ne tibi sit tanti Sidonia vestis,
Ut timeas, quotiens nubilus Auster erit.

XVII.

Mentiri noctem, promissis ducere amantem,
Hoc erit infectas sanguine habere manus.
Horum ego sum vates, quotiens desertus amaras
Explevi noctes, fractus utroque toro.
Vel tu Tantalea moveare ad flumina sorte,
Ut liquor arenti fallat ab ore sitim,
Vel tu Sisyphios licet admirere labores,
Difficile ut toto monte volutet onus:
Durius in terris nihil est quod vivat amante,
Nec, modo si sapias, quod minus esse velis.
Quem modo felicem invidia admirante ferebant,
Nunc decimo admittor vix ego quoque die.
Nec iuvat in triviis sicca requiescere luna,
Aut per rimosas mittere verba fores.
Nunc iacere e duro corpus licet, impia, saxo,
Sumere et in nostras trita venena manus.

48. surda] simili *M.* 49. Vidistin *a.*, Vidistis *D. H. V. M.* 50. Fluminaque *Hb. H. M. r.* aetherea *R. N.*, etherea *Hb.* dissiluisse *G. D. H. M.* 51. peliades *Hb.* fatiunt *N.* neque] nec *D.* horion *G.* 52. ira *om. M.* 53. ille] ipse *H. M.* 54. flaevit *R.* 56. nubilis *r.*, nubibus *M.*

XVII. „*coniungit G. sed dubito*“ *I. Schrader.* 1. Mentiris *V.* 5. tantalia *R.* 6. Vel *G. H. V. M.* 7. admirare *G.* 9. iuvat *r.* amantem *H.* 13—16. *Haec disticha in codd. omn. inverso ordine leguntur* 15. 16. 13. 14. 13. Nunc *sola a., refragantur libri mss.* iuvat] licet *omnes.* 14. periniosas *N.* 15. Nec *Perr.* e *om. G.* 16. tetra *Hb. P.*, tetia *r.* vena *r.* minus *pr. m. Hb.*

Quod quamvis ita sit, dominam mutare cavebo.
Tum flebit, cum in me senserit esse fidem.

XVIII.

„Assiduae multis odium peperere querelae:
„Frangitur in tacito femina saepe viro.
„Si quid vidisti, semper vidisse negato:
„Aut si quid doluit forte, dolere nega.“
Quid si iam canis aetas mea candeat annis,
Et faciat scissas languida ruga genas?
At non Tithoni spernens Aurora senectam
Desertum Eoa passa iacere domo est.
Illum ad vicinos cum amplexa quiesceret Indos,
Maturos iterum est questa redire dies.
Illum saepe suis decedens fovit in undis,
Quam prius adiunctos sedula lavit equos.
Illa deos currum conscendens dixit iniquos,
Invitum et terris praestitit officium;
Cui maiora senis Tithoni gaudia vivi
Quam gravis amisso Memnone luctus erat.
Cum sene non puduit talem dormire puellam
Et canae totiens oscula ferre comae:
At tu etiam iuvenem odisti me, perfida, cum sis
Ipsa anus haud longa curva futura die.
Quin ego deminuo curam, quod saepe Cupido
Huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.

18. Cum *Hb.* tum *Hb. R.* in *om. Hb.*, ni *a.*, in me *D. H. V. M. Perr.*

XVIII, 1. Assidue *R.* 3. quod *Hb.* vidistis *Hb.* 5. Quid mea si canis aetas canesceret annis *N. D.* me *G.* caneret *Hb. H. V. M.* 6. faceret *N. Hb. R. a.* 7. An *N. V. R.* non] nunc *Hb.* tythoni *N.*, thitoni (*sic et v.* 15.) *R.* serpens *pr. m. Hb.* 9—12. *Disticha haec vv.* 9. 10. *et* 11. 12. *inverso in codd. ordine leguntur.* 9. Illa *V.* a *M.* 10. iterum] verum *Hb.* 11. decedens] desertum *H.* ulnis *a. sed scripti omnes* undis, *Perr. tamen in a. nihil correxit.* 12. primum *G.* sedula adiunctos *Hb.*, adiuncto *D.* 13. excedens *G.* inequos *N.* 14. ac *G.*, *om. V.* 15. Cum *R. a.*, Cui *D. Perr. H. M.*, Quae *V.* 18. ferre genae *G.* 19. me odisti *D.* 20. aũus *Hb.* aut *N. M.* 21. diminuo *R. A.* 22. Hinc *pr. m. Hb.*, Nunc *V.* qui *V.*

Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,
Ludis et externo tincta nitore caput?
Ut natura dedit, sic omnis recta figura est:
Turpis Romano Belgicus ore color.
Illi sub terris fiant mala multa puellae,
Quae mentita suas vertit inepta comas!
De me, mi certe poteris formosa videri:
Mi formosa satis, si modo saepe venis.
An si caeruleo quaedam sua tempora fuco
Tinxerit, idcirco caerula forma bona est?
Cum tibi nec frater nec sit tibi filius ullus,
Frater ego et tibi sim filius unus ego.
Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus,
Nec nimis ornata fronte sedere velis.
Credam ego narranti — noli committere — famae:
Et terram rumor transilit et maria.

XIX.

Etsi me invito discedis, Cynthia, Roma,
Laetor quod sine me devia rura coles.
Nullus erit castis iuvenis corruptor in agris,
Qui te blanditiis non sinat esse probam.
Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras,
Nec tibi clamatae somnus amarus erit.
Sola eris et solos spectabis, Cynthia, montes
Et pecus et fines pauperis agricolae.
Illic te nulli poterunt corrumpere ludi
Fanaque peccatis plurima causa tuis.

23. imitare] mutare *V.* 24. extremo *G. R. H. M.*, hesterno *Hb.* 25. tecta *R. H. M.* est *D. M.*, *om. R. a.* 26. belligicus *pr. m. Hb.* colore *Hb.* 29. Deme *Perr.*, De *om. V.* mihi *D. H. M. R.*, michi *N.* 31. suco *G.*, succo *V.* 32. bona forma est *r.* 34. et ego *R.* sum *N.* 35. Iste *Perr.* leotes *pr. m. Hb.* 36. sidere *M.*

XIX, 2. colis *G. N. P. a.*, coles *M.*, collis *r.* 3. casti — agri *Perr.* 4. sinet *V.* 5. nec *H.* ornetur *G.* 6. avarus *H.*, amatus *V.* 7. exspectabis *N.* 9. nulli] nudi *Hb.* 10. Famaque.

Illic assidue tauros spectabis arantes
Et vitem docta ponere falce comas,
Atque ibi rara feres inculto tura sacello,
Haedus ubi agrestis corruet ante focos,
Protinus et nuda choreas imitabere sura,
Omnia ab externo sint modo tuta viro.
Ipse ego venabor. iam nunc me sacra Dianae
Suscipere et Veneri ponere vota iuvat.
Incipiam captare feras et reddere pinu
Cornua et audaces ipse monere canes;
Non tamen ut vastos ausim tentare leones
Aut celer agrestes cominus ire sues:
Haec igitur mihi sit lepores audacia molles
Excipere et stricto figere avem calamo,
Qua formosa suo Clitumnus flumine luco
Integit, et niveos abluit unda boves.
Tu quotiens aliquid conabere, vita, memento
Venturum paucis me tibi Luciferis.
Sic me nec solae poterunt avertere silvae,
Nec vaga muscosis flumina fusa iugis,
Quin ego in assidua mutem tua nomina lingua:
Absenti nemo non nocuisse velit.

XX.

Quid fles abducta gravius Briseide? quid fles
Anxia captiva tristius Andromacha?
Quidve mea de fraude deos, insana, fatigas?
Quid quereris nostram sic cecidisse fidem?

11. assadue *pr. m. Hb.* spectatis *Hb.* 13. rara (*sic*) *N.*, rure *pr. m. Hb.* fides *r.* 14. ibi *V.* agristis *pr. m. Hb.* corruat *P.* 16. extremo *r.* 17. me nunc *H.* 19. pinnu *r.*, pini *Hb. D.* 20. movere *H. V. M. R. Hb.* 21. temptare *N.*, temerare *G.* 22. quominus *Hb.* 23. sit] si *Hb.* moles *Hb.* 24. aves *G.* 25. sua *r. A.* clituntus *N.*, clitūntis (*sic*) *Hb.* luco] borco *Hb.* 26. pedes *V.* 29. Sic ne te *pr. m.*, ne me *s. m. Hb.* solet potuerunt *G.* 30. fuscosis *Hb.* 32. ne *G. R.*, me *M.*

XX, 1. Quod *pr. m. Hb.* gravis *pr. m. N.* 3. deos] meos *Hb.* 4. cecinisse *M.*

Non tam nocturna volucris funesta querela
Attica Cecropiis obstrepit in foliis,
Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba
Sollicito lacrimas defluit a Sipylo.
Me licet aeratis astringant brachia nodis,
Sint mea vel Danaes condita membra domo:
In te ego et aeratas rumpam, mea vita, catenas,
Ferratam Danaes transiliamque domum.
De te quodcumque ad surdas mihi dicitur aures:
Tu modo ne dubita de gravitate mea.
Ossa tibi iuro per matris et ossa parentis,
— Si fallo, cinis heu sit mihi uterque gravis! —
Me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras:
Ambos una fides auferet, una dies.
Quod si nec nomen nec me tua forma teneret,
Posset servitium mite tenere tuum.
Septima iam plenae deducitur orbita lunae,
Cum de me et de te compita nulla tacent:
Interea nobis non numquam ianua mollis,
Non numquam lecti copia facta tui.
Nec mihi muneribus nox ulla est empta beatis:
Quicquid eram, hoc animi gratia magna tui.
Cum te tam multi peterent, tu me una petisti:
Possum ego naturae non meminisse tuae?
Tum me vel tragicae vexetis Erinnyes, et me
Inferno damnes, Aeace, iudicio,

5. querella *Hb.* 6. Actica *Hb.* cycropiis *Hb.* 7. Non *V.*, *om.* *H.* niobae *r.* *M.* superbae *G.* *r.* *D.*, superbe *N.* *Hb.* *H.* *V.* 8. Solitio *pr.* *m.* *Hb.* lacrimans *Hb.* *P.* *a.*, lacrimas *M.* asiphilo *G.*, asyphilo *N.* *R.* *Hb.* 9. aerratis *Hb.* abstringānt *Hb.*, astingant *r.* 10. Sunt *M.* vel] nec *M.* danes *G.* *N.*, dānes *r.* *D.* modo *G.* *V.* 11. ego ferratas *Hb.* *V.* 12. dañes *D.*, damnaes *Hb.* trasiliamque *R.* *M.*, stasiliamque *G.* *N.*, stasyliamque *Hb.* 13. absurdas miseri dicatur in aures *G.* 15. matris] patris *H.* 16. falso *pr.* *m.* *N.* heu *om.* *G.* mihi sit *Hb.* 19. Quid *V.* 20. Possem *V.* 21. plene *Hb.* 23. non unquam *N.* *Hb.* 24. non unquam *N.* fata *pr.* *m.* *Hb.* 25. illa *Hb.* 27. te] me *pr.* *m.* *Hb.* tam] iam *V.* 29. Tunc *a.*, Tum *Perr.* *V.* erinies *N.*, erinnydes *R.*, erynnides *G.*, erines ne me *Hb.*

Atque inter Tityi volucres mea poena vagetur,
Tumque ego Sisyphio saxa labore geram.
Nec tu supplicibus me sis venerata tabellis:
Ultima talis erit quae mea prima fides.
Hoc mihi perpetuo ius est, quod solus amator
Nec cito desisto, nec temere incipio.

XXI.

Ah quantum de me Panthi tibi pagina finxit,
Tantum illi Pantho ne sit amica Venus!
Sed tibi iam videor Dodona verior augur?
Uxorem ille tuus pulcher amator habet.
Tot noctes periere. nihil pudet? aspice, cantat
Liber: tu nimium credula sola iaces.
Et nunc inter eos tu sermo es: te ille superbus
Dicit se invito saepe fuisse domi.
Dispeream, si quicquam aliud quam gloria de te
Quaeritur: has laudes ille maritus habet.
Colchida sic hospes quondam decepit Iason:
Eiecta est, tenuit namque Creusa domum.
Sic a Dulichio iuvene est elusa Calypso:
Vidit amatorem pandere vela suum.
Ah nimium faciles aurem praebere puellae,
Discite desertae non temere esse bonae.
Huic quoque, qui restat, iam pridem quaeritur alter:
Experta in primo, stulta, cavere potes.
Nos quocumque loco, nos omni tempore tecum
Sive aegra pariter sive valente sumus.

31. titii *R.*, tycii *N.* pena *N.*, penna *a.*, poena *H.*, me penna *r.* 32. sysipheo *N.*, bysipheo *pr. m. Hb.* 35. 36. *om. G.*

XXI, 1. Ha *H.*, An *G.* 2. non *a.*, ne *H. V. M.* 3. Dodonae *a.*, Dodona *D. H. M.* 5. Ter *M.* perire *r.* 7. te *om. Hb.* 8. Dicet *H. V.* 10. martitus. 11. Iasum *V.* 12. tenuis *N. Hb. D. H. V. M. R.* crusa *pr. m. Hb.* domo *N. Hb. R. H. V. M.* 13. adulichio *R. Hb.* delusa *G.* 14. vella *Hb.* 15. Ha *Hb.* 17. Hinc *G.* 18. stulta] tuta *H.* potest *r. a.*, potes *D. H. V. M.* 20. ergra *Hb.*

XXII.

Scis here mi multas pariter placuisse puellas:
Scis mihi, Demophoon, multa venire mala.
Nulla meis frustra lustrantur compita plantis.
O nimis exitio nata theatra meo!
Sive aliquis molli diducit candida gestu
Brachia seu varios incinit ore modos:
Interea nostri quaerunt sibi vulnus ocelli,
Candida non tecto pectore si qua sedet,
Sive vagi crines puris in frontibus errant,
Indica quos medio vertice gemma tenet.
Quae si forte aliquid vultu mihi dura negarat,
Frigida de tota fronte cadebat aqua.
Quaeris, Demophoon, cur sim tam mollis in omnes.
Quod quaeris: QUARE non habet ullus amor.
Cur aliquis sacris laniat sua brachia cultris
Et Phrygis insanos caeditur ad numeros?
Unicuique dedit vitium natura creato:
Mi fortuna aliquid semper amare dedit.
Me licet et Thamyrae cantoris fata sequantur,
Numquam ad formosas, invide, caecus ero.
Sed tibi si exiles videor tenuatus in artus,
Falleris: haud umquam est culta labore Venus.
Percontere licet: saepe est experta puella
Officium tota nocte valere meum.
Iuppiter Alcmenae geminas requieverat Arctos,

XXII, 1. heremi *G. N. r. Hb.*, herenni *D.* 2. demophon (*sic et v.* 13.) *Hb.* mala] bona *H.* 3. Nulla mihi *r.* 4. Omnis *pr. m. Hb.*, Omnia in *v. c. P. Perr.* in exitio *pr. m. G.* 5. deducit *omnes.* 6. inicit *M.*, iniicit *H. V.*, concinit *v. c. P.* 9. 10. *om. G.* 10. teget *H.* 11. aliquis *Hb.* dura] illa *H. V.* negarit *a.*, negarat *H. V. M.*, negaret *r.* 12. calebat *G.* 13. mollis et amens *G.* 14. Quid *P.* 15. sua] sibi *M.* 16. creditur *H.*, queritur *M.* 18. Me *a.*, Mi *D. H. V. M.* 19. thamire *N.*, thamyce *G.* 20. Namq; *Hb.* secus cho *Hb.* 21. exilles *Hb.* tennatus *Hb.* 22. haut *N.* nunquam *Hb.* 23. Perconctere *P.*, Percuntere *G. Hb.*, Percunctere *N.* 25. alcmene *N.*, alchmene *P.*, alchmeneae *r.*, alcimenae *Hb.* geminos *M.*, gemmas *Hb.* acquieverat *D.*, requieverit *H. V.*, requiverat *r.* arthos *Hb.*, artus *M.*

Et caelum noctu bis sine rege fuit:
Nec tamen idcirco languens ad fulmina venit.
Nullus amor vires eripit ipse suas.
Quid? cum e complexu Briseidos iret Achilles,
Num fugere minus Thessala tela Phryges?
Quid? ferus Andromachae e lecto cum surgeret Hector,
Bella Mycenaeae non timuere rates?
Ille vel hic classes poterat vel perdere muros.
Hic ego Pelides, hic ferus Hector ego.
Aspice uti caelo modo sol modo luna ministret:
Sic etiam nobis una puella parum est.
Altera me cupidis teneat foveatque lacertis,
Altera si quando non sinit esse locum,
Aut si forte irata meo sit facta ministro,
Ut sciat esse aliam, quae velit esse mea.
Nam melius duo defendunt retinacula navim,
Tutius et geminos anxia mater alit.
„Aut, si es dura, nega: sin es non dura, venito.
„Quid iuvat et nullo ponere verba loco?“
Hic unus dolor est ex omnibus acer amanti,
Speranti subito si qua venire negat.
Quanta illum toto versant suspiria lecto,
Cum recipi, quem non noverit, ille putat,
Et rursus puerum quaerendo audita fatigat,
Quem, quae scire timet, quaerere plura iubet.

27. flumina *M.* 29. achiles *Hb.* 30. Non *N. H.* thessela *G.* terra *H.* fruges *pr. m. Hb.*, friges *N.* 31. e *omitt. omnes.* lecto consurgeret *N. r.* 32. Vella *H.* timure *Hb.*, tenuere *M.* 33. poterant *N.* 34. pellides *G.* ero *G.* 35. ut *H.* cello *Hb.* ministrat *V.*, ministros *pr. m. Hb.* 38. est *ante* non *add. R. a.*, *om. D. H. M.* sinat *G. R. a.*, sinit *D. M.* 40. Vel *G.* 41. defendunt *om. H.* navem *R. a.*, navim *H.* 43. *interstitio seiunxit P.* si non es *M.* 44. in *P.*, et *G. N. Hb. D. H. V. M.* pondere verba loqui *a.*, *correxerunt omnes.* 46. Spectanti *G.* venire] negare *H.* 48. Cur *G. N. Hb. a.*, Cui *r. H.*, Quom *D.* quem] quae *N. Hb. r.*, qua *H. V.*, cum *a.* voverit *D.* illa *corr. s. m. Hb. a.*, ille *D.* vetat *N. Hb. a. r.*, negat *H.* 49. rursum *r. a.*, rursus *D. V. H.* 50. *om. N.* Quemque *Hb.*, Quoque *V.*, Quom quae *D.*, Cumque *M.* pudet *H.*, lubet *H.* plura] fata *Hb.*

XXIII.

Cui fuit indocti fugienda haec semita vulgi,
Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est.
Ingenuus quisquam alterius dat munera servo,
Ut promissa suae verba ferat dominae?
Et quaerit totiens: „Quaenam nunc porticus illam
Integit?“ et „Campo quo movet illa pedes?“
Deinde, ubi pertuleris, quos dicit fama, labores
Herculis, ut scribat: „Muneris ecquid habes?“
Cernere uti possis vultum custodis amari,
Captus et immunda saepe latere casa?
Quam care semel in toto nox vertitur anno!
Ah pereant, si quos ianua clausa iuvat!
Contra, reiecto quae libera vadit amictu,
Custodum et nullo septa timore, placet,
Cui saepe immundo Sacra conteritur Via socco,
Nec sinit esse moram, si quis adire velit.
Differet haec numquam, nec poscet garrula, quod te
Astrictus ploret saepe dedisse pater,
Nec dicet: „Timeo: propera iam surgere, quaeso:
Infelix, hodie vir mihi rure venit.“
Et quas Euphrates et quas mihi misit Orontes,
Me iuerint: nolim furta pudica tori,
Libertas quoniam nulli iam restat amanti,
Nullus liber erit, si quis amare volet.

XXIII, 1. Qui *N. R.*, „Quoi *vel* Cui“ *P. in margine non deleta priore scriptura.* haec] et *N. r. D. M., om. H. V.* 2. est *om. H.* 3. quisque *r.*, quanquam *V.* 4. commissa *P. a.*, promissa *D. H. V. M.* 5. Ut *V.* idem, *sed corr. pr. m. in* illam *N.* 8. ut] et *r.* et quid *G. r. Hb.*, e quid *P. a.*, ecquid *D. H. V.* 9. custodit *r.* avari *a.*, amari *V. M.* 10. in munda *r.*, inmunda *N. Hb.* 11. carae *D.* verterit *G.* 12. Ha *Hb.* si *om. V.* iuvant *pr. N.* 14. tumore *a.*, timore *H. V. M. D.* 15. sacra — socco *om. H.* 16. sint *G.*, sivit *D.* 17. Differt *H. r.* q̈d gr̈raula (*sic*) *Hb.*, garula *a.*, garrula *D.* quae te *R. a.*, quod te *V. M.* 18. Astructus *M.* 21. euphratres *G.* 22. Me iuverint *N. Hb. D.*, capiant *reliqui, ut videtur, omnes.*

XXIV.

„Tu loqueris, cum sis iam noto fabula libro,
„Et tua sit toto Cynthia lecta foro?“
Cui non his verbis aspergat tempora surdo
Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor?
Quod si tam facilis spiraret Cynthia nobis,
Non ego nequitiae dicerer esse caput,
Nec sic per totam infamis traducerer urbem,
Urerer et quamvis nomine, verba darem.
Quare ne tibi sit mirum me quaerere viles:
Parcius infamant: num tibi causa levis?
Et modo pavonis caudae flabella superbae
Et manibus dura frigus habere pila
Et cupit iratum talos me poscere eburnos
Quaeque nitent Sacra vilia dona Via.
At peream, si me ista movent dispendia: sed me
Fallaci dominae iam pudet esse iocum.

* * *

Hoc erat in primis quod me gaudere iubebas?
Tam te formosam non pudet esse levem?
Una aut altera nox nondum est in amore peracta,
Et dicor lecto iam gravis esse tuo.
Me modo laudabas, et carmina nostra legebas:
Ille tuus pennas tam cito vertit amor?
Contendat mecum ingenio, contendat et arte,
In primis una discat amare domo:
Si libitum tibi erit, Lernaeas pugnet ad hydras,
Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat,

XXIV, 1. sit *N. R. A. Hb.* toto *a.*, noto *D. Perr. H. V.* 3. Quoi *G. V.* non aspergat verbis his *G.* sudor *omnes.* 4. At *G.* 5. iam *P.* 7. traduceret *r. Hb. H. V.* 8. Ureret *N. r. a.*, Urerer *H. V.*, Viveret *Hb.* 9. viles] iubes *H.* 10. num] non *Hb.*, nunc *V.*, cum *D.* 11. flabela *Hb.* 12. pilla *Hb.* 13. tales *N.*, tallos *R.* 14. milia *Hb.*, iulia *R.* 15. Ah *N. A.*, Ac *G. Hb.*, Ha *R.* pereant *H.* isto *Hb.* si me *N. R. Hb. H. V.* 16. locum. 17. erit *N.* videbas *R.* 18. fo^{r}mosa *Hb.* num *M.* 19. nundum *r.*, vixdum *Perr.* 22. poenas *Hb.* 25. purget *R.* ydras *Hb.*

Tetra venena libens et naufragus ebibat undas,
Et numquam pro te deneget esse miser —
Quos utinam in nobis, vita, experiare labores —:
Iam tibi de timidis iste protervus erit,
Qui nunc se in tumidum iactando venit honorem:
Discidium vobis proximus annus erit.
At me non aetas mutabit tota Sibyllae,
Non labor Alcidae, non niger ille dies.
Tu mea compones et dices: „Ossa, Properti,
„Haec tua sunt: heu heu tu mihi certus eras.
„Certus eras heu heu, quamvis nec sanguine avito
„Nobilis et quamvis non ita dives eras.“
Nil ego non patiar: numquam me iniuria mutat:
Ferre ego formosam nullum onus esse puto.
Credo ego non paucos ista periisse figura,
Credo ego: sed multos non habuisse fidem.
Parvo dilexit spatio Minoida Theseus,
Phyllida Demophoon, hospes uterque malus.
Iam tibi Iasonia nota est Medea carina,
Et modo servato sola relicta viro.
Dura est, quae multis simulatum fingit amorem,
Et se plus uni si qua parare potest.
Noli nobilibus, noli conferre beatis:
Vix venit, extremo qui legat ossa die.
Ii tibi nos erimus: sed tu potius precor ut me
Demissis plangas pectora nuda comis.

27. Terra *M.* libans *H.*, bibens *Hb. R.* 28. denegat *M.* 29. Quo *pr. m. Hb.* utinam] autem *G.* 30. proternus *pr. m. Hb.* 31. se *om. G.* 32. Dissidium *G.* nobis *Hb.* 36. 37. eheu *N. Hb. pr. m. a.*, heu heu *D. H. V. M.* 38. non ita] navita *omnes.* 39. patior *H. V.* num quae *H.* mutet *H.* 40. non *H.* 41. perisse *pr. m. Hb.* 42. Crede *r.* 44. demophon *Hb.* hostis *H.* 45. sonia *pr. m. Hb.* victa *H.* est *om. M.* 46. servato] esonio *Hb.*, fallaci *V.* 49. nobilius *r.* conferre *bis Hb.* 50. legit *R. a.*, legat *H. M.* 51. Hi *G. N. Hb.*, Si *H.*, Id *D.*

XXV.

Unica nata meo pulcherrima cura dolori,
Excludit quoniam sors mea SAEPE VENI.
Ista meis fiet notissima forma libellis,
Calve tua venia, pace Catulle tua.
Miles depositis annosus secubat armis,
Grandaevique negant ducere aratra boves,
Putris et in vacua requiescit navis arena,
Et vetus in templo bellica parma vacat:
At me ab amore tuo deducet nulla senectus,
Sive ego Tithonus sive ego Nestor ero.
Nonne fuit satius duro servire tyranno
Et gemere in tauro, saeve Perille, tuo,
Gorgonis et satius fuit obdurescere vultu,
Caucasias etiam si pateremur aves?
Sed tamen obsistam. teritur rubigine mucro
Ferreus et parvo saepe liquore silex:
At nullo dominae teritur sub limine amor, qui
Restat et immerita sustinet aure minas.
Ultro contemptus rogat, et peccasse fatetur
Laesus, et invitis ipse redit pedibus.
Tu quoque, qui pleno fastus assumis amore,
Credule, nulla diu femina pondus habet.
An quisquam in mediis persolvit vota procellis,
Cum saepe in portu fracta carina natet?
Aut prius infecto deposcit praemia cursu,

XXV, 1. dolore *H.* 2. quoniam] quae me *Perr.* venit *N. sed abrasa* t. 3. labellis *M.* 4. catule *Hb.* 5. annosis *pr. m. N. V.* 8. palma *R. H. V.* „*vel* parma“ *P.* 12. sevae *G.*, sepe *N.*, saepe *R. Hb. V. M.* perylle *a.*, perille *D.*, perillae *G.* 13. indurescere *G.* 14. Caucaseas *G.*, cavicaseas *N.* pataremur *Hb.* 15. tamen] non *G.* obsitam *R.*, obsita *G.*, obscura *a.*, ob situm *D.*, obsitam *M.*, obsistam *H. V.* tegitur *G. Hb. H.* 16. licore *G. H.* 17. dominae] de me *G. H. V.* sublimine *N.*, sub lumine *H. V.*, sublumine *G.* 18. Qui restat *G.* in merita *N.* substinet *G.* 19. conetntus *G.* 20. invictis *R.* saepe *G.* 21. plenos *sed abras. s.* sasumis *N.* 22. Credula *R. M. pr. m. Hb.* 25. An *G. H.*, At *M.*

Septima quam metam triverit ante rota?
Mendaces ludunt flatus in amore secundi.
Si qua venit sero, magna ruina venit.
Tu tamen interea, quamvis te diligat illa,
In tacito cohibe gaudia clausa sinu:
Namque in amore suo semper sua maxima cuique
Nescio quo pacto verba nocere solent.
Quamvis te persaepe vocet, semel ire memento:
Invidiam quod habet, non solet esse diu.
At si saecla forent antiquis grata puellis,
Essem ego quod nunc tu: tempore vincor ego.
Non tamen ista meos mutabunt saecula mores:
Unusquisque sua noverit ire via.
At vos, qui officia in multos revocatis amores,
Quantum sic cruciat lumina vestra dolor!
Vidistis pleno teneram candore puellam,
Vidistis fusco: ducit uterque color.
Vidistis quandam Argiva prodire figura,
Vidistis nostras: utraque forma rapit.
Illaque plebeio vel sit sandicis amictu:
Haec atque illa mali vulneris una via est;
Cum satis una tuis insomnia portet ocellis,
Una sit et cuivis femina multa mala.

XXVI.

Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina
Ionio lassas ducere rore manus,
Et quaecumque in me fueras mentita fateri,
Nec iam humore graves tollere posse comas,

26. arte *a.*, ante *H. M. credo et D.*; *nam in ultimo paginae versu Wendlerus saepe festinantior.* 29. Tum *G.* 34. Invidia *H.* 35. Et *R. a.*, At *V. Perr.* 36. tu *om. M.* 37. mutabant *N.* amores *M.* 39. offam *R.* 40. si *N. R. Hb. D. H. V. M.* nostra *N.* 41. plenam tenero *H.* 42. dulcis *R. a.*, decet *H.*, ducit *in marg. D.* 43. quadam *N.* prodente *M. V.* puella *H.* 45. sic *V.* sandicis sit *pr. m. Hb.*, sandacis *G.* 46. est *om. Hb.* 48. et] est *P. Perr.*

XXVI. ego *om. M.* 3. fueris *V.*

Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen,
Aurea quam molli tergore vexit ovis.
Quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet,
Atque tua labens navita fieret aqua!
Quae tum ego Neptuno, quae tum cum Castore fratri,
Quaeque tibi excepi, iam dea Leucothoe!
At tu vix primas extollens gurgite palmas
Saepe meum nomen iam peritura vocas.
Quod si forte tuos vidisset Glaucus ocellos,
Esses Ionii facta puella maris,
Et tibi ob invidiam Nereides increpitarent,
Candida Nesaee, caerula Cymothoe.
Sed tibi subsidio delphinum currere vidi,
Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram.
Iamque ego conabar summo me mittere saxo,
Cum mihi discussit talia visa metus.
Nunc admirentur quod tam mihi pulchra puella
Serviat, et tota dicar in urbe potens.
Non, si Cambysae redeant et flumina Croesi,
Dicat: „De nostro surge, poeta, toro.“
Nam mea cum recitat, dicit se odisse beatos:
Carmina tam sancte nulla puella colit.
Multum in amore fides, multum constantia prodest:
Qui dare multa potest, multa et amare potest.
Seu mare per longum mea cogitet ire puella,
Hanc sequar, et fidos una aget aura duos.
Unum litus erit sopitis unaque tecto
Arbor, et ex una saepe bibemus aqua,

5. agitavit *r. a.*, agitatam *Perr. H. M.* helen *Hb.* 8. moerens *G.* ferret *H.* 9. tum] quam *V.* quae] quem *V.*, *om. H.* fratri] ferri *pr. m. Hb.* 10. Quemque *V.* excepti *M.* tum *a.*, iam *mss. omnes.* leuchothoe *N.*, leucothoe *a. G.*, leucotoe *Hb.*, leucothea *D. P.* 11. gurgitae *N.* 13. tunos *Hb.* 15. prae invidia *R.*, ob invidiam *P. in marg.*, prae invidia *a.* ob *Perr. H. D.* invidiam *D. H.* increpitarunt *H.* 16. nisee *P. a.*, niseae *N. r. Hb.*, neseae *D.*, niseis *G.* cymotoae *r.* 17. subsidium *H.* 18. Quam *N.* irioniam *Hb.* 19. saxo] *al.* ponto *margo G.* 20. iussa *N.* 22. dicatur *pr. m. Hb.* 23. cambyse *D.* 25. residat *G.* audisse *r.* 26. sanctae *N.* collit *r.* 29. *Nova elegia in N.*

Et tabula una duos poterit componere amantes,
Prora cubile mihi seu mihi puppis erit.
Omnia perpetiar: saevus licet urgeat Eurus,
Velaque in incertum frigidus Auster agat,
Quotcumque et venti miserum vexastis Ulixen
Et Danaum Euboico litore mille rates,
Et qui movistis duo litora, cum rudis Argus
Dux erat ignoto missa columba mari.
Illa meis tantum non umquam desit ocellis,
Incendat navem Iuppiter ipse licet.
Certe isdem nudi pariter iactabimur oris:
Me licet unda ferat, te modo terra tegat.
Sed non Neptunus tanto crudelis amori,
Neptunus fratri par in amore Iovi.
Testis Amymone, latices dum ferret, in Argis
Compressa, et Lerne pulsa tridente palus.
Iam deus amplexu votum persolvit: at illi
Aurea divinas urna profudit aquas.
Crudelem et Boream rapta Orithyia negavit:
Hic deus et terras et maria alta domat.
Crede mihi, nobis mitescet Scylla, nec umquam
Alternante vorans vasta Charybdis aqua.
Ipsaque sidera erunt nullis obscura tenebris,
Purus et Orion, purus et Haedus erit.
Quod mihi si ponenda tuo sit corpore vita,
Exitus hic nobis non inhonestus erit.

33. poteris *M.* 36. turbidus *P. Perr.* 37. Quodcunque *G.* ulixem *G. Hb.*, ulyssem *R. A.* 39. novistis *R.* ratis *G. Hb. D. V. M.*, satis *r.* argo *G. N. r. Hb. D. H. V. M.* 40. duxerat *Hb.* 41. nonnunquam *H. Hb.* desit] spectat *Hb.* 42. Incendit *M.* 43. Crete *M.* hisdem *G. Hb. R.* horis *pr. m. N.* 44. modo] quoque *pr. m. Hb. H. M.* 45. neptunnus *Hb.* 46. Neptunnus *Hb.* 47. amimone *Hb. P.*, ammimone *N.*, amimnone *G.*, amynione *D.* cum *omnes praeter N.* in arvis *G. N. r. a.*, armis *Hb.*, argis *Perr.* 48. Comprehensa est *D.* lernae *R. A.*, leerne *pr. m. Hb.* 49. ille *pr. m. N.* 50. unda *H.* refudit *R. a.*, profudit *H. V. M.* 51. repta *M.* orithya *G.*, orithia *Hb. R.* 54. caribidis *Hb.*, caribris *N.* 55. nulle *pr. m. Hb.* 56. edus *G.* 57. Quid *N. Hb. H. M.*

XXVII.

At vos incertam, mortales, funeris horam
Quaeritis, et qua sit mors aditura via:
Quaeritis et caelo Phoenicum inventa sereno,
Quae sit stella homini commoda quaeque mala.
Seu pedibus Parthos sequitur seu classe Britannos,
Et maris et terrae caeca pericla viae:
Rursus et obiectum fletis capiti esse tumultum,
Cum Mavors dubias miscet utrimque manus:
Praeterea domibus flammam domibusque ruinas,
Neu subeant labris pocula nigra tuis!
Solus amans novit, quando periturus et a qua
Morte, neque hic Boreae flabra neque arma timet.
Iam licet et Stygia sedeat sub arundine remex,
Cernat et infernae tristia vela ratis:
Si modo damnatum revocaverit aura puellae,
Concessum nulla lege redibit iter.

XXVIII.

Iuppiter, affectae tandem miserere puellae:
Tam formosa tuum mortua crimen erit.
Venit enim tempus, quo torridus aestuat aer,
Incipit et sicco fervere terra Cane.
Sed non tam ardoris culpa est neque crimina caeli,
Quam totiens sanctos non habuisse deos.

XXVII. „*Una cum superiore v. c.*“ *Perr.* „*In codice antiquo una est haec elegia cum superiore*“ *P.* 1. At *omnes praeter G., qui omissam a rubricatore exhibet primam litteram.* 3. serena *H.* 5. sequimur *N. Hb. R. A.* 7. fletus *N. H.*, flemus *r. D. V. M.*, fluctus *pr. m. Hb.*, *ad marg.* „*al.* flemus.“ caput *N.* 8. utrique *R.* 9. flamas *G. P.* ruinam *pr. m. Hb. r. a.*, ruinas *V.* 10. Heu *G. r.*, Non *Hb.*, Ne *H.* 11. quando] qm̃ (*sic*) *V.* aqua *N.* 12. boraeae *N.* flagra *D. V.* nec arma *G.* 13. sub] ab *M.* 15. damnatum] clamantis *N. R. Hb. A.* revocavit *H.* 16. nullis *Perr.*

XXVIII, 2. *Haud facile dixeris*, iam *an* tam *legas N.* mortua] gloria *D.* 3. toribus *V.* 4. Incipiunt sicca fervere rura cane *G.* 5. Sed nec *G. H.* crimine *Hb.*

Hoc perdit miseras, hoc perdidit ante puellas:
Quicquid iurarunt, ventus et unda rapit.
Num sibi collatam doluit Venus ipsa paremque?
Prae se formosis invidiosa dea est.
An contempta tibi Iunonis templa Pelasgae,
Palladis aut oculos ausa negare bonos?
Semper, formosae, non nostis parcere verbis:
Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.
Sed tibi vexatae per multa pericula vitae
Extremo veniet mollior hora die.
Io versa caput primos mugiverat annos:
Nunc dea, quae Nili flumina vacca bibit.
Ino etiam prima terris aetate vagata est:
Hanc miser implorat navita Leucothoen.
Andromede monstris fuerat devota marinis:
Haec eadem Persei nobilis uxor erat.
Callisto Arcadios erraverat ursa per agros:
Haec nocturna suo sidere vela regit.
Quod si forte tibi properarint fata quietem,
Illa sepulturae fata beata tuae.
Narrabis Semelae, quo sit formosa periclo:
Credet et illa, suo docta puella malo:
Et tibi Maeonias inter heroidas omnis
Primus erit nulla non tribuente locus.
Nunc, utcumque potes, fato gere saucia morem:
Et deus et durus vertitur ipse dies.

8. iuratur *Hb.*, iurarem *N.*, iurantur *G.* 9. Nun *G. H.*, Nunc *V.*, Non *N.* praelatam *M.* illa per aequae *G. N. R.*, peraeque *Hb. A.* 10. Per *Hb.* 12. Pallidis *N.* 13. formosi *H.* 15. mihi *H.* vexata — vita *P.* 16. venit *N. r. a.*, veniet *Perr.* 17. mugierat *Hb.* 18. Hunc *Hb.* flumine *H.* vaca *r.* 19. Iuno *pr. m. Hb.*, Iuō (*sic*) *G.* terras *r. a.*, terris *Perr.* 20. inplorat *N.* leucotoen *Hb.*, leucothoem *H. V.*, leucotheam *D.* 21. Andromade *G.*, Andromedae *Hb.* devota] monstrata *V.* 23. Calisto *r. A.* archadios *r. N.* 24. noctura *pr. m. Hb.* vella *Hb.* 27. semele *G. N. R. A.* sit *omnes.* 29. meonias *G. N. H. M.*, maeonidas *R. a.* interque *G. a. R.*, inter *H. M.*, inter et *D.* omneis *a.*, omnis *H. M.* Maeonias omnes heroidas inter *V.* 31. Hunc *D.* utrumque *H. V.*

Hoc tibi vel poterit, coniunx, ignoscere Iuno:
Frangitur et Iuno, si qua puella perit.

* * *

Deficiunt magico torti sub carmine rhombi,
Et iacet extincto laurus adusta foco,
Et iam Luna negat totiens descendere caelo,
Nigraque funestum concinit omen avis.
Una ratis fati nostros portabit amores
Caerula ad infernos velificata lacus.
Si non unius, quaeso, miserere duorum.
Vivam, si vivet: si cadet illa, cadam.
Pro quibus optatis sacro mé carmine damno:
Scribam ego: PER MAGNUM SALVA PUELLA IOVEM.
Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit,
Narrabitque sedens longa pericla sua.

* * *

Haec tua, Persephone, maneat clementia, nec tu,
Persephones coniunx, saevior esse velis.
Sunt apud infernos tot milia formosarum:
Pulchra sit in superis, si licet, una locis.
Vobiscum est Iope, vobiscum candida Tyro,
Vobiscum Europe, nec proba Pasiphae,
Et quot Eoa tulit vetus et quot Achaia formas,
Phoebei et muri diruta regna senis:
Et quaecumque erat in numero Romana puella,

33. ibi *P.* poterat *V.* 35. *Nova eleg. in N.* carmine] imagine *V.* rombi *G. Hb.*, bombi *N. D.*, nymbi *r.* 36. ..t *rubricatoris culpa.* exstincta *H.* 37. bona *G.* 38. condidit *N. r. Hb. a.*, concitat *Perr.* anus *r. a.*, avis *Perr. V. M.* 41. S; (*i. e.* Sed) *N.* 43. carmina *M.* 44. est *ante* salva *add. N. R. Hb. a.*, *om. H.* 45. operta *N. D. V. M.*, opata *Hb. sed exp. m. s.* a. 47. Nec *Hb. H.* persephonae *G.* movet *V.* 48. Persephone *G. N. r.*, Persephonae *D. H. V. M.* secior *H.* 49. aput *R.* 50. scilicet *G. R. a.*, si licet *V. Perr. f. P.* 51. iole *G.*, *f.* io, vobiscum antiope *P. Perr. Ante* candida *D. inserit* est. pyrrho *G.* 52. pasipha *r.*, pasiphaea *s. m. N.*, pasiphone *G. H.* 53. Et quotque *Hb.*, Et quod *r.* Troia *omnes.* et quod *r.* 54. Et phebi *N.*, Et poebi *Hb.*, Et phoebi *G. R. A.* et Priami *omnes.*

Occidit: has omnis iguis avarus habet.
Nec forma aeternum aut cuiquam est fortuna perennis:
Longius aut propius mors sua quemque manet.
Tu quoniam es, mea lux, magno dimissa periclo,
Munera Dianae debita redde choros,
Redde etiam excubias divae nunc, ante iuvencae,
Votivas noctes et mihi solve decem.

XXIX.

Extrema, mea lux, cum potus nocte vagarer,
Nec me servorum duceret ulla manus,
Obvia nescio quot pueri mihi turba minuta
Venerat: — hos vetuit me numerare timor —,
Quorum alii faculas, alii retinere sagittas,
Pars etiam visa est vincla parare mihi.
Sed nudi fuerant. quorum lascivior unus
„Arripite hunc", inquit, „nam bene nostis eum.
„Hic erat, hunc mulier nobis irata locavit."
Dixit, et in collo iam mihi nodus erat.
Hic alter iubet in medium propellere, at alter:
„Intereat, qui nos non putat esse deos!
„Haec te non meritum totas expectat in horas:
„At tu nescio quas quaeris, inepte, fores.
„Quae cum Sidoniae nocturna ligamina mitrae
„Solverit, atque oculos moverit illa graves,
„Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
„Sed quos ipse suis fecit Amor manibus.
„Parcite iam, fratres: iam certos spondet amores,

56. omnes *R.*, a somnis *H.* 57. aut] haud *D.* nec *H.* cuique *r. a.*, cuiquam *V. H.* est forma *G.* perheñis *N.* 58. proprius *N.* seua *G.* 59. demissa *G. N. R. Hb. A.* 60. choro *a.*, choros *mss. omnes.* 61. iuvente *Hb.*

XXIX, 1. Hesterna *omnes.* mea] modo *V.* vagarem *G.* 2. Ne *pr. m. Hb.* 3. puri *pr. m. Hb.* 4. hoc *N. Hb.* 6. est *om. D.* 8. Accipite *G.* iam *N.* 9. reliquit *R. a.*, „*f.* locavit" *P.*, locavit *Perr. V. M.* 10. Dixerat in *V.* 11. aut alter *pr. m. Hb.*, et alter *G. R. A.* 13. Hoc *G. H. V.* 14. inempte *N.* 15. Quae tum *r.*, Cum tu *P.* sidonia *H.* 19. spondeo *P.*

„Et iam ad mandatam venimus ecce domum.“
Atque ita me iniecto duxerunt rursus amictu:
„I nunc, et noctes disce manere domi.“
Mane erat, et volui, si sola quiesceret illa,
Visere: et in lecto Cynthia sola fuit.
Obstupui: non illa mihi formosior umquam
Visa, neque, ostrina cum fuit in tunica,
Ibat et hinc castae narratum somnia Vestae,
Neu sibi neve mihi quae nocitura forent,
Talis visa mihi somno dimissa recenti.
Heu quantum per se candida forma valet!
„Quo tu matutinus“ ait „speculator amicae?
„Me similem vestris moribus esse putas?
„Non ego tam facilis: sat erit mihi cognitus unus,
„Vel tu vel si quis verior esse potest.
„Apparent non ulla toro vestigia presso,
„Signa voluptatis, nec iacuisse duos.
„Aspice, ut in toto nullus mihi corpore surgat
„Spiritus, admisso notus adulterio.“
Dixit, et opposita propellens savia dextra
Prosilit in laxa nixa pedem solea.
Sic ego tam sancti custos recludor amoris.
Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

21. in lecto *N. Hb.*, *om. H.* direxit *G.* 24. et *om. Hb.*, at *N. R. a.*, et *H.* 26. nec *G. H.* tum *r.* fugit *D.* 27. hinc] in *a.*, hinc *D.*, huic *V.* casta *a. P.*, castae *Perr. D.*, castas *V.* narrabat *D.*, narrabant *r.* veste *P. a.*, vestae *Perr. D.* 28. Heu *r.*, Non *D.* 29. demissa *omnes.* 31. Quod *N. Hb.*, Quae *r.*, Quid *correxit, in margine posuit* Quo *P.*, Quid *a.*, Quo *H.* amice *D.* 34. vel] nec *Perr. H. M.* si quisquam *R., in margine scripsit: vel* si quis, *sed non delevit Regiensis verba P.* 35. pressa *R. D.* 36. voluntatis *N. pr. m. Hb.* non *r. a.*, nec *Perr. H. M.* 37. surgit *H.* 39. suavia *G. R. A.* dextra] nostra *N. Hb. H. V. r.* 40. laxa *R. a.*, saxa *N. Hb. D. H. V. M.*, sacra *G.* 41. Hic *H.* custode *N. a. pr. m. Hb.*, custos *s. m. Hb., v. c. Perr.*, custodis *R.* reludor *N.*, reiector *v. c. Perr.*, rector *R.* custode recludor, custos reiector *in margine scripsit non deleta Reg. scriptura P.* 42. nox] non *N. Hb. D. V. M. r.*

XXX.

Quo fugis ah demens? nulla est fuga. tu licet usque
Ad Tanain fugias: usque sequetur Amor.
Non si Pegaseo vecteris in aere dorso,
Nec tibi si Persei moverit ala pedes,
Vel si te sectae rapiant talaribus aurae:
Nil tibi Mercurii proderit alta via.
Instat semper Amor supra caput: instat amanti,
Et gravis ipse super libera colla sedet.
Excubat ille acer custos et tollere numquam
Te patietur humo lumina capta semel.
Et iam si pecces, deus exorabilis ille est,
Si modo praesentis viderit esse preces.
Ista senes licet accusent convivia duri:
Nos modo propositum, vita, teramus iter.
Illorum antiquis onerentur legibus aures:
Hic locus est, in quo, tibia docta, sones,
Quae non iure vado Maeandri iacta natasti,
Turpia cum faceret Palladis ora tumor.
Nunc iam, dure, paras Phrygias nunc ire per undas
Et petere Hyrcani litora nauta maris,
Spargere et alterna communes caede Penates
Et ferre ad patrios praemia dira Lares!
Una contentum pudeat me vivere amica?
Hoc si crimen erit, crimen Amoris erit:

XXX, 1. ha *Hb.* licetq *pr. m. Hb.* 2. tanaim *R. A.*, thanhim *G.*, tantam. 3. verteris *r. a.*, vecteris *D. H. V. M. Perr.*, veteris *Hb.* aaere *N.* 5. septae *G.*, septem *M.*, secretae *D.* 6. mercuri *N.* 7. supra] semper *M.* 8. At *H.* 9. nusquam *G.* 11. si] se *pr. m. Hb.* est *om. H.* 12. praesenteis *P. a.*, praesentes *H.* esse] ille *V.* 13. senex *pr. m. Hb.* accussent *Hb.* 14. vite *H.* toramus *M.* 15. onerantur *N.*, ornentur *G.* 16. tibi iam *pr. m. Hb.* sonet *r. D. H. V. M.* 17. menandri (*sic*) *N.*, menandri *G. r.*, meneandri *Hb.* 18. Pallidus *Hb. M.* hora *Hb.* timor *H. V. M. r.* 19. Non *pr. m. N. D.*, Nunc *s. m. N. Hb. G. R.* iam dura paras *G. r. Hb. A.*, tamen immerito *N. D.* 20. nata *M.*, nota *reliqui omnes.* 21. Spargereque *R. Hb. a.*, spargere et *H. V.* poenates *Hb.* 22. digna *V. G.*, longa *H.*

Mi nemo obiiciat. Libeat tibi, Cynthia, mecum
Roscida muscosis antra tenere iugis.
Illic aspicies scopulis haerere sorores,
Et canere antiqui dulcia furta Iovis,
Ut Semela est combustus, ut est deperditus Io,
Denique ut ad Troiae tecta volarit avis.
Quod si nemo extat, qui vicerit Alitis arma,
Communis culpae cur reus unus agor?
Nec tu Virginibus reverentia moveris ora:
Hic quoque non nescit quid sit amare chorus,
Si tamen Oeagri quaedam compressa figura
Bistoniis olim rupibus accubuit.
Hic ubi me prima statuent in parte choreae,
Et medius docta cuspide Bacchus erit,
Tum capiti sacros patiar pendere corymbos:
Nam sine te nostrum non valet ingenium.

XXXI.

Quaeris, cur veniam tibi tardior. aurea Phoebi
Porticus a magno Caesare aperta fuit.
Tota erat in speciem Poenis digesta columnis,
Inter quas Danai femina turba senis.
Tum medium claro surgebat marmore templum,
Et patria Phoebo carius Ortygia.
Et duo Solis erant supra fastigia currus,

25. Si *H.* memo *N. pr. m.* obiciat *G.* liceat *M.* tibi] modo *H. M.* 26. Rorida *Hb. D. N. M.* antria *Hb.* detenere *pr. m. N.* 27. oculis *pr. m. Hb.* 29. semele *R.*, semel *a.*, semele *H.*, semela *D. V.* 30. volavit *H.*, volari *pr. m. N.*, volaret *Hb. r.* 31. estat *G.*, obstat *H.* 32. Comunis *Hb.* 33. Nec te virginei reverentia moverit oris *v. c. Perr.*, *idem Puccius margini R. adscripsit, sed intactis editionis verbis.* noveris *H.* 34. num *a.*, non *Perr. H. M.* noscit *H. V. M.* 35. comprehsa *D.*, comprensa *v. c. P. Perr.* 39. Tum campi *pr. m. Hb.* corumbos *Hb.* 40. nil *P. Perr.*

XXXI. *Cum superiore coniungit Hb.* 1. phaebi *pr. m. Hb.*, phebi *N.* 2. operta *r.* 3. Tanta *N. Hb. D. H. V. M. R.*, Tantam *a.* penis *N.* columbis *N. Hb. H. D.* 4. Inter aquas *G. H.* 5. clario *P.* 6. patria] clarior *H.* carius] clarius *pr. m. Hb.* 7. Et quo *G. N. r. Hb. D. H.*, In quo *P. Perr.*, Auro *a. f. P.*, Et auro quo *V.* erat *G. N. R. a.*, erant *Hb. V.*

Et valvae, Libyci nobile dentis opus,
Altera deiectos Parnasi vertice Gallos,
Altera maerebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem deus ipse interque sororem
Pythius in longa carmina veste sonat.
Hic equidem Phoebo visus mihi pulchrior ipso
Marmoreus tacita carmen hiare lyra,
Atque aram circum steterant armenta Myronis
Quattuor artificis, vivida signa, boves.

XXXII.

Qui videt, is peccat: qui te non viderit ergo
Non cupiet: facti crimina lumen habet.
Nam quid Praenesti dubias, o Cynthia, sortes,
Quid petis Aeaei moenia Telegoni?
Curve te in Herculeum deportant esseda Tibur?
Appia cur totiens te via ducit anus?
Hoc utinam spatiere loco, quodcumque vacabis,
Cynthia! sed tibi me credere turba vetat,
Cum videt accensis devotam currere taedis
In nemus et Triviae lumina ferre deae.
Scilicet umbrosis sordet Pompeia columnis
Porticus aulaeis nobilis Attalicis,

8. libiti *Hb.* 9. pernasi *Hb.*, parnassi *R. A.* 10. funere *V.* 11. ipse *om. H.* 12. Phythius *r.*, Phitius *Hb.* 14. crimen *r.* 15. steterantque *r.* milonis *G.* 16. invida *Hb.*

XXXII. *Cohaeret cum superiori in Hb. G. N. r. D.* „*Finis huius et principium insequentis elegiae desideratur*“ *Perr.* 1. valet *V.* is] et *M.*, *om. V.*, haec *D.* non te *R. A.* 2. carmina *r.*, lumina crimen *H.* habent *N. H.* 3. pernosti *r.*, praenestis *P. a.*, praenesti *v. c. Perr.* 4. aeei *N. Hb.* lethogoni *N. Hb.*, thelegoni *P. A.*, thelogoni *r.* *Versus* 5—16. *in libris mss. hoc ordine leguntur:* 13. 14. 15. 16. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 5. Cur vatem *R. Hb. Perr. H. V. M.*, Curva te *N.*, Cum vatem *G.* herculeum deportantes sed abitur *N.* essida *Hb.* 6. Appya *Hb.* devia *Hb.*, te tua *R.* dicit *N. r.* anum *G. N. R. a.*, anus *H. V. M.* 7. spatiare *G. H.* quocunque *G. R. a.*, quodcunque *H. V.* vagaris „*f.*“ *P. a.*, vocabis *D. H.*, vacabis *V. M.* 8. sed] nam *G.* tibi me] time *N.* yocat *N.* 9. videt *pr. m. om. Hb.* 12. attaicis *N.*, aiacis *pr. m. Hb.*, „*al.* actaicis“ *m. s. Hb.*

Et creber platanis pariter surgentibus ordo,
Flumina sopito quaeque Marone cadunt,
Et leviter lymphis tota crepitantibus urbe
Cum subito Triton ore recondit aquam.
Falleris, ista tui furtum via monstrat amoris:
Non urbem, demens, lumina nostra fugis:
Nil agis, insidias in me componis inanes,
Tendis iners docto retia nota mihi.
Sed de me minus est: famae iactura pudicae
Tanta tibi miserae, quanta mereris, erit.
Nuper enim de te nostras me laedit ad aures
Rumor et in tota non bonus urbe fuit.
Sed tu non debes inimicae credere linguae:
Semper formosis fabula poena fuit.
Non tua deprenso damnata est fama veneno:
Testis eris puras, Phoebe, videre manus:
Sin autem longo nox una aut altera lusu
Consumpta est, non me crimina parva movent.
Tyndaris externo patriam mutavit amore,
Et sine decreto viva reducta domum est.
Ipsa Venus, quamvis corrupta libidine Martis,
Non minus in caelo semper honesta fuit,
Quamvis Ida Parim pastorem dicat amasse
Atque inter pecudes accubuisse deam.
Hoc et Hamadryadum spectavit turba sororum,
Silenique senes, et pater ipse chori,
Cum quibus Idaeo legisti poma sub antro,

13. creber pariter platanis *G. R. A.*, platanis creber pariter *N.* urgentibus *Hb. D. H. M. G. N. r.* 15. Tot *P.* nimphis *N.*, nymphis *R. Hb. A.* 16. recundit *Hb.* 17. furtim *Hb.* 19. agit *Hb.* 20. in hers *Hb.* 21. minor *H. post* famae *inseritur* et *pr. m. Hb.* pudicitiae *N.* 22. meretur *N.*, mineris *G.* 23. nostra *Hb. N.*, nostras *G.* pervenit *G.* 27. tua] tu *H.* depreenso *G.*, deprehenso *Hb.* phama *Hb.* 28. erit *r. a.*, eris *D.* pura *pr. m. N.* vincere Phoebe manus *Perr.* 29. luxu *G. H. V.* 30. scrinia *pr. m. N.* 31. Tynderis *G.* motavit *N.* 32. est *medio versu R. A., ad finem reiiciunt H. V.* 33. quamvis] fertur *N.* 34. Nec *N. G. A. r.* 35. pari *N.*, Pari *P.*, Parin *A.*, ydaparim *Hb.* 37. Non etiam amadriadum *Hb.* spectabit *r.* 38. senis *Hb. N. r. H.* et pariter *Hb.* tori *r.*

Supposita excipiens Naica dona manu.
An quisquam in tanto stuprorum examine quaerit:
Cur haec tam dives? quis dedit? unde dedit?
O nimium nostro felicem tempore Romam,
Si contra mores una puella facit!
Haec eadem ante illam impune et Lesbia fecit:
Quae sequitur, certe est invidiosa minus.
Qui quaerit Tatios veteres durosque Sabinos,
Hic posuit nostra nuper in urbe pedem.
Tu prius et fluctus poteris siccare marinos,
Altaque mortali deligere astra manu,
Quam facere ut nostrae nolint peccare puellae.
Hic mos Saturno regna tenente fuit,
Et cum Deucalionis aquae fluxere per orbem,
Et post antiquas Deucalionis aquas.
Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum,
Quae dea cum solo vivere sola deo?
Uxorem quondam magni Minois, ut aiunt,
Corrupit torvi candida forma bovis.
Nec minus aerato Danae circumdata muro
Non potuit magno casta negare Iovi.
Quod si tu Graias tuque es mirata Latinas,
Semper vive meo libera iudicio.

XXXIII.

Tristia iam redeunt iterum sollemnia nobis:
Cynthia iam noctes est operata decem.
Atque utinam pereat, Nilo quae sacra tepente

41. struprorum *G.*, stuporum *r.* ex agmine *r.* 42. haec] hic *Hb.* 47. tacitos *N. r.* 48. Hac *H.* 49. poteris] pontis. 51. ut] et *Hb.* nollint *r.*, noluit *N.* 52. Is *r. a.*, Hic *mss. omnes.* 53. per urbem (*sic*) *N.* 57. minoris *Hb.* 58. Corripuit *v. c. P. Perr.*, Corrumpit *H.* 59. aerrato *Hb.*, errato *r.* dane *N.*, dāne *r.* 61. tuque es *G. N. R. D. H. V.*, tu quae es *Hb.*, seu si *a.* imitata *omnes.* latinos *N.*

XXXIII. *Cohaerebant haec carmina in N., manus recentior dispescuit.* 1. sollepnia *N.* 3. nilo pereat *R. a.*, pereat nilo *D. H. V.*, pereant *N.* tempente *pr. m. Hb.*

Misit matronis Inachis Ausoniis!
Quae dea tam cupidos totiens divisit amantes,
Quaecumque illa fuit, semper amara fuit.
Tu certe Iovis occultis in amoribus, Io,
Sensisti, multas quid sit inire vias,
Cum te iussit habere puellam cornua Iuno
Et pecoris duro perdere verba sono.
Ah quotiens quernis laesisti frontibus ora!
Mansisti stabulis abdita pasta tuis!
An, quoniam agrestem detraxit ab ore figuram
Iuppiter, idcirco facta superba dea es?
An tibi non satis est fuscis Aegyptus alumnis?
Cur tibi tam longa Roma petita via est?
Quidve tibi prodest viduas dormire puellas?
Sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt,
Aut nos e nostra te, saeva, fugabimus urbe:
Cum Tiberi Nilo gratia nulla fuit.
At tu, quae nostro nimium placata dolore es,
Noctibus his vacui ter faciamus iter.

* * *

Non audis, et verba sinis mea ludere, cum iam
Flectant Icarii sidera tarda boves.
Lenta bibis: mediae nequeunt te frangere noctes.
An nondum est talos mittere lassa manus?
Ah pereat, quicumque meracas repperit uvas,
Corrupitque bonas nectare primus aquas!
Icare Cecropiis merito iugulate colonis,
Pampineus nosti quam sit amarus odor.
Tu quoque o Eurytion vino Centaure peristi,

4. matronus *pr. m. Hb.* ynachus *Hb.* 7. in Iovis occultis *D.* 8. longas *D.* 9. Quom. iussit — iuno *om. H.* iuno] humo *N.* 11. Ha *Hb.* hora *R.* 12. stabulas *Hb.* 14. est *H.* 15. fusis *r.* 16. est *om. N. H.* 17. prodest] non satis est *Hb.* 19. sceva *H.* fugavimus *Hb.* 20. thyberi *G.*, tyberi *R.* 21. Aut *r.* 26. At *G. r. M.* nundum *r.* 27. quaecunque *r.* mercatas *Hb.* repperit *om. H.* 29. cycropiis *Hb. N.* vigilare *pr. m.*, iugulare *s. m. Hb.* 30. Pampinius *R.* 31. Tu quoque oeurytio *r.*, Tu quoque et eurytion *P.*, Tuque o euricio *N.*, Tuque o eurythii *G.*, Tu quoque aeuritio *Hb.*, euritio *N.*

Nec non Ismario tu, Polypheme, mero.
Vino forma perit, vino corrumpitur aetas,
Vino saepe suum nescit amica virum.
Me miserum, ut multo nihil est mutata Lyaeo!
Iam bibe: formosa es: nil tibi vina nocent,
Cum tua praependent demissa in pocula serta,
Et mea deducta carmina voce legis.
Largius effuso madeat tibi mensa Falerno,
Spumet et aurato mollius in calice.
Nulla tamen lecto recipit se sola libenter:
Est quiddam quod vos quaerere cogat Amor.
Semper in absentes felicior aestus amantes:
Elevat assiduos copia longa viros.

XXXIV.

Cur quisquam faciem dominae iam credit amori?
Sic erepta mihi paene puella mea est.
Expertus dico, nemo est in amore fidelis:
Formosam raro non sibi quisque petit.
Polluit ille deus cognatos, solvit amicos,
Et bene concordes tristia ad arma vocat.
Hospes in hospitium Menelao venit adulter:
Colchis et ignotum nonne secuta virum est?
Lynceu, tune meam potuisti, perfide, curam
Tangere? nonne tuae tum cecidere manus?
Quid si non constans illa et tam certa fuisset?
Posses in tanto vivere flagitio?

32. hismario *r.* 33. corrupitur *r.* 35. es *R. a.*, est *H. V. M.* 37. perpendent *G.*, propendent *H. V. P.* demissae — sertae *N. Hb.* 38. delicta carmine *r.* 39. maneat *M.* phalerno *Hb.* 42. nos *M.* cogit *Hb.* 43. abscentis *r.*, absentis *G.*? absenteis *A.*

XXXIV. *Cohaeret cum superiore carmine in G. N. Hb. D. r.* „*alia elegia*“ *P.* 1. Cum *H. A.* fatiem *N.*, *om. H.* credat *N. a.*, credit *M.* amico *P. a.*, amori *D. H. V. M.*, amari *G.* 4. Formam *pr. m.*, Et formam *s. m. Hb.* 5. coniunctos *H.* 7. menelai *G. P.* 8. est *om. H.* 9. nonne *M.* 9. 10. tangere — Perfide *R. Hb. a.*, Perf. — tang. *V.* 10. non et ue *N.*, nunc tuae *G.* tunc *G. a.*, tum *H. V. M.* 11. tam *om. V.* 12. Posset et *R. a.*, Posses *D. M.*, Possis *v. c. P.*, *sed non deleta pristina scriptura.*

Tu mihi vel ferro pectus vel perde veneno
A domina tantum te modo tolle mea.
Te socium vitae, te corporis esse licebit:
Te dominum admitto rebus, amice, meis:
Lecto te solum, lecto te deprecor uno.
Rivalem possum non ego ferre Iovem.
Ipse meas solus, quod nil est, aemulor umbras,
Stultus, quod stulto saepe timore tremo.
Una tamen causa est, qua crimina tanta remitto,
Errabant multo quod tua verba mero.
Sed numquam vitae fallet me ruga severae:
Omnes iam norunt, quam sit amare bonum.
Lynceus ipse meus seros insanit amores.
Solum te nostros laetor adire deos.
Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris
Prodesit aut rerum dicere posse vias?
Aut quid Erechthei tibi prosunt carmina lecta?
Nil iuvat in magno vester amore senex.
Tu satius Musis meliorem imitere Philetam
Et non inflati somnia Callimachi.
Nam cursus licet Aetoli referas Acheloi,
Fluxerit ut magno fractus amore liquor,
Atque etiam ut Phrygio fallax Maeandria campo
Errat et ipsa suas decipit unda vias,

18. possem *H.* 19. meas] mea *r.* solum *D.* nil] ville *Hb.* emulor *P.* 20. quid *D.*, et *H.* 21. tanta remitto crimina causa est cur *N.*, *sed litteris supra scriptis verus ordo indicatur.* 23. me fallet *Hb. a.*, fallet me *H.* 25. meos *G. H.* serus *H.*, sacros *M.* 26. lector *G.* 28. discere *H.* 29. erethei *G.*, erechti *N.*, cretei *r. Hb.*, cretaei *a.*, erechtaei *V. M.*, *om. H.*, tirtei *Perr.*, critei *P.*, *sed in marg.*: „Cretei, *lege* Tirtei, *de quo Horat. Alii et* Cretei *legunt. Criteum Homerum a nympha matre Critheide vocari dicunt quidem, sed receptum tamen a multis.*“ 30. vesper *G.* 31. musis memorem *Hb. H. V.*, memorem musis *reliqui.* immittere *D.* philitam *N. D. Hb.*, Philetem *H.*, philitem *M.*, philitē *G.* 32. inflatis omnia *N.*, inflantis omnia *G. Hb. H. V.* callamachi (*sic*) *Hb.* 33. iam *H.* rure *pr. m. Hb.*, rursus *s. m. Hb. N. R. A.* aetholi *Hb.* 34. factus *G. N. r. Hb. A.* 35. falax *Hb.* meadria *G.*

Qualis et Adrasti fuerit vocalis Arion
Tristis ad Archemori funera victor equus:
Amphiaraeae haud prosunt fata quadrigae,
Aut Capanei magno grata ruina Iovi.
Desine et Aeschyleo componere verba cothurno,
Desine, et ad molles membra resolve choros!
Incipe iam angusto versus includere torno,
Inque tuos ignes, dure poeta, veni.
Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero:
Despicit et magnos recta puella deos.
Sed non ante gravi taurus succumbit aratro,
Cornua quam validis haeserit in laqueis,
Nec tu tam duros per te patieris amores:
Trux tamen a nobis ante domandus eris.
Harum nulla solet rationem quaerere mundi,
Nec cur fraternis Luna laboret equis,
Nec si post Stygias aliquis sedet arbiter undas,
Nec si consulto fulmina missa tonent.
Aspice me, cui parva domi fortuna relicta est,
Nullus et antiquo Marte triumphus avi,
Ut regnem mixtas inter conviva puellas
Hoc ego, quo tibi nunc elevor, ingenio.
Me iuvet hesternis positum languere corollis,

37. fuerat *M.* orion *G. N. H. M. Hb.* 38. ad] et *G. r. H.* funere *G.* equos *N. M.*, equis *r.*, *om. H.* 39. Non amphiareae *G. R. a.*, Non amphiaraae *D.*, Non amphiare *pr. m.*, Non amphiareae *s. m. Hb.*, Non amphiarerae *pr. m. N.*, amphiareae *s. m. N.*, Haud amphiaraeae *Perr.* prosint *N. Hb. V.*, possunt *M.* facta *r.* 40. magno *om. G. R. Hb. a.*, *addunt D. V. M.* 41. aechileo *N. pr. m. Hb.* 42. thoros *G.*, toros *M. R. a.*, choros *D. H. V.* 43. iam coagusto *Hb.* componere *D.* torvo *Hb.* 44. ingnes *G.* 46. tecta *V. M.* 47. gravis *omnes.* 49. iam *N.* per te] parte *r.* 50. vobis *D.* erit *D.* 51. mondi. 52. cur] quare *V.* 53. aliquid *omnes.* restaverit undas *G. R. A.*, restabit ad undas *Perr.*, restabit (*extremis verbis omissis*) *N.*, restabit ereumnas (*sic*) *Hb.*, restabit aerumnas *D. M.* 54. flumina *N. r.* 55. cui me *Hb.* est *om. H.* 56. ani *M.* 57. Et *H.* regimen *r.* 58. quod *r.* nunc *om. H.* elevor (*sic*) *Hb.* 59. iuvat *D.* externis *G. N. P. D.*, hesternus (*sic*) *Hb.*, aeternis *r. a.*, hesternis *Perr. H. V. M. f. P.*

Quem tetigit iactu certus ad ossa deus,
Actia Virgilium custodis litora Phoebi,
Caesaris et fortes dicere posse rates,
Qui nunc Aeneae Troiani suscitat arma
Iactaque Lavinis moenia litoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graii:
Nescio quid maius nascitur Iliade.
Tu canis umbrosi subter pineta Galaesi
Thyrsin et attritis Daphnin arundinibus,
Utque decem possint corrumpere mala puellas,
Missus et impressis haedus ab uberibus.
Felix, qui viles pomis mercaris amores!
Huic licet ingratae Tityrus ipse canat.
Felix intactum Corydon qui tentat Alexin
Agricolae domini carpere delicias!
Quamvis ille sua lassus requiescat avena,
Laudatur facilis inter Hamadryadas.
Tu canis Ascraei veteris praecepta poetae,
Quo seges in campo, quo viret uva iugo.
Tale facis carmen, docta testudine quale
Cynthius impositis temperat articulis.
Non tamen haec ulli venient ingrata legenti,
Sive in amore rudis sive peritus erit.
Nec minor his animis, aut, si minor, ore canorus
Anseris indocto carmine cessit olor.
Haec quoque perfecto ludebat Iasone Varro,

60. iactus *H.* 61. virgilio *N. R. Hb. D. H. V. M.* 63. aenaae *N.*, in aeneae *R.* Troianaque *G.* 65. grai *N. R. Hb.* 66. quod *N.*, quod *Hb.* yliade *Hb.* 67. umbrosis *N.* spineta *G. H.* 68. Tyrsin *r.*, Thyrsim *G.* 69. male *G.* puellam *a.*, puellas *H. V. M.* 70. inpraesis *N.*, impraessis *Hb.* 72. ingrate *R.* ipsa *pr. m. Hb. N. V.* 73. intactam *r.* alexim *G. R. A.* 75. suas *r.* 76. facileis *A.*, facilis *H. V. M.* amadriadas *N. R.*, amadridas *Hb.*, hamadryades *M.* 79. doctam *M.* 81. tamen *om. pr. m. Hb.* ulli] illi *H.* viventi, *sed corr. pr. m. N.* 82. periturus *N.*, parvus *V.* 83. hic *Lachm. operarum vitio*, his *omnes.* his animis *om. H.* sim *G. N. P. Hb. H. V.* minus *D.* minor ore canorus *om. N.* 84. Auseris *N.* cessat *H.* 85. laudabat *H. V.*

Varro Leucadiae maxima flamma suae.
Haec quoque lascivi cantarunt scripta Catulli,
Lesbia quis ipsa notior est Helena.
Haec etiam docti confessa est pagina Calvi,
Cum caneret miserae funera Quintiliae.
Et modo formosa quam multa Lycoride Gallus
Mortuus inferna vulnera lavit aqua!
Cynthia quin etiam versu laudata Properti,
Hos inter si me ponere Famá volet.

86. locadie *N.*, lauchadie *G.*, loachadiae *Hb.* *r.* cura *H. V.* 88. quis] queis *a.*, quin *H. V. M.* hellena *Hb.* 90. misera *V.* 91. liquoride *G. N. Hb.* 92. funera *H.*

Propertii aurelii nautae liber secundus explicit tertius incipit. lege foeliciter *Hb.*

SEX. AURELII PROPERTII ELEGIARUM

LIBER TERTIUS.

I.

Callimachi Manes et Coi sacra Philetae,
In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros.
Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro?
Quove pede ingressi? quamve bibistis aquam?
Ah valeat, Phoebum quicumque moratur in armis!
Exactus tenui pumice versus eat,
Quo me Fama levat terra sublimis, et a me
Nata coronatis Musa triumphat equis,
Et mecum in curru parvi vectantur Amores,
Scriptorumque meas turba secuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
Non datur ad Musas currere lata via.
Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
Qui finem imperii Bactra futura canent:
Sed, quod pace legas, opus hoc de monte sororum
Detulit intacta pagina nostra via.
Mollia, Pegasides, vestro date serta poetae:
Non faciet capiti dura corona meo.

Lib. tertius. El. I, 1. choi *G. R.* Philitae *D. M.*, philite *Hb.* 2. domus *pr. m. Hb.* 5. quid *G. D.* tenastis *Hb.*, tenuistis *G. r. H. V. M.* 6. quave *r. V. H.* aqua *H.* 7. Ha *Hb. H.* moratur] requirit *D.* 8. erat *H.* 9. Q. (*sic*) *N.* an me *D.* 11. At *H.* currum *N.* nectantur *pr. m. Hb.* 12. sequuta *G.* moras *Hb.* 16. canant *G.* 17. fonte *Perr.* „*vel* fonte“ *P.* 18. Retulit *H.* 19. date vestro *N. Hb. H. V. M.*, datae *r.*

At mihi quod vivo detraxerit invida turba,
Post obitum duplici fenore reddet Honos.
Omnia post obitum fingit maiora vetustas:
Maius ab exequiis nomen in ora venit.
Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces,
Fluminaque Haemonio cominus isse viro,
Idaeum Simoenta Iovis cunabula parvi,
Hectora per campos ter maculasse rotas?
Deiphobumque Helenumque et Pulydamantas in armis?
Qualemcumque Parin vix sua nosset humus.
Exiguo sermone fores nunc, Ilion et tu
Troia bis Oetaei numine capta dei.
Nec non ille tui casus memorator Homerus
Posteritate suum crescere sensit opus.
Meque inter seros laudabit Roma nepotes:
Illum post cineres auguror ipse diem.
Ne mea contempto lapis indicet ossa sepulcro
Provisum est Lycio vota probante deo.
Carminis interea nostri redeamus in orbem,
Gaudeat ut solito tacta puella sono.

21. detraxerat *a.*,] detraxerit *D. V. H.* invidaa *N.* 22. duplicei *N.* reddit *N. D.* onus *N. D. H. V. M.*, opus *Hb.* 23. Omnia] Fame — vetustae *N.* 24. Mavis *Hb.* 25. aequo *D.* ab regno *G. r. H. M.* artes *N. M. r.* 26. Flumineaque *pr. m. Hb.* hemonio *N.*, aemonio *G. R.* quominus *G.* esse *N. H.* 27. Ideum *R.* simoonta *G.* conabula *Hb.*, cunabula parvi *om. N.* 28. Hectorea *Hb.* 29. Deiphobum *r.*, Deiphebumque *N.*, Deiphaebumque *G.*, Deyphebumque *Hb.* polydamantes *G. H. M.*, poliledamantes *N.*, puli ledamantes *Hb.*, pulydamantas *P.*, Polydamantos *D.*, pulydamantes *V.*, Polydamanta sub armis *Perr.* 30. Qualeneunque *A.*, Qualecunque *R.* parim *G. Hb. V.* noscet *Hb. r.* 31. nunc et ilion *Hb.*, nunc ilios *P.* 32. oete in *N.*, oete in (*sic*) *N.* vecti *M.* 33. memoratur *N. Hb. V.* 34. Prosperitate *H.* 35. Teque *H.* laudavit *r.* 36. cinerem *M. D.* augur... *N.* esse *G. r. a.*, ipse *D. H. V. M. Perr.* 37. Non *H.*, Nec *M.* 38. Promissum (*om.* est) *G.* lytio *G. r.* 39. *initium novi carminis in G. N. R. Hb. D.* „*in altero coniuncta in altero disiuncta est elegia*“ *Perr.*; *quod in superiore margine correctum erat, accisa pagina periit.* 39. in urbem *H.* 40. in solito *D. Hb.*, insolito *N.*, et solito *P.* tecta *Hb.*

II.

Orphea detinuisse feras et concita dicunt
Flumina Threicia sustinuisse lyra:
Saxa Cithaeronis Thebas agitata per artem
Sponte sua in muri membra coisse ferunt:
Quin etiam, Polypheme, fera Galatea sub Aetna
Ad tua rorantes carmina flexit equos:
Miremur, nobis et Baccho et Apolline dextro,
Turba puellarum si mea verba colit?
Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes,
Nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas,
Non operosa rigat Marcius antra liquor:
At Musae comites, et carmina cara legenti,
Et defessa choris Calliopea meis.
Fortunata, meo si qua est celebrata libello!
Carmina erunt formae tot monimenta tuae.
Nam neque pyramidum sumptus ad sidera ducti,
Nec Iovis Elei caelum imitata domus,
Nec Mausolei dives fortuna sepulcri
Mortis ab extrema condicione vacant.
Aut illis flamma aut imber subducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quaesitum nomen ab aevo
Excidet: ingenio stat sine morte decus.

II, 1. Orpheu *P. a.*, Orphea *H. V.* detenuisse *v. c. F. Hb. M.*, te tenuisse *r. a.*, detinuisse *H. V.* 2. traycia *IIb.*, treitia *r.* detimuisse *G.*, detinuisse *a.*, sustinuisse *D. M.* 3. Citeronis *Hb.*, ciceronis *N.* 4. in numeri *N. IIb.*, in muneri *V.* 5. galathea *r. N.*, galethea *G.* ethna *Hb.*, etha *N.*, umbra *G.* 6. At *r.* duxit *H.* 9. tenareis *N. Hb. D.* 11. Hec *Hb.* phaeacias *P. a.*, pheacias *G. N.*, phaeatias *r.*, pheatias *Hb.*, phaeacidas *V.* 12. ante *N.* 13. comitis *Hb.* grata *G.* 14. At *V.*, *om. N.* decessa *r.* calliopeia *Hb.* 15. es *P. a.*, est *M. V.* numerata *H. V.* 16. monimenta *Hb. a.* 17. ducti] caeli *G.* 18. aelei *R.* 19. Haec *G.* 20. extremo *IIb.* vacat *Hb. R. a.*, vacant *H. M.* 21. subducit *N.* 22. Arrorum *V.*, Armorum *M. Hb.* pondere *N. M. Hb.* vita *M.* iacent *H.* 23. ingenium *H.*

III.

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
Bellerophontei qua fluit humor equi,
Reges, Alba, tuos et regum facta tuorum,
Tantum operis, nervis hiscere posse meis,
Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
Unde pater sitiens Ennius ante bibit,
Et cecinit Curios fratres et Horatia pila,
Regiaque Aemilia vecta tropaea rate,
Victricesque moras Fabii pugnamque sinistram
Cannensem et versos ad pia vota deos,
Hannibalemque Lares Romana sede fugantes,
Anseris et tutum voce fuisse Iovem:
Cum me Castalia speculans ex arbore Phoebus
Sic ait, aurata nixus ad antra lyra.
„Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
Carminis heroi tangere iussit opus?
Non hic ulla tibi speranda est fama, Properti:
Mollia sunt parvis prata terenda rotis,
Ut tuus in scamno iactetur saepe libellus,
Quem legat expectans sola puella virum.
Cur tua praescripto sevecta est pagina gyro?
Non est ingenii cymba gravanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas:
Tutus eris: medio maxima turba mari est.“
Dixerat, et plectro sedem mihi monstrat eburno,
Qua nova muscoso semita facta solo est.
Hic erat affixis viridis spelunca lapillis,
Pendebantque cavis tympana pumicibus.

III, 1. Nisus *P.* 2. Bellorofontei *Hb.*, elloforontei *N.* 5. admittens *M.* 6. sciens *N.* ibit *N.* 7. cecini *P.* corios *N.* oratia *G. r.* 8. aemilia] milia *N.* vecta] verba *V.* trophaea *G. A.*, trophea *R.* ratae *G.* 10. Cannesem *Hb.* versos apia *N.* 11. lacies *N.*, lacres *Hb.*, alacres *H.* romana a sede *D.* 13. spectans *H.* 14. versus *D.* 15. quis ve *r.* 16. heroici *M.* 21. perscripto *N.*, proscripto *M.* seiecta *P*, est *om. Hb.* ûiro (*sic*) *N.*, libro *H.* 23. harenas *G. N.* 24. est *om. H.* 25. pletro *r.* 26. Quo *N.* muscula *G.* sole *r.* est *om. H.* 27. erit. 28. canis — punicibus *Hb.*

Ergo Musarum et Sileni patris imago
Fictilis, et calami, Pan Tegeaee, tui,
Et Veneris dominae volucres, mea turba, columbae
Tingunt Gorgoneo punica rostra lacu,
Diversaeque novem sortitae rura puellae
Exercent teneras in sua dona manus.
Haec hederas legit in thyrsos, haec carmina nervis
Aptat, at illa manu texit utraque rosam.
E quarum numero me contigit una dearum:
Ut reor a facie, Calliopea fuit:
„Contentus niveis semper vectabere cycnis,
Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
Nil tibi sit rauco praeconia classica cornu
Flare, nec Aonium cingere Marte nemus,
Aut quibus in campis Mariano praelia signo
Stent et Teutonicas Roma refringat opes,
Barbarus aut Suevo perfusus sanguine Rhenus
Saucia maerenti corpora vectet aqua.
Quippe coronatos alienum ad limen amantes
Nocturnaeque canes ebria signa fugae,
Ut per te clausas sciat excantare puellas,
Qui volet austeros arte ferire viros.“
Talia Calliope, lymphisque a fonte petitis
Ora Philetaea nostra rigavit aqua.

29. silleni *G. R.*, cylleni *V.* origo *V.* 30. talami *r.* pan tegee *G.*, pan tegeae *P.*, pategeae *N.*, pathageae *Hb.*, pane tegeae *R.*, Pan o tegee *D.* 31. Ut veneris volucres dominae *G.* turbe *r.* 32. Cingunt *H.* gorgonieó *Hb.*, gorgonio *R.* pumica *N.* (*de lacuna error est Iacobi*), *s. m. Hb.* nostra *N. Hb. pr. m.* 33. turba *r.* 35. haederas *r.*, aederas *G.*, ederas *A.* miris *Hb.* 36. Apta *N. s. m.* et *G. R. a.*, at *H. V.* 37. Equarum *R.* sororum *H.* 38. calliopeia *r.* 39. nactabere *Hb.* cygnis *P. A.*, cignis *N. r.* 40. somnus *Hb.* 41. sint *G.* preconica *Hb.*, praetoria *a.*, praeconia *D. Perr. V.*, praeconica *V.* 42. Flere *G. N. R. Hb. A.* tinguere *N. Hb. Perr.*, cincere *G.* 45. scevo *H. Hb.*, sevo *G. N.*, saevo *R. a.* „*vel* Suevo“ *P.* 46. vectat *Hb.* 49. causas *Hb. M.* extaurare *r.*, exorare *P.*, exornare *v. c. Perr.* 51. ..que *om. H. M.* petistis *N.* 52. philitea *N. Hb. D.*, phylitea *r.*

IV.

Arma Deus Caesar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere classe maris.
Magna, viri, merces. parat ultima terra triumphos:
Tigris et Euphrates sub tua iura fluent:
Sera, sed Ausoniis veniet provincia virgis:
Adsuescent Latio Partha tropaea Iovi.
Ite agite, expertae bello date lintea prorae,
Et solitum armigeri ducite munus equi.
Omina fausta cano. Crassos clademque piate:
Ite et Romanae consulite historiae.
Mars pater et sacrae fatalia lumina Vestae,
Ante meos obitus sit, precor, illa dies,
Qua videam spoliis oneratos Caesaris axes,
Ad vulgi plausus saepe resistere equos,
Inque sinu carae nixus spectare puellae
Incipiam, et titulis oppida capta legam,
Tela fugacis equi et braccati militis arcus
Et subter captos arma sedere duces.
Ipsa tuam serva prolem, Venus: hoc sit in aevum,
Cernis ab Aenea quod superesse caput.
Praeda sit haec illis, quorum meruere labores:
Me sat erit Sacra plaudere posse Via.

V.

Pacis Amor deus est, pacem veneramur amantes:
Stant mihi cum domina praelia dura mea.
Nec tamen inviso pectus mihi carpitur auro,

IV, 2. scindere *Hb.* 5. venient *V.* iurgis *Hb.* 6. parta *G. N. Hb. r.* trophea *Hb. G. R.*, trophaea *A.* 7. date bello *D. M.* 9. Omnia *Hb. a.*, Omina *Perr.* fauste *r.* Crasso *D.*, classes *G.* cladesque *R. a.*, clademque *H. V.* 10. Alte *V.* 11. satiae *V.* numina *G. Hb.*, limina *R. H., f.* lumina *P.* 14. resistet equis *H.* 17. bracati *G.*, brachati *R.* 19. prolem serva *R. a.*, serva prolem *H. V.* iniquum *Hb.* 20. superasse *Hb.* 21. Predia *Hb.* haec] et *M.* 22. Mi *R. a.*, Me *H. V. M.* media *R. a.*, sacra *D. Perr. f. P.*

V, 1. est *om. G.* 2. Sunt *D.* 3. Non *G.* rapitur *V.*

Nec bibit e gemma divite nostra sitis,
Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur,
Nec miser aera paro clade, Corinthe, tua.
O prima infelix fingenti terra Prometheo!
Ille parum cauti pectoris egit opus:
Corpora disponens mentem non vidit in arte.
Recta animi primum debuit esse via.
Nunc maris in tantum vento iactamur, et hostem
Quaerimus, atque armis nectimus arma nova.
Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:
Nudus at inferna, stulte, vehere rate.
Victor cum victis pariter miscebitur umbris:
Consule cum Mario, capte Iugurtha, sedes.
Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro.
Optima mors, parca quae venit acta die.
Me iuvat in prima coluisse Helicona iuventa,
Musarumque choris implicuisse manus:
Me iuvat et multo mentem vincire Lyaeo,
Et caput in verna semper habere rosa.
Atque ubi iam Venerem gravis interceperit aetas,
Sparserit et nigras alba senecta comas,
Tum mihi naturae libeat perdiscere mores,
Quis deus hanc mundi temperet arte domum,
Qua venit exoriens, qua deficit, unde coactis
Cornibus in plenum menstrua luna redit,
Unde salo superant venti, quid flamine captet

4. gemina *N.* 5. aratra *Hb.* 6. aere *N.*, ire *Hb. r. D. H. M.* peto *a.*, paro *D. H. V. Perr.*, pare *M.* classe *r. a. Hb.*, clade *M.* 7. fugienti *D.*, fingitte *Hb.*, frangenti *N.* promotheo *G.* 8. paurum *G.* catum *Hb. pr. m.*, cautum *s. m.*, caute *N. D.* 11. tanto *H. V.* 13. iopes *N.* acheruntis *Hb.* 14. ad infernas — rates *omnes praeter Perr., qui corr.* ab inferna rate. 15. miscebimur *G.* undis *G.* 16. capta *M.* iugurta *r.* 17. discat *V.* Cressus *D.* ab hyro *G. P.*, ab hyrro *r.*, abire *Hb. V. M.* 18. parta *D. H.*, apta *G. R. A.* 20. implacuisse *M.* 21. iuvet *N. Hb. M.* vincere *pr. m. Hb. M.* 24. Sparsit et integras *Hb. r. D.*, Sparserit integras *a. G.*, Sparserit et integras *N.*, et nigras *Perr.* 25. liceat *G.* 26. deo *V.* 27. unda *D.* 28. luna] plena *N.* dedit *M. Hb.* 29. superent *G. D.* cuncti *V.* flumine *M.*

Eurus, et in nubes unde perennis aqua,
Sit ventura dies, mundi quae subruat arces,
Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas,
Aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi,
Solis et atratis luxerit orbis equis,
Cur serus versare boves et plaustra Bootes,
Pleiadum spisso cur coit igne chorus,
Curve suos fines altum non exeat aequor,
Plenus et in partes quattuor annus eat,
Sub terris sint iura deum et tormenta Gigantum,
Tisiphones atro si furit angue caput,
Aut Alcmaeoniae furiae aut ieiunia Phinei,
Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas,
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus, et Tityo iugera pauca novem,
An ficta in miseras descendit fabula gentis,
Et timor haud ultra quam rogus esse potest.
Exitus hic vitae superet mihi: vos, quibus arma
Grata magis, Crassi signa referte domum.

VI.

PROPERTIUS.

Dic mihi de nostra, quae sentis, vera puella:
Sic tibi sint dominae, Lygdame, dempta iuga.
Num me laetitia tumefactum fallis inani,

30. perhenais *N. Hb.*, peremnis *G.* 31. qua *M.*, mundique *Hb.* artes *M.*, axem *D.* 32. cum *M.* bibat *M. G.* 33. At *Hb.* perrhebi *R.*, perhebi *N.*, per Aebi *G.*, perthebi *Hb.*, perherebi *pr. m. D.*, perhebi *corr.* 34. attractis *G. H. M.* 35. seros *N.*, senis *H.* et flamma boon *N.*, boetes *Hb.* 36. cohit ingne *G.* 38. partis *H. V. Hb.* iam *sec. m. Hb. addit post* partis. 39. sunt *H. V.*, sin *Hb.* gigantum *om. N.* 40. Thesiphones *Hb.*, Tesiphones *N.* ferit *G. M.* 41. Anne *Perr. f. P.* almeoniae *G. r.* ieiuna finem *pr. m. Hb.* 42. Non *N.*, *dein bis* ñ; Nun *bis*, *deinde* non *Hb.*, Non *bis*, *deinde* nun *M.* 43. Non *N. Hb.* costodit *G.* 44. et] an *Perr. P.* 46. haud] aut *G. R. a.*, haud *Perr.* quam] quoniam *Hb.* 47. superest *N. R. A.*

VI, 2. .ic *N. rubricatoris culpa.* sim *H.* lydame depta *N.* 3. Non *N.*, Dum *Hb. A. G. r.*

Haec referens, quae me credere velle putas?
Omnis enim debet sine vano nuntius esse,
Maioremque timens servus habere fidem.
Nunc mihi, si qua tenes, ab origine dicere prima
Incipe: suspensis auribus ista bibam.
Siccine eam incomptis vidisti flere capillis?
Illius ex oculis multa cadebat aqua?
Nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto?
Ornabat niveas nullane gemma manus?
Ac maestam teneris vestem pendere lacertis,
Scriniaque ad lecti clausa iacere pedes?
Tristis erat domus, et tristes sua pensa ministrae
Carpebant, medio nebat et ipsa loco,
Humidaque impressa siccabat lumina lana,
Rettulit et querulo iurgia nostra sono?

LYGDAMUS.

Haec te teste mihi promissa est, Lygdame, merces?
Est poenae servo rumpere teste fidem.
Ille potest nullo miseram me linquere facto,
Aequalem nulla dicere habere domo.
Gaudet me vacuo solam tabescere lecto.
Si placet, insultet, Lygdame, morte mea.
Non me moribus illa, sed herbis improba vicit:
Staminea rhombi ducitur ille rota:
Illum turgentis ranae portenta rubetae
Et lecta exectis anguibus ossa trahunt,

4. Nec *s. m. D.* 5. sine vanis esse relator *r.* 6. serus *N.* 7. Non *N.* 9. Sicut *R. Hb. D. V. M.*, Si *N.*, Sic *G.* eā (*i. e.* eam) *N.* in comptis *Hb.* 11. lygadame *N.* 12. nullave *G. R. a.*, nullane *D.* 13. At *G. Perr.*, Ad *M.* moestam *Hb.* vestam *N.* 14. Scrineaque *M.*, que *om. Hb.* 15. tristeis *P.*, tristis *r.* 17. impraesa *M.* 18. somno *Hb.* 19. Naec *r.*, Nec *D.* me *M.* ligadame *N.* 20. penae *N.*, pene *Hb. D.* 21. Illa *Hb. r. H. M. V.* miserum *r. H. M. V.* 22. nullo *N.* 23. solum *r.* 25. Improba non vicit me moribus illa sed herbis. *Mss. tamen omnes verum ordinem servant.* illa moribus *s. m. Hb.*, muneribus *G.* 26. bombi *N. D.*, rumpi *r.* 28. laeta *V.* ex sectis *a. r.*, ex actis *H.*, ex satis *M.*, ex estis *V.*, exsectis *D.*

Et strigis inventae per busta iacentia plumae,
Cinctaque funesto lanea vitta viro.
Si non vana canunt mea somnia, Lygdame, testor,
Poena erit ante meos sera, sed ampla, pedes,
Putris et in vacuo texetur aranea lecto,
Noctibus illorum dormiet ipsa Venus.

PROPERTIUS.

Quae tibi si veris animis est questa puella,
Hac eadem rursus, Lygdame, curre via,
Et mea cum multis lacrimis mandata reporta,
Iram, non fraudes esse in amore meo.
Me quoque consimili impositum torquerier igni
Iurabo et bis sex integer esse dies.
Quod mihi si tanto felix concordia bello
Extiterit, per me, Lygdame, liber eris.

VII.

Ergo sollicitae tu causa, pecunia, vitae es!
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula praebes:
Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Paetum ad Pharios tendentem lintea portus
Obruis insano terque quaterque mari.
Nam dum te sequitur, primo miser excidit aevo,
Et nova longinquis piscibus esca natat:
Et mater non iusta piae dare debita terrae,
Nec pote cognatos inter humare rogos,
Sed tua nunc volucres astant super ossa marinae,
Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare est.

29. stygis *r.* rotantia *G.* 30. Iunctaque *H.* vita *N. Hb.*, victa *G.* 31. cadunt *V.* Lygd. somn. *M.* Lygadame *N.*, aligdame *G.*, lygdme *r.* 34. dormiat *G. H.* 36. Haec *r.* lygadame — viam *N.* 39. quo *r.* consuli *N.*, cum simili *G. r.* 40. Iurabor *R.* et *om. Hb. H. V.* 41. Quod nisi et *N.* 42. lygadame *N.*

VII, 1. Ergone *H.* es *om. N.* (*? sic L., nihil equidem adnotavi.*) 3. praebes] pales *Hb.* 4. Semine *r.* 7. extit *pr. m. Hb.* 8. nova] longa. 9. At *G.* pie *P.*, pia *r.* 10. Ut *H.* 11. adsunt *D.* 12. capatium *G.* est *om. G. r. a.*, *addit V.*

Infelix Aquilo, raptae timor Orithyiae,
Quae spolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?
Portabat sanctos alveus ille viros.
Paete, quid aetatem numeras? quid cara natanti
Mater in ore tibi est? non habet unda deos.
Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
Omnia detrito vincula fune cadunt.
Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
Quae notat Argynni poena, Athamantiadae.
Hoc iuvene amisso classem non solvit Atrides,
Pro qua mactata est Iphigenia mora.
Reddite corpus humo, positaque in gurgite vita
Paetum sponte tua, vilis arena, tegas:
Et quotiens Paeti transibit nauta sepulcrum,
Dicat: „Et audaci tu timor esse potes.“
Ite, rates curvas et leti texite causas:
Ista per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat fatis: adiecimus undas,
Fortunae miseras auximus arte vias.
Ancora te teneat, quem non tenuere Penates?
Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?
Ventorum est, quodcumque paras: haud ulla carina
Consenuit, fallit portus et ipse fidem.
Natura insidias pontum substravit avaris:
Ut tibi succedat, vix semel esse potest.

13. memor *Perr.*, *f. P.* orithiae *N. Hb.* 16. Portabit *r.* 18. tibi in ore *N.* est *om. H.* ora *r.* 19. faxa *Hb.* 20. Omnia, *an* Omina *dubium N.* de trito *r. a.*, de tristi *H.* 22. Qua *omnes.* nota *G.* arginni *v. c. P. V.*, argini *a.*, agynni *N.*, argivi *H. M.*, argivis *G.*, argivum *r. D.* poena minantis aquae *G. R. N. Hb. a.*, natantis aquae *M. V.* 24. iphigenea *N.* 25. posita est in *N.* 29. Ire *N.* curvae *G. N. R. A.*, curve *Hb.* et] ite *M.* letius *G.*, loeti *R. inter* leti *et* causas *inserunt* quoque *R. a.*, *renuunt M. V.* terite *N.* 30. humana *D.* 31. fatis] terris *a.*, fatis *Perr. V. H. M.* 33. Anchora *G. R.* poenates *Hb.* 34. quoi *G. V.*, *om. H.* 37. insidians *N. R. Hb. A.* substernit *Hb. pr. m.* aratris *pr. m. Hb.* 38. sibi *M.*

Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
Naufraga cum vasto Graecia tracta salo est.
Paullatim socium iacturam flevit Ulixes,
In mare cui soliti non valuere doli.
Quod si contentus patrio bove verteret agros,
Verbaque duxisset pondus habere mea,
Viveret ante suos dulcis conviva Penates,
Pauper, at in terra, nil ubi flare potest.
Non tulit hic Paetus stridorem audire procellae
Et duro teneras laedere fune manus,
Sed Thyio thalamo aut Oricia terebintho
Effultum pluma versicolore caput.
Huic fluctus vivo radicitus abstulit ungues,
Et miser invisam traxit hiatus aquam:
Hunc parvo ferri vidit nox improba ligno.
Paetus ut occideret, tot coiere mala.
Flens tamen extremis dedit haec mandata querelis,
Cum moribunda niger clauderet ora liquor.
„Di maris Aegaei quos sunt penes aequora, Venti,
Et quaecumque meum degravat unda caput,
Quo rapitis miseros primae lanuginis annos?
Attulimus longas in freta vestra manus.
Ah miser alcyonum scopulis affligar acutis:
In me caeruleo fuscina sumpta deo est.
At saltem Italiae regionibus evehat aestus:
Hoc de me sat erit si modo matris erit.“

39. carpharea pupes *N.* 40. trita *H.* solo *D.* 41. iactura *H.* flebat *M. R.* ulysses *A. R.* 42. cum *G.* soli *omnes.* 44. dixisset *Hb. D.* 46. ac *Hb.*, et *G. a.*, at *D. Perr.* interea nil nisi *R. D. Perr.* flere *omnes.* potes *D.* 47. tullit hunc *Hb.* hunc *H. V.*, haec *N.* procele *Hb.* 49. chio *G. N. R. Hb. H. V. M. D.*, thiae *a.*, thiae in *P.* chalamo *Hb.*, calamo *D. G.* orytia *G.*, orythia *N. R.*, oronthea *M.*, oryrrhia *V.*, *om. H.* 50. Et fultum *omnes praeter Perr. et P.*, *qui* Effultus. 51. Nunc *M.* iuno *M.* radiatus *V.* 52. in visam *N.*, invitam *H.* 57. poenes *Hb.* 59. lanugenis *Hb.* 60. vasta *a.*, vestra *H. M. D.*, vestra longa manus *V.* 61. alcinum *pr. m. Hb.*, alcinoum *s. m. Hb. G. r.* affigar *G. a.*, affligar *V. M. Perr.*, ego figar *H.* 62. cerulo *pr. m. Hb.* 63. eveat *N.* 64. mater *H.*

Subtrahit haec fantem torta vertigine fluctus;
Ultima quae Paeto voxque diesque fuit.
O centum aequoreae Nereo genitore puellae,
Et tu materno tacta dolore Thetis,
Vos decuit lasso subponere brachia mento:
Non poterat vestras ille gravare manus.
At tu, saeve Aquilo, numquam mea vela videbis:
Ante fores dominae condar oportet iners.

VIII.

Dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas,
Vocis et insanae tot maledicta tuae.
Cur furibunda mero mensam propellis, et in me
Proiicis insana cymbia plena manu?
Tu vero nostros audax invade capillos,
Et mea formosis unguibus ora nota,
Tu minitare oculos subiecta exurere flamma,
Fac mea rescisso pectora nuda sinu.
Nimirum veri dantur mihi signa caloris:
Nam sine amore gravi femina nulla dolet.
Quae mulier rabida iactat convicia lingua,
Et Veneris magnae volvitur ante pedes,
Custodum gregibus circa seu stipat euntem,
Seu sequitur medias, Maenas ut icta, vias,
Seu timidam crebro dementia somnia terrent,
Seu miseram in tabula picta puella movet:
His ego tormentis animi sum verus aruspex,
Has didici certo saepe in amore notas.

66. Ultimaque *Hb.* noxque *G. R. Hb. A.*, voxque *f. P. V. M.* 68. tracta *N.* theti *P.* 70. veras *V.* 72. condere *H.*

VIII, 1. externas *G. r. Hb. a.*, extremas *V. M.*, hesternas *D. Perr.* 3. Cum *P. a.*, Cur *D. M.*, Quor *V.* 4. Proicis *G. N. Hb.* 5. inaude *pr. m. Hb.* 6. me *R.* 7. mutare *r. D.* urere *H.* 8. Hac *V.* reciso *Hb. V.*, resciso *H.* pectore *r.* 9. coloris *r.*, doloris *H.* 11. gravida *omnes.* convitia *r. A.* 12. Quae *P. Perr.* 13. Custodem *G. Hb.* circum *P.*, circa *H. V. M.* se *G. N. R. Hb. a.*, quae *Perr.* 14. Quae *P. Perr.* acta *R. a.*, iacta *pr. m. Hb. M.*, icta *D. V. H.* 16. miserum *H. V.* 17. hauruspex *G.* 18. Nam *R. Hb. a.*, Has *H. V. M.* certo didici *G.*

Non est certa fides, quam non iniuria versat.
Hostibus eveniat lenta puella meis!
Inmorso aequales videant mea vulnera collo:
Me doceat livor mecum habuisse meam.
Aut in amore dolere volo aut audire dolentem,
Sive meas lacrimas sive videre tuas.
Tecta superciliis si quando verba remittis,
Aut tua cum digitis scripta silenda notas.
Odi ego, quum numquam pungunt suspiria somnos:
Semper in irata pallidus esse velim.
Dulcior ignis erat Paridi, cum Graia per arma
Tyndaridi poterat gaudia ferre suae.
Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector,
Ille Helenae in gremio maxima bella gerit.
Aut tecum aut pro te mihi cum rivalibus arma
Semper erunt: in te pax mihi nulla placet.
Gaude, quod nulla est aeque formosa: doleres,
Si qua foret: nunc sis iure superba licet.
At tibi, qui nostro nexisti retia lecto,
Sit socer aeternum, nec sine matre domus!
Cui nunc si qua data est furandae copia noctis,
Offensa illa mihi, non tibi amica, dedit.

IX.

Maecenas eques Etrusco de sanguine regum,
Intra fortunam qui cupis esse tuam,
Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor?
Non sunt apta meae grandia vela rati.

19. iniurgia *N.* 21. In morso *G. r. a.*, Immorso *D. P.* colo *Hb.* 22. Et *H.* 25. *om. M.* quanto *M.* 26. At *r.* dolenda *M.*, scilenda *Hb.* 27. quae *G. r. a.*, quem *N. Hb.*, quum *P. Perr.* pandunt *M.* 28. iratam *G. R. Hb.* 29. grata *omnes.* 32. in *om. H.* 33. per te *G.*, pro me *M.* 35. nullo *M.* equae formosae *Hb.* dolores *V. G.* 37. tendisti *omnes.* 38. sacer externum .... (*reliqua acciso margine perierunt emendata*) *Perr.* nec] non *Hb.* 39. fraudate *G.* 40. Offensam *N. r. D. Perr. H. V. M.*, Infensa *a.*

IX, 1. hetrusco *R.* 2. . ntra *N. rubricatoris culpa.* 3. in *om. Hb.*

Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus,
Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Fama nec ex aequo ducitur ulla iugo.
Gloria Lysippo est animosa effingere signa,
Exactis Calamis se mihi iactat equis,
In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles,
Parrhasius parva vindicat arte locum,
Argumenta magis sunt Mentoris addita formae,
At Myos exiguum flectit acanthus iter,
Phidiacus signo se Iuppiter ornat eburno,
Praxitelen propria vindicat urbe lapis.
Est quibus Eleae concurrit palma quadrigae,
Est quibus in celeres gloria nata pedes.
Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis.
Naturae sequitur semina quisque suae.
At tua, Maecenas, vitae praecepta recepi,
Cogor et exemplis te superare tuis.
Cum tibi Romano dominas in honore secures
Et liceat medio ponere iura foro,
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes
Atque onerare tuam fixa per arma domum,
Et tibi ad effectum vires det Caesar, et omni
Tempore tam faciles insinuentur opes,
Parcis, et in tenues humilem te colligis umbras,
Velorum plenos subtrahis ipse sinus,
Crede mihi, magnos aequabunt ista Camillos

5. quod est *r.* 6. pessum *Perr. P.* in flexo *r.* 7. Omina *N.* 8. Flamma *G. N. r. Hb. D. V. M.*, Palma *H.* eoo *G.* clauditur *H.* illa *r.* rogo *r.* 9. hysippo *G.* fingere *r. D. H. V.* 10. calais *G.*, calamus *N. Hb. D. V. r.* 11. poscit *N.* 13. magna *V.* 14. Ad *G. N. r.* myros *r.*, miros *G.*, muros *N. H. M. V. D.*, Admiros *Hb.* á cantus *pr. m. Hb.* 15. armat *G.* 16. Praxitelem *R. Hb. A.* parius *a.*, propria *Perr. H. V. M.* vendicat *G.* arte *P. a.*, urbe *H. V. M.* 17. 18. Sunt *R. a.*, Est *D. H. V. M.* 17. aleae *pr. m. Hb.* concurrunt *V.* 19. satis *R. M.* 20. queque *N.* 21. recepti *N. pr. m.* 22. meis *s. m. N.* 25. pugnatos *G.* 26. honorare *G.* 27. dat *H. V.* et] in *D.* 30. Vellorum *Hb.*

Iudicia, et venies tu quoque in ora virum,
Caesaris et famae vestigia iuncta tenebis:
Maecenatis erunt vera tropaea fides.
Non ego velifera tumidum mare findo carina:
Tuta sub exiguo flumine nostra mora est.
Non flebo in cineres arcem sedisse paternos
Cadmi, nec septem praelia clade pari,
Nec referam Scaeas et Pergama Apollinis arces,
Et Danaum decimo vere redisse rates,
Moenia cum Graio Neptunia pressit aratro
Victor Palladiae ligneus artis equus.
Inter Callimachi sat erit placuisse libellos
Et cecinisse modis, Dore poeta, tuis.
Haec urant pueros, haec urant scripta puellas,
Meque deum clament, et mihi sacra ferant.
Te duce vel Iovis arma canam caeloque minantem
Coeum et Phlegraeis Eurymedonta iugis,
Celsaque Romanis decerpta Palatia tauris
Ordiar et caeso moenia firma Remo,
Eductosque pares silvestri ex ubere reges,
Crescet et ingenium sub tua iussa meum.
Prosequar et currus utroque ab litore ovantes,
Parthorum astutae tela remissa fugae,
Castraque Pelusi Romanq subruta ferro,

32. Indicia *a.*, Iudicia *D. M.* 33. victa *N.* tenebris *r.* 34. trophaea *G. a.*, trophea *N. R.* vides *H.* 35. *om. N.* scindo *Hb.* 36. Tota *N. Hb. A.* est fl. n. ratis *G.*, ratis *et v. c. Perr.*, mora nostra *Hb.*, via *D.* 37. Non phebo *N.*, N. fido *Hb.* in cinerem arces *H.* paternas *H.* 38. Cambi *G.* semper *omnes.* 39. apolinis *Hb.* 41. neptuna *pr. m. Hb.* 42. equus] opus *H. V.* 44. dure *H. V. M. G. N. r.*, coe *P. a.*, durae *Hb.* 45. Haec curant *G. N. r. A. Hb.* puros *Hb. itemque:* curant *G. N. R. A. Hb.*, Haec pueri curent haec curent scripta puellae *Perr. Puccius contra* curent *primo solo loco reposuit, deinde in margine eadem, quae Perr., scripsit.* 46. clamant *G.* 48. Coeum et Phlegraeis *om. V.* Caeum *N. A.*, Ceum *Hb.* flegreis *N.* oromodunta *N. Hb.*, oromodonta *G. R.*, oromedonta *a.* 49. de certa *G.* palaria *r.* 51. Deductosque *H.* arbore *M. G.* 52. et *om. Hb.* 54. tella *Hb.* 55. pelusii *G. N. Hb. A. R.* subdita *H.*

Antonique graves in sua fata manus.
Mollis tu coeptae fautor cape lora iuventae,
Dexteraque inmissis da mihi signa rotis.
Hoc mihi, Maecenas, laudis concedis, et a te est,
Quod ferar in partes ipse fuisse tuas.

X.

Mirabar, quidnam misissent mane Camenae,
Ante meum stantes sole rubente torum.
Natalis nostrae signum misere puellae,
Et manibus faustos ter crepuere sonos.
Transeat hic sine nube dies, stent aere venti,
Ponat et in sicco molliter unda minas.
Aspiciam nullos hodierna luce dolentes,
Et Niobe lacrimas supprimat ipse lapis,
Alcyonum positis requiescant ora querelis,
Increpet absumptum nec sua mater Itym.
Tuque, o cara mihi, felicibus edita pennis,
Surge et poscentes iusta precare deos.
Ac primum pura somnum tibi discute lympha,
Et nitidas presso pollice finge comas:
Dein, qua primum oculos cepisti veste Properti,
Indue, nec vacuum flore relinque caput:
Et pete, qua polles, ut sit tibi forma perennis,
Inque meum semper stent tua regna caput.
Inde coronatas ubi ture piaveris aras,
Luxerit et tota flamma secunda domo,

56. Antoniique *G. N. R. Hb.* praves *G.* 57. factor *N.*, faustor *Hb.* 58. Dextraque *r. a.*, Dexteraque *D. V.* in missis *r.* 59. est *om. H.* 60. inpertes *Hb.*

X, 3. miserere *pr. m.*¶*Hb. r.* 4. somnos *Hb.* 5. stant *V.* 6. Ponet *V. N.* minax *N. pr. m. Hb.* 8. Niobes *G.* (?) *P. V.* ipsa suas *H.*, ipse suas *V. M.* 9. Halcyonum *G. A.* 10. itim *N.*, ytim *G. Hb.* 11. Tu quoque *D.* poenis *H.* 12. potentes *H.* 14. police *r.* 15. Dehinc *M.* coepisti *R.* propertij *Hb.* 17. 18. *om. N.* 17. poles *Hb.* tibi sit *r.* fama *r.*, fortuna *pr. G.* peremnis *G. Hb.* 18. tua] *al.* ubi tibi *H.* 19. ubi] tibi *Hb.*, tibi (*sic*) *D.* 20. Lux erit *r.*, Luserit *H. V.* fluma *M.*

Sit mensae ratio, noxque inter pocula currat,
Et crocino naris murreus ungat onyx.
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,
Et sint nequitiae libera verba tuae,
Dulciaque ingratos adimant convivia somnos,
Publica vicinae perstrepat aura viae.
Sit sors et nobis talorum interprete iactu,
Quem gravibus pennis verberet ille puer.
Cum fuerit multis exacta trientibus hora,
Noctis et instituet sacra ministra Venus,
Annua solvamus thalamo sollemnia nostro,
Natalisque tui sic peragamus iter.

XI.

Quid mirare, meam si versat femina vitam
Et trahit addictum sub sua iura virum,
Criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis,
Quod nequeam fracto rumpere vincla iugo?
Venturam melius praesagit navita noctem,
Vulneribus didicit miles habere metum.
Ista ego praeterita iactavi verba iuventa:
Tu nunc exemplo disce timere meo.
Colchis flagrantis adamantina sub iuga tauros
Egit et armigera praelia sevit humo,
Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
Iret ut Aesonias aurea lana domos.
Ausa ferox ab equo quondam obpugnare sagittis

21. moxque *r. M. V.*, vosque *Perr.* curat *M.* 22. Et cr. n. *om. H.* crocyno *N.* nares *G. R. a.*, naris *H. M.* mirreus *G.*, myrrheus *D.*, mureus *Hb.* onix *N.*, ovix *pr. m. Hb.* 24. sine *G.* 25. que *om. N.* conviva *pr. m. Hb.* 26. prestrepet *Hb.*, perstrepat *a.*, perstrepet *V.* ara *R. a.* „*f.* aura" *P.*, aura *D. Perr. M.* 27. tallorum *Hb.* interpetre *G.* tactu *pr. m. Hb. r.* 28. Quem in *Hb.* poenis *H. Hb.* 29. ora *pr. m. Hb.* 30. instituit *D.* 31. et sollennia *a.*, *om.* et *H. M.*, et somnia *r.* 32. sic] ter *G.*

XI, 2. adictum *G.* vira virum *Hb.* 3. Carminaque *M.* 4. nequeant *r.* 5. mortem *G. N. R. a.*, noctem *Perr. V. f. P.* 7. ergo *G.* 9. flagranteis *P. A.* 12. Iter *r.* exonias *G.* 13. equis *D.* condam *G.*, contra *M.*

Maeotis Danaum Penthesilea rates;
Aurea cui postquam nudavit cassida frontem,
Vicit victorem candida forma virum.
Omphale in tantum formae processit honorem,
Lydia Gygaeo tincta puella lacu,
Ut, qui pacato statuisset in orbe columnas,
Tam dura traheret mollia pensa manu.
Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
Ut solidum cocto tolleret aggere opus,
Et duo in adversum missi per moenia currus
Ne possent tacto stringere ab axe latus,
Duxit et Euphratem medium, qua condidit arces,
Iussit et imperio surgere Bactra caput.
Nam quid ego heroas, quid raptem in crimine divos?
Iuppiter infamat seque suamque domum:
Quid, modo quae nostris opprobria vexerat armis
Et famulos inter femina trita suos?
Coniugis obsceni pretium Romana poposcit
Moenia et addictos in sua regna patres.
Noxia Alexandria, dolis aptissima tellus,
Et totiens nostro Memphi cruenta malo,
Tres ubi Pompeio detraxit arena triumphos!
— Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam —
Issent Phlegraeo melius tibi funera campo,
Vel tua si socero colla daturus eras.
Scilicet incesti meretrix regina Canopi,
Una Philippeo sanguine adusta nota,

14. Iniectis *G. R. M. H. V. Perr.* 17. Omphale et *M.*, Omphalie in *r.* praecessit *V.* 18. gygeo *R.* tinta *G.* 20. Iam *H.*, Tanta *r.* dira (*sic*) *N.* 21. *Nova elegia r.* babilonia *Hb.* orbem *R.* 22. Et *H.* agger *Hb.* 23. Ut *Perr.* Et dño (*i. e.* domino) *N.* missit *r.*, misit *P. a.*, missi *Perr. H. V.* 24. Nec *N. Hb. M. r.* 25. Auxit *H.* eufraten *a.*, eufratem *M. Hb. R.* 27. captem *D.* crimina *r. H.* 29. modoque *Hb.* vexerit *N. G. R. Hb. a.*, vexerat *M.* 31. obscenii, *abrasa tamen altera* i *N.* 32. adductos *H.* in sua iura *G.* 33. alexandriam *G.*, *sed in marg. corr.*, alexandrina *P. a.*, alexandria *D. H. V. M.* 34. memphy *Hb.* 35. pompeia *r.* 36. potam *H.* 37. flegreo *N. Hb.*, phlegreo *R.* 38. cola *Hb.* 39. *Nova elegia in Hb.* 40. philippeio *r.* sanguini *P.*

Ausa Iovi nostro latrantem opponere Anubin,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas,
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos et contis rostra Liburna sequi,
Foedaque Tarpeio conopia tendere saxo,
Iura dare et statuas inter et arma Mari.
Quid nunc Tarquinii fractas iuvat esse secures,
Nomine quem simili vita superba notat,
Si mulier patienda fuit? cape, Roma, triumphum,
Et longum Augusto salva precare diem.
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili:
Accepere tuae Romula vincla manus.
Brachia spectavi sacris admorsa colubris,
Et trahere occultum membra soporis iter.
„Non hoc, Roma, fui tanto tibi cive verenda,“
Dixit, „et assiduo lingua sepulta mero.“
Septem urbs alta iugis, toto quae praesidet orbi,
Femineas timuit territa Marte minas.
Hannibalis spolia et victi monimenta Syphacis,
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes,
Curtius expletis statuit monimenta lacunis,
At Decius misso praelia rupit equo,
Coclitis abscissos testatur semita pontes,
Est cui cognomen corvus habere dedit.
Haec di condiderunt, haec di quoque moenia servant:
Vix timeat salvo Caesare Roma Iovem.

41. Musa *G.* anubim *G. N. R. A.* 44. comtis *G.*, conchis *D.*, cunctis *V.* 45. trapeio *pr. m. Hb.* canopeia *G. N. R. Hb. H. V.*, canopea *a.* 46. dare et] daret *r.*, dare *G. N. Hb. a.*, dare et *Perr.* et *posterius om. G.* 47. torquini *Hb.*, tarquini *N. R.* „*de G. non constat*“ *Lachm.*, Tarquini *a.* 48. quae *N.*, quas *H.* notet *H.* 49. Et *H. V.*, Sed *M.* rapienda *M.* captet *H.* 50. longum *H. V.* 51. tumidi *H. V. M.* vada *Hb. N. D. M.* 52. romule *Hb.* 53. amorsa *G.* 55. Non haec *a.*, Non hoc *Perr. H. V. M.* romana *G.* fuit *G. N. r. a.*, fui *Perr. sed supra pagin.* fuit. 57. toti *G.* 58. *om. N.* 59. 61. monumenta *R.* 61. Curius *G. N. Hb. r. a. H. V.*, Durius *D.* explectis *Hb.* latinis *D.* 62. Et *H.*, Ac *M.* 63. Colitis *pr. m. Hb.*, Clotis *G.* abscisos *Hb.*, adscisos *N.* 64. Et *G. N. Hb. r. a.*, Est *Perr.* 65. dii *Hb. N.* condiderant *omnes.*

Nunc ubi Scipiadae classes? ubi signa Camilli?
Aut modo Pompeia Bospore capta manu?
Leucadius versas acies memorabit Apollo.
Tantum operis belli sustulit una dies.
At tu, sive petes portus seu, navita, linques,
Caesaris in tote sis memor Ionio.

XII.

Postume, plorantem potuisti linquere Gallam,
Miles et Augusti fortia signa sequi?
Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,
Ne faceres, Galla multa rogante tua?
Si fas est, omnes pariter pereatis avari,
Et quisquis fido praetulit arma toro!
Tu tamen iniecta tectus, vesane, lacerna
Potabis galea fessus Araxis aquam.
Illa quidem interea fama tabescet inani,
Haec tua ne virtus fiat amara tibi,
Neve tua Medae laetentur caede sagittae,
Ferreus aurato neu cataphractus equo,
Neve aliquid de te flendum referatur in urna.
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.
Ter quater in casta felix o Postume Galla,
Moribus his alia coniuge dignus eras!
Quid faciet nullo munita puella timore,
Cum sit luxuriae Roma magistra tuae?
Sed securus eas: Gallam non munera vincent,

68. Et *Hb.*, Aut ubi *R. a.* modo *H. V. M.* bosphore *G. N.*, bosphora *R.* menu *r.* 69. Lauchadius *Hb.* memorabat *G.* 70. substulit *G.* 71. seu] sive *N.* linquens *r.*

XII, 2. Milles *r.* 3. illa *H.* 4. facere *pr. m. Hb.*, facias *D.* 5. est *om. G.* 6. Et si quis *D.* 7. intecta *N. V. M. D.*, in tecta *Hb. r.*, interea *G. H. r.* vesare *r.* 8. gallea *Hb.* araris *D.* 9. in ani *Hb.* 10. Neo *pr. m. Hb.* tua ne] utinam *V.* fiet *r. a.*, fiet (*sic*) *D.*, fiat *M.* 12. airato *V.* ne *M.* catophratus *N.*, cataphratus *G.*, cantophratus *Hb.*, cata phractus *r.* 13. Neu *r.* 14. Si credunt *N.*, Si credent *pr. m. Hb. r.* quae *M.* 17. numita *M.* 18. suae *P. Perr.*

Duritiaeque tuae non erit illa memor.
Nam quocumque die salvum te fata remittent,
Pendebit collo Galla pudica tuo.
Postumus alter erit miranda coniuge Ulixes.
Non illi longae tot nocuere morae,
Castra decem annorum, et Ciconum mons Ismara, Calpe,
Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae,
Et Circes fraudes, lotosque herbaeque tenaces,
Scyllaque et alternas scissa Charybdis aquas,
Lampeties Ithacis verubus mugisse iuvencos
— Paverat hos Phoebo filia Lampetie —,
Et thalamum Aeaeae flentis fugisse puellae,
Totque hiemis noctes totque natasse dies,
Nigrantisque domos animarum intrasse silentum,
Sirenum surdo remige adisse lacus,
Et veteres arcus leto renovasse procorum,
Errorisque sui sic statuisse modum.
Nec frustra, quia casta domi persederat uxor.
Vincit Penelopes Aelia Galla fidem.

XIII.

Quaeritis, unde avidis nox sit pretiosa puellis,
Et Venere exhaustae damna querantur opes.

21. sanum *r. a.*, salvum *Perr.* 22. Pendebat *pr. m. Hb.* 23. Posthumus *P. a.* ulisses *G.*, ulysses *R. A.* 24. ille *Hb.* 25. hismara *G.* 26. gemne (*sic*) *Hb.* 27. circe *N. Hb.*, circae *A.* 28. Syllaque *r.*, scillaque *N.* sissa *M.*, scyssa *r.*, sipsa *G.* caribdis *N. r. G.*, carybdis *P.*, caribidis *Hb.* aqua *H.* 29. Lampathiae *N. D. Hb. r.*, Lampatiae *G.* sithicis *N.*, siticis *Hb.*, scyticis *G.*, scythicis *r. D.* Lamphathiae schythicis *H. V. M.* veribus *N. Hb.* 30. lampetiae *P.*, lampathiae *r.*, lampatiae *G.*, lanpathiae *N.*, lamphatiae *D.*, lamphatie *H. V. M.* 31. aeae *N.*, aeeae *R. Hb.* 32. notasse *pr. m. Hb.*, vacasse *r.* 34. adiisse *Hb.* 35. artus *G.* lecto *N. Hb. H. V. M. r.* revocasse *Perr. H. V. M. G.* 37. Haec *M.*, Hec *s. m. Hb.* 38. penelope *N. Hb.*, penolopes *G. R.* laelia *G. R. A.*, lelia *N. Hb.*

XIII, 2. venerem *G. N. R. Hb. A. Teste tamen Burm. M.* venere, *et sic P. ad marginem R., quamvis non deleta pristina scriptura.* exhaste *Hb.*, exhausto *N.*

Certa quidem tantis causa et manifesta ruinis:
Luxuriae nimium libera facta via est.
Inda cavis aurum mittit formica metallis,
Et venit e rubro concha Erycina salo,
Et Tyros ostrinos praebet Cadmea colores,
Cinnamon et multi pastor odoris Arabs.
Haec etiam clausas expugnant arma pudicas,
Haecque terunt fastus, Icarioti, tuos.
Matrona incedit census induta nepotum,
Et spolia opprobrii nostra per ora trahit.
Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi:
Aut si qua est, pretio tollitur ipsa mora.
Felix Eois lex funeris una maritis,
Quos Aurora suis rubra colorat equis.
Namque ubi mortifero iacta est fax ultima lecto,
Uxorum fusis stat pia turba comis,
Et certamen habent leti, quae viva sequatur
Coniugium: pudor est non licuisse mori.
Ardent victrices, et flammae pectora praebent,
Inponuntque suis ora perusta viris.
Hic genus infidum nuptarum, hic nulla puella
Nec fida Euadne nec pia Penelope.
Felix agrestum quondam pacata iuventus,
Divitiae quorum messis et arbor erant.
Illis munus erant decussa Cydonia ramo,
Et dare puniceis plena canistra rubis,
Nunc violas tondere manu, nunc mixta referre

3. Certe *A.*, Certa *H. V.* equidem *A.* et] est *G. R. a.*, et *V. M.* 4. lubrica *G.* 5. Inde *r.* canis *Hb.* 6. e] et *M.* ericina *N.*, hericina *Hb. R.*, eritina *V.*, eriena *M.* 7. tires *N.* colores *om. H.* 8. Cynamon *N.* 9. causas *M.* 10. Quaeque *G. N. Hb. r. a.*, Haecque *Perr. P.* faustus *G.*, fastos *pr. m. Hb.* icariote *N. r. D. V. M.*, icariotae *G.* 12. opprobrium *V.* hora *r.*, horta *Hb.* 15. ima *D.* 17. Iamque *H.* humida *M.* 18. positis *G.* 20. pudorē *G.* 21. et] est *pr. m. Hb.*, ast *s. m.* 23. Hoc *N. Hb. D. V.* innupta puella *Hb.* est *addit Perr. R.* 24. euhadne *N.*, euandne *G.* 25. paccata *Hb.* 26. quarum *G. r. A.* 27. pompa fuit *r. a.*, munus erat *G. H. V. M.*, *quod*, *an* erant *scripserit Perr.*, *reciso margine non liquet.* discussa *N.* 28. rubris *Hb.* 29. musta *G. H.*

Lilia virgineos lucida per calathos,
Et portare suis vestitas frondibus uvas
Aut variam plumae versicoloris avem.
His tum blanditiis furtiva per antra puellae
Oscula silvicolis empta dedere viris.
Hinnulei pellis totos operibat amantes,
Altaque nativo creverat herba toro,
Pinus et incumbens lentas circumdabat umbras,
Nec fuerat nudas poena videre deas,
Corniger atque dei vacuam pastoris in aulam
Dux aries saturas ipse reduxit oves,
Dique deaeque omnes, quibus est tutela per agros,
Praebebant vestris verba benigna focis.
ET LEPOREM, QUICUMQUE VENIS, VENABERIS, HOSPES,
ET SI FORTE MEO TRAMITE QUAERIS AVEM:
ET ME PANA TIBI COMITEM DE RUPE VOCATO,
SIVE PETES CALAMO PRAEMIA SIVE CANE.
At nunc desertis cessant sacraria lucis:
Aurum omnes victa iam pietate colunt.
Auro pulsa fides, auro venalia iura:
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum testantur limina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna dei:
At mons laurigero concussus vertice diras
Gallica Parnasus sparsit in arma nives.

32. viricoloris *N. Hb.*, varicoloris *G. H. V. M.*, pluricoloris *R.* „*pro*: versicoloris“ *P.* 33. tunc *H.* perrara *N.* 35. Atque hinuli *N. a.*, Atque hynuli *R.*, Atque humilis *G. H.*, Atque humili *D. Hb. pr. m.* hinuli *sec.* amantes] artus *H.* 37. incombens *N.* laetas *R. D.*, latas *a.* „*f.* lentas“ *P.*, lentas *Perr. M.* umbra *pr. m. N.* 39. Idaei *a. pro* atque dei, *quod libri omnes tuentur, reticente Perr.* 42. nostris *H.* 43. veneraberis *Hb.* 44. si *om. M.* 45. parma *M.* 46. potes *pr. m. Hb.*, petas *a.*, petes *H. V. M.* 47. Et *Hb.* 48. vita *Hb. M. Hic inserunt spurios Ovidii versus duos M. D. a. quibus* „*vacant in v. c.*“ *Perr. adscripsit. Item in H. V. Heinsius.* 49. rura *V.* 51. Horrida *H.* testatur *r.* lumina *r. A.* Brenum *M.* 52. phythia *r.* 53. Aut *r.* modo *pr. m. Hb.*, mons *sec. corr.* arigero *pr. m. Hb.*, aurigero *N. s. m. Hb. D. H. V. M.* duras *r. a.*, diras *M.* 54. Callida. parnasi *R.*, parnasis *pr. m. Hb.*, parnassi *a.*, parnassus *H. V. M.* ora *G.* vires *Hb.*

Ut mihi praetextae pudor est velatus amictu,
Et data libertas noscere amoris iter,
Illa rudes animos per noctes conscia primas
Imbuit heu nullis capta Lycinna datis.
Tertius haud multo minus est cum ducitur annus:
Vix memini nobis verba coisse decem.
Cuncta tuus sepelivit amor, nec femina post te
Ulla dedit collo dulcia vincla meo.
Testis erit Dirce tam vero crimine saeva,
Nycteos Antiopen accubuisse Lyco.
Ah quotiens pulchros ussit regina capillos,
Molliaque inmites fixit in ora manus!
Ah quotiens famulam pensis oneravit iniquis,
Et caput in dura ponere iussit humo!
Saepe illam inmundis passa est habitare tenebris,
Vilem ieiunae saepe negavit aquam.
Iuppiter, Antiopae nusquam succurris habenti
Tot mala? corrumpit dura catena manus.
Si deus es, tibi turpe tuam servire puellam!
Invocet Antiope quem nisi vincta Iovem?
Sola tamen, quaecumque aderant in corpore vires,
Regales manicas rupit utraque manu.
Inde Cithaeronis timido pede currit in arces.
Nox erat, et sparso triste cubile gelu.
Saepe vago Asopi sonitu permota fluentis
Credebat dominae pone venire pedes.

3. praetexta *r. Hb. D. H. V. M.*, pretesta *G.*, praetexti *N.* amicus *N. Hb. D. M.*, amictus *H.* 4. Ut *P.* 5. coscia *N.* 6. Iubuit licinna heu *G.* 7. aut *N. R. D.* est *om. Hb.* dicitur *M.* 9. tuis *r.* amator *G.* nec] aut *D.* 10. Vella *Hb.* colo *Hb.* vincla] verba *H.* 11. *Nova elegia in N. D. Hb.* dircae *G.*, durae *r.* crimina *M.* serva *G.*, saevae *V.* 12. anthiopen *R.* 13. traxit *a.*, ussit *D. V.*, iussit *H.* 14. inmittens *N. Hb.* finxit *G.* 15. impensis *M.* oneratur *M.* 19. anthiopae *r.*, antiope *a.*, antiopa *M.* succuris *r.*, securus *H.*, si curris *Hb.* 20. Tot tua *Hb.* 21. est *G. N. Hb.* turpe tibi *G.* servare *G. pr. m. Hb. H.* 22. antiopae *r.* quae *G.* victa *G. N. r. V.*, vita *M.* 25. cytheronis *N. R. A.* 26. parso *G.* 27. vaga *N. D.* aesopi *N.* 28. pene *H.*

Et durum Zethum et lacrimis Amphiona mollem
Experta est stabulis mater abacta suis.
Ac veluti, magnos cum ponunt aequora motus,
— Eurus in adversos desinit ire Notos —,
Litore si tacito sonitus rarescit arenae,
Sic — cadit inflexo lapsa puella genu —
Sera, tamen pietas: natis est cognitus error.
Digne Iovis natos qui tueare senex,
Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
Vinxerunt Dircen sub trucis ora bovis.
Antiope, cognosce Iovem: tibi gloria Dirce
Ducitur in multis mortem habitura locis.
Prata cruentantur Zethi, victorque canebat
Paeana Amphion rupe, Aracynthe, tua.
At tu non meritam parcas vexare Lycinnam:
Nescit vestra ruens ira referre pedem.
Fabula nulla tuas de nobis concitet aures:
Te solam et lignis funeris ustus amem.

XVI.

Nox media, et dominae mihi venit epistola nostrae
Tibure: me missa iussit adesse mora,
Candida qua geminas ostendunt culmina turres,
Et cadit in patulos Nympha Aniena lacus.
Quid faciam? obductis committam mene tenebris,

29. Zaetum *N.*, zetum *r.*, Zetem *Perr.* 30. tabulis *G. N. r. Hb. H. V.*, talibus *D.* 31. quom *r.*, quum *P.* compónunt *D.*, ponunt cum *Hb.* motus] fluctus *G.* 32. sub adverso — notho *N.* 33. si] sic *N. Hb. a. r.*, sit *M.*, quum *P. Perr.* 34. Si *Hb.*, Hic *H.* infelix *D.* lassa *G. H.* 35. natus *r.* error] ordo *G.* 36. senes *H.* 37. pueris] prius *pr. m. Hb.* mater *V.* 38. Vixerunt *N.*, Vexerunt *r.* dircem *G. Hb. M.* bonis *pr. m. Hb.* 39. consignosce *Hb.* 41. Parta *N.*, Partha *r.*, Parca *H. V. M.* cruentatur *M.* laeti *V.*, zeti *a. r.*, zeto *P.* can.. *N. reciso margine.* 42. Paena *G.* aphion *N.* archinte *Hb.* 43. lacinnam *G. Hb.*, *om. N. ut supra.* 44. nostra *Hb.* ire *N.* ped.. *N.* 45. artes *M.*, *om. N. ut supra.*

XVI, 2. missa] nulla *H. V.* 3. quae *G.* 4. cadet *Hb.* lympha *G. a.*, nympha *H. V.* amena *pr. m. Hb.*, amaena *G.* 5. abductis *M.*

Ut timeam audaces in mea membra manus?
At si haec distulero nostro mandata timore,
Nocturno fletus saevior hoste mihi.
Peccaram semel, et totum sum pulsus in annum:
In me mansuetas non habet illa manus.
Nec tamen est quisquam, sacros qui laedat amantes:
Scironis media sic licet ire via.
Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris:
Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse volet.
Luna ministrat iter, demonstrant astra salebras,
Ipse Amor accensas percutit ante faces,
Saeva canum rabies morsus avertit hiantis:
Huic generi quovis tempore tuta via est.
Sanguine tam parvo quis enim spargatur amantis
Improbus? exclusis fit comes ipsa Venus.
Quod si certa meos sequerentur funera casus,
Talis mors pretio vel sit emenda mihi.
Afferet huc unguenta mihi sertisque sepulcrum
Ornabit custos ad mea busta sedens.
Di faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
Qua facit assiduo tramite vulgus iter.
Post mortem tumuli sic infamantur amantum.
Me tegat arborea devia terra coma,
Aut humet ignotae cumulus vallatus arenae.
Non iuvat in media nomen habere via.

XVII.

Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris:
Da mihi pacato vela secunda, pater.

6. Aut *D.* 7. distulero haec *N.* 8. scevior *H.* 9. pulsus] portus *N.*, passus *M.* 12. silicet *G.*, si licet *r. a.*, scilicet *N. Hb.*, sim licet *H.* ipse *H.* 13. *Initium novae elegiae in G.* ambulat *r.* 14. Nemo deo *N. P. Hb. H.* 17. Scaeva *H.* hianteis *a.*, hiantis *M.* 18. tuta] tua *pr. m. Hb. r.*, data *H. V.* 20. sit *M.* comes] ões (*sic*) *pr. m. Hb.* 22. spatio *M.* 25. nec *G. N. r. Hb. D. H V. M.* 26. vulgis *pr. m. Hb.* 29. humer *G. Hb. V.*, humeri *N. D.*, humor *H.* cumulis *N. Hb.*, tumulus *G. H. V. M.* 30. Me *pr. m. Hb.*

XVII, 2. baccato *G.*, bace sato *M.*

Tu potes insanae Veneris compescere fastus,
Curarumque tuo fit medicina mero.
Per te iunguntur, per te solvuntur amantes:
Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo.
Te quoque enim non esse rudem testatur in astris
Lyncibus ad caelum vecta Ariadna tuis.
Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes,
Funera sanabunt aut tua vina malum.
Semper enim vacuos nox sobria torquet amantes,
Spesque timorque animum versat utrinque meum.
Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis
Accersitus erit somnus in ossa mea,
Ipse seram vites pangamque ex ordine colles,
Quos carpant nullae me vigilante ferae.
Dum modo purpureo spument mihi dolia musto,
Et nova pressantis inquinet uva pedes,
Quod superest vitae, per te et tua cornua, vivam,
Virtutisque tuae, Bacche, poeta ferar.
Dicam ego maternos Aetnaeo fulmine partus,
Indica Nysaeis arma fugata choris,
Vesanumque nova nequicquam in vite Lycurgum,
Pentheos in triplices funera grata greges,
Curvaque Tyrrhenos delphinum corpora nautas
In vada pampinea desiluisse rate,
Et tibi per mediam bene olentia flumina Naxon,
Unde tuum potant Naxia turba merum.

4. sit *r. H.* 5. Certe *H.* amores *D.* 6. vinum *V.* delue *M.* 7. enim *om. unus Heinsianorum. Nam nomen non adscriptum.* atris *Hb.* 8. in coelum *a.*, ad coelum *D. H. V. M.* adriana *M. Hb.*, adriagna *N.* 10. sonabunt *M.* vel *a.*, aut *Perr. H. V. M.*, ut *D. r.* 11. Saepe *G.* 12. animo *N. Hb. a. R.*, animum *Perr.* vexat *G.* utroque modo *N. R. Hb. a.*, utrinque meum *Perr.* (*et sic G.*) 14. somnis *pr. m. Hb.* 15. feram *M.* 16. vigilare *pr. m. Hb.* 17. *f.* spument mea *P. Perr.*, numerem mihi *R.*, numen mihi *N. Hb. H. V.* 18. pressanteis *a.*, pressantis *V. M.*, praesantis *N.*, presentis *G.* una *pr. m. Hb.* 19. vitae] in te *r.* per te] parte *V.* 20. fer.. *H.* 21. aeterno *r.* partos *G.* 23. nequiquam *N.* 24. Pantheos *G.* in *om. Hb.* 26. dissiluisse *R. a.*, desiluisse *H. V.* 28. potat noxia *G.*

Candida laxatis onerato colla corymbis
Cinget Bassaricas Lydia mitra comas,
Levis odorato cervix manabit olivo,
Et feries nudos veste fluente pedes.
Mollia Dircaeae pulsabunt tympana Thebae,
Capripedes calamo Panes hiante canent,
Vertice turrigero iuxta dea magna Cybele
Tundet ad Idaeos cymbala rauca choros.
Ante fores templi crater antistitis auro
Libatum fundens in tua sacra merum.
Haec ego non humili referam memoranda cothurno,
Qualis Pindarico spiritus ore tonat.
Tu modo servitio vacuum me siste superbo,
Atque hoc sollicitum vince sopore caput.

XVIII.

Clausus ab umbroso qua alludit pontus Averno
Fumida Baiarum stagna tepentis aquae,
Qua iacet et Troiae tubicen Misenus arena,
Et sonat Herculeo structa labore via,
Hic, ubi, mortalis dextra cum quaereret urbes,
Cymbala Thebano concrepuere deo:
At nunc, invisae magno cum crimine Baiae,
Quis deus in vestra constitit hostis aqua? —
His pressus Stygias vultum demisit in undas,
Errat et in vestro spiritus ille lacu.

29. onerata *Hb. D.* 30. Cingit *N. r. Hb. D. H. V. M.* bassaricis *pr. m. Hb.* 31. Laevis *V.*, Lenis *D.* 35. currigero *V.* usta *Hb.* cibele *N. Hb.*, cybelle *G. R.*, cybellae *a.*, cybele *H. V.*, cybelae *M.* 36. Fundet *G. N. R. Hb. A.* 37. cratere *G.*, craterque *H.* 39. non] vero *M.* 40. sonat *G.*, sonet *H. M.* 41. modo] mihi *M.* siste] redde *D.*

XVIII, 1. Lausus *V.* qua lidit *P. Perr.*, *reliqui:* qua ludit. 2. Humida *omnes.* 3. missenus *N.*, missemis *Hb.* arenae *V.* 5. mortales *G. N. A.* dexter *N.*, dester *Hb.* cum conderet *Perr.*, c̃ (*quod semper est* cum) quaereret *N.*, quom q. *R.* 6. Cybala *Hb.* cum crepuere *N.* 9. Bis *G. Hb. V. M. r.* dimisit *r.*, demissit *Hb.* 10. nostro *pr. m. D.*

Quid genus aut virtus aut optima profuit illi
Mater, et amplexum Caesaris esse focos?
Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro,
Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, et misero steterat vigesimus annus:
Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.
I nunc, tolle animos et tecum finge triumphos,
Stantiaque in plausum tota theatra iuvent,
Attalicas supera vestes, atque omnia magnis
Gemmea sint ludis: ignibus ista dabis.
Sed tamen huc omnes, huc primus et ultimus ordo:
Est mala, sed cunctis ista terenda via est.
Exoranda canis tria sunt latrantia colla,
Scandenda est torvi publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat et aere:
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.
Nirea non facies, non vis exemit Achillem,
Croesum aut, Pactoli quas parit humor, opes.
Hic olim ignaros luctus populavit Achivos,
Atridae magno cum stetit alter amor.
At tibi, nauta, pias hominum qui traiicis umbras,
Huc animae portent corpus inane tuae:
Qua Siculae victor telluris Claudius et qua
Caesar ab humana cessit in astra via.

XIX.

Obiicitur totiens a te mihi nostra libido:
Crede mihi, vobis imperat ista magis.
Vos, ubi contempti rupistis frena pudoris,

15. vicesimus *pr. m. Hb.* 17. I *om. V.* tecum] centum *M.* 18. Santia *pr. m. Hb.* plausu *V. M.* tot *pr. m. Hb.* 19. supra *N.* 20. Gemina sint *r.* ludis] nudis *s. m. Hb. H. V. r.* 21. hoc omnes *G. N. Hb. V. r.* omnes *om. pr. m. Hb.* primus huc *Hb.* 22. Et *r.* 24. troci *N.*, torti *Hb.* 25. conda *N.*, tondat *V.* 27. Nerea *V. M. r.*, Ferrea *H.* faces *G.* vis] vix *M.* 28. cresum *N.*, chresum *Hb.* haud *V.*, non *H.* premit *D.* 31. traicis *G. N.*, trahicis *Hb.* 33. telluaris. 34. in] et *pr. m. Hb.*

XIX, 1. Obicitur *Hb.* 2. nobis *V.* illa *a. G.* (?), ista *D.*

Nescitis captae mentis habere modum.
Flamma per incensas citius sedetur aristas,
Fluminaque ad fontis sint reditura caput,
Et placidum Syrtes portum et bona litora nautis
Praebeat hospitio saeva Malea suo,
Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus
Et rapidae stimulos frangere nequitiae.
Testis, Cretaei fastus quae passa iuvenci
Induit abiegnae cornua falsa bovis:
Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,
Quae voluit liquido tota subire deo.
Crimen et illa fuit patria succensa senecta
Arboris in frondes condita Myrrha novae.
Nam quid Medeae referam quo tempore matris
Iram natorum caede piavit amor?
Quidve Clytaemnestrae, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus?
Tuque o Minoa venundata, Scylla, figura,
Tondens purpurea regna paterna coma.
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti!
Nise, tuas portas fraude reclusit Amor.
At vos, innuptae, felicius urite taedas:
Pendet Cretaea tracta puella rate.
Non tamen immerito Minos sedet arbiter Orci:
Victor erat quamvis, aequus in hoste fuit.

XX.

Credis eum iam posse tuae meminisse figurae,
Vidisti a lecto quem dare vela tuo?

4. captae] libere *Hb.* 7. portum] por *G.* 8. praebea *pr. m. Hb.* saevaque mala *r.*, *quod emendavit, nec tamen delevit P.* 9. possint *H.* reprimere *H.* 11. fastus] pasiphe *M.* 12. abiegno *G. H. V. M.*, aiegno *N.* bovi *G. N. r. a.*, bovis *D.*, boni *Hb.* 13. salomonis *Hb.* enipheo *G.*, enypheo *R.* 15. Crimine et *G.*, Crimea at *V.* 16. novem *N.* 17. matrem *G.* 19. clytemestrae *N.*, clytaemestrae *G.* 20. sta *N.* 21. mynoa *N.*, minoa *G.* 22. Tundens *M.* purpuesea *Hb.* 23. disponderat *R.* 26. Prendet *V.* 27. aribet (*sic*) *Hb.*

XX, 1. fugurae *Hb.* 2. aleto *Hb.*

Durus, qui lucro potuit mutare puellam!
Tantine, his lacrimis, Africa tota fuit?
At tu, stulta, deos, tu fingis inania verba.
Forsitan ille alio pectus amore terat.
Est tibi forma potens, sunt castae Palladis artes,
Splendidaque a docto fama refulget avo,
Fortunata domus, modo sit tibi fidus amicus.
Fidus ero: in nostros curre, puella, toros.
Tu quoque, qui aestivos spatiosius exigis ignes,
Phoebe, moraturae contrahe lucis iter.
Nox mihi prima venit: primae data tempora noctis
Longius in primo, Luna, morare toro:
Foedera sunt ponenda prius signandaque iura
Et scribenda mihi lex in amore novo.
Haec Amor ipse suo constringet pignera signo:
Testis sidereae torta corona deae.
Quam multae ante meis cedent sermonibus horae,
Dulcia quam nobis concitet arma Venus!
Namque, ubi non certo vincitur foedere lectus,
Non habet ultores nox violanda deos,
Et quibus imposuit, solvit nox vincla libido:
Contineant nobis omina prima fidem.
Ergo, qui pactas in foedera ruperit aras,
Polluerit̃que novo sacra marita toro,
Illi sint quicumque solent in amore dolores,
Et caput argutae praebeat historiae,
Nec flenti dominae patefiant nocte fenestrae,
Semper amet, fructu semper amoris egens.

3. Dirus *pr. m. Hb.* imittare *Hb.* 4. Tantisne *G. N. A. r.*, Tantis *Hb.* in lacrimis *N. R. Hb. A.*, lacrimis *G.* 6. pectuus *N.* terit *a. r.*, terat *D.* 7. Ast *N.* ubi *V.* patens *G.* caste *r.* 8. docto] toto *Hb.* 10. sinus *H.* 11. qui] per *M.* spatiosus *r.* 13. date *Hb. N. H. V.*, datae *G. r.* 14. morate (*sic*) *N.* 15. rura *N.* 16. nova *G.* 17. constringit *N. R. a.*, confringit *G. H. M.* pignora *A.* 19. cedant *Hb. a.*, cedent *H. V.* 20. conscit *pr. m. Hb.* alma *R.* nemus *Hb.* 21. Nam quod *pr. m. Hb.*, Iamque *H.* vincetur *N.* 22. vigila *N.*, vigilanda *G. r. Hb. a.*, violanda *Perr.* 24. vobis *H.* omnia *G. r. a. Hb.*, omia *N.*, omina *Perr. H.* 25. actas *G.* foedere *G. r.* 27. sunt *Hb. H. M.* 29. patefactae *G.*

XXI.

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
Ut me longa gravi solvat amore via.
Crescit enim assidue spectando cura puella:
Ipse alimenta sibi maxima praebet amor.
Omnia sunt tentata mihi, quacumque fugari
Possit: at ex omni me premit ipse deus,
Vix tamen aut semel admittit, cum saepe negavit:
Seu venit, extremo dormit amica toro.
Unum erit auxilium: mutatis Cynthia terris
Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.
Nunc agite, o socii, propellite in aequora navem,
Remorumque pares ducite sorte vices,
Iungiteque extremo felicia lintea malo:
Iam liquidum nautis aura secundat iter.
Romanae turres et vos valeatis amici,
Qualiscumque mihi tuque puella vale.
Ergo ego nunc rudis Adriaci vehar aequoris hospes,
Cogar et undisonos nunc prece adire deos.
Deinde per Ionium vectus cum fessa Lechaeo
Sedarit placida vela phaselus aqua,
Quod superest, sufferte pedes, properate laborem,
Isthmos qua terris arcet utrumque mare.
Inde ubi Piraei capient me litora portus,
Scandam ego Theseae brachia longa viae.
Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam aut hortis, docte Epicure, tuis.

XXI, 1. Nunc *H.* proficissci *N.*, profiscisci *Hb.* 2. gravis *V.* 3. assiduae *N. Hb. a.*, assidue *D.* spectandi *N.* 6. et ex *G.* 7. amittit *N. pr. m. Hb.* negarit *N. Hb. H. V.* 8. dormit] solvit *H.* 10. abiit amor *Hb.* 11. aequore *N. V.*, aquore *Hb.* navim *G. H.* 12. vites *Hb.* 13. Duciteque *G.* extremos *Hb.* 14. Nam *r. a.*, Iam *D. Perr. V. M.* 16. Qualescunque *Hb.* 18. undis onos *r.* 19. confessa *pr. m. Hb.* lycheo *N. G. V.*, lyceo *r.*, liceo *Hb. M.*, lyaeo *D.*, *om. H.* 20. placidam *D.* vella phasselus *Hb.* aquam *D.* 21. sufferre *G. N. Hb. D.* properare *N.* 22. Ismos *pr. m. Hb. r.*, Isthsermos *G.* utrinque *a.*, utrumque *D. H. V. M.* 23. pyraei *P.*, pyrei *r.*, pirrhei *G.*, pisaei *D.* mea lintea *G.* 24. ego *om. Hb.* 25. Illhic *G.*

Persequar aut studium linguae, Demosthenis arma,
Librorumque tuos, docte Menandre, sales.
Aut certe tabulae capient mea lumina pictae,
Sive ebore exactae seu magis aere manus.
Aut spatia annorum aut longa intervalla profundi
Lenibunt tacito vulnera nostra sinu.
Seu moriar, fato, non turpi fractus amore:
Atque erit illa mihi mortis honesta dies.

XXII.

Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua,
Dindyma sacra Rheae, et fabricata iuvenca Cybelae,
Raptorisque tulit qua via Ditis equos:
Si te forte iuvant Helles Athamantidos urbes,
Nec̀ desiderio, Tulle, movere meo,
Tu licet aspicias caelum omne Atlanta gerentem,
Sectaque Persea Phorcidos ora manu,
Geryoni stabula, et luctantum in pulvere signa
Herculis Antaeique, Hesperidumque choros,
Tuque tuo Colchum propellas remige Phasin,
Peliacaeque trabis totum iter ipse legas,

27. Prosequar *G. D.* aut *om. M.* linguae et *R.* domosthenis *r.* 28. salos *M.* 29. me *V.* 32. sinu] *f.* situ *P.* 33. facto *M.*

XXII, 1. cizzicus *N.*, cirricus *Hb.*, cyricus *r.*, cyzius *D.*, garricus *G. M.* annus *N. Hb. V.* 2. propontiata *N.* quae *N. D.* ismos *N. r. Hb.* 3. Dindyma qua argivum *Perr. margini adscripsit, reliquum versum intactum reliquit. Puccius vero sic in margine Regiensem emendavit:* Dindima qua argivum fabricata iuventa cybele est. *In ordine autem verborum nihil correxit nisi vocem* sacra, *quam in* sacrae *mutavit.* Dindymus et sacra *G. N. Hb. r.*, Dindymus et sacrae *a.*, sacra *D. H. V.* inventa *G. N. R. A.*, iuventa *Hb.* cibele *N.*, cybelae *G. M.*, cybellae *a.*, cybelle *R.* 4. quae *a.*, qua *D. H. M.* dicis *pr. m. Hb.* 5. iuvat *N. r. Hb. D. V. M.* belles *r.* hathamantidos *a.*, athamantidos *D.* 6. Et *N. R. Hb. A.* 7. ferentem *M.* 8. Tectaque *H.*, Sertaque *V.* phorados *pr. m. Hb.* 9. Girionis *N. Hb.*, Geryonis *G. D. H. M.*, Geryonae *R. a.*, Ienonis *V.* stabulae *V.* 11. colchon *a.*, colchin *D.*, colchum *H. V. M. Perr.* phasim *G. N. Hb. M.* 12. turbis *pr. m. Hb.*, „*al.* trabis“ *s. m. Hb.*

Qua rudis Argoa natat inter saxa columba
In faciem prorae pinus adacta novae,
Et si, qua Ortygiae visenda est ora Caystri,
Et qua septenas temperat unda vias,
Omnia Romanae cedent miracula terrae:
Natura hic posuit, quicquid ubique fuit.
Armis apta magis tellus quam commoda noxae,
Famam, Roma, tuae non pudet historiae:
Nam quantum ferro tantum pietate potentes
Stamus: victrices temperat ira manus.
Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Umbro
Tramite, et aeternum Marcius humor opus,
Albanusque lacus, socii Nemorensis et unda,
Potaque Pollucis lympha salubris equo.
At non squamoso labuntur ventre cerastae,
Itala portentis nec fluit unda novis,
Non hic Andromedae resonant pro matre catenae,
Nec tremis Ausonias, Phoebe fugate, dapes,
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes
Exitium nato matre movente suo,
Penthea non saevae venantur in arbore Bacchae,
Nec solvit Danaas subdita cerva rates,
Cornua nec valuit curvare in pellice Iuno

15. At si qua *r. D. Hb.*, Et qua *a.*, Et si qua *H. V. M.* origiae *r.*, origae *N. D. H. V. M.*, orige *G. Hb.*, Gygei *a. et sic P. in ordinem R. reposuit, cum in margine scriberet: „codex is vetus habet* Orygae." *Perreianus vero emendator haec ad marginem Ald.:* „Et qua orygae *v. c.* si quave olorigeri *alii.*" 16. septemnas *Hb.* temperet *H.* minas *H.* 19. acta *G.* nosse *G.* 23. tiberine *G.*, tirburne *N.*, tyburte *a.*, tyburne *D. M.*, tiburtine *H.* flues *G. N.* litumnus *N.*, litintinus *pr. m. Hb.*, litūnus *s. m. H.*, Dlitumnus *D.* 25. Albanus lacus et *G. R. Hb. a.*, Albanus locus et *N.*, Albani lacus et *D.* socia *P.* et] ab *N. Hb. R. A.* umbra *H. M.* 26. polucis *r.* nympha *N. Hb. V.*, neda *V.*, unda *D.* sabris *pr. m. Hb.* 27. At nunc *N.* lambuntur *R.* ventrae *r.* 28. potentis *pr. m. Hb.* fuit una *G. N. Hb. a. r.*, fluit unda *Perr.* 29. hic *om. M.* andromadae *N. R.*, andromade *Hb.* 30. Ne *Hb.* fugare *G. R. H. V. Hb. a m. s.* 31. Nequicquam *r.* abscentes *r.*, absentis *a.*, absentes *D. H. V. M.* arserant *H.* 32. Exitum *pr. m. Hb.* monente *r.*, parante *a.*, movente *D. H. V. M.* 35. non *G. V. M.* inpelice *G. N.*

Aut faciem turpi dedecorare bove,
Arboreasque cruces Sinis, et non hospita Graiis
Saxa, et curvatas in sua fata trabes.
Haec tibi, Tulle, parens, haec est pulcherrima sedes,
Hic tibi pro digna gente petendus honos,
Hic tibi ad eloquium cives, hic ampla nepotum
Spes et venturae coniugis aptus amor.

XXIII.

Ergo tam doctae nobis periere tabellae,
Scripta quibus pariter tot periere bona.
Has quondam nostris manibus detriverat usus,
Qui non signatas iussit habere fidem.
Illae iam sine me norant placare puellas,
Et quaedam sine me verba diserta loqui.
Non illas fixum caras effecerat aurum:
Vulgari buxo sordida cera fuit.
Qualescumque: mihi semper mansere fideles,
Semper et effectus promeruere bonos.
Forsitan haec illis fuerant mandata tabellis:
„Irascor, quoniam es, lente, moratus heri.
An tibi nescio quae visa est formosior? an tu
Non bene de nobis crimina ficta iacis?“
Aut dixit: „Venies hodie, cessabimus una:
Hospitium tota nocte paravit Amor.“
Et quaecumque volens reperit non stulta puella,
Garrula cum blandis dicitur hora dolis.

36. bovi *N. Hb. G. H. V. M.* 37. truces *r.*, cutes *D.* scinis *a.*, senis *G. pr. m. N. Hb. H. V. M.*, saevis *D. R.*, cinis *s. m. N.* et *om. V.* et inhospita *R. D. M.* grais *N. Hb. R.* 38. et] que *H.* „curtatas *al.* curtantes *V.*“ *Heins.* 39. tule *r.* 40. Hinc *P.* 41. nepotis *H.* 42. actus *D.*

XXIII, 1. vobis *D.* perire *pr. m. Hb.* 2. tot *om. M.* 3. condam *G.* navibus *V.* decreverat *Hb.* 4. non] modo *s. m. Hb.* 5. Ille *r. N.* 10. permeruere *Hb.* 11. fuerint *N.* 13. At *V.* 14. bona *G. N. R. A.* nobis] bonis *Hb. pr. m.* 15. dixi *N. Hb. D. M.*, dixti *r.* cessavimus *N. Hb. a.*, cessabimus *M.*, coenabimus *D.* 17. dolens *N. G. R. a.*, „*f.* volens“ *P.*, volens *Perr.* 18. Garula *a.*, Garrula *D.* ducitur *N. R. A.* dolis] „*pro* iocis“ *P.*, iocis *Perr.*

Me miserum, his aliquis rationem scribit avarus,
Et ponit duras inter ephemeridas.
Quas si quis mihi rettulerit, donabitur auro.
Quis pro divitiis ligna retenta velit?
I puer, et citus haec aliqua propone columna,
Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum.

XXIV.

Falsa est ista tuae, mulier, fiducia formae,
Olim oculis nimium facta superba meis.
Noster amor tales tribuit tibi, Cynthia, laudes:
Versibus insignem te pudet esse meis.
Mixtam te varia laudavi saepe figura,
Ut, quod non esses, esse putaret amor:
Et color est totiens roseo collatus Eoo,
Cum tibi quaesitus candor in ore foret.
Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
Eluere aut vasto Thessala saga mari:
Haec ego, non ferro non igne coactus, et ipsa
Naufragus Aegaea verba fatebor aqua.
Correptus saevo Veneris torrebar aheno,
Vinctus eram versas in mea terga manus.
Ecce coronatae portum tetigere carinae,
Traiectae Syrtes, ancora iacta mihi est.
Nunc demum vasto fessi resipiscimus aestu,
Vulneraque ad sanum nunc coiere mea.

19. aliquis] laqueis *H.* scripsit *V.* avari *r. Hb. A. N.* 20. ponet *H.* diras *N. Hb. H. V. M.* ephimeridas *r.* 21. retulerit *G.* 22. signa *G. N. D. H. V. M. r.* 23. praepone *r.* 24. exquiliis *G. R. A.*

XXIV, 1. Salsa *rubricatoris lapsu.* 6. Et *Hb.* esse] saepe *V.* 8. Quom *Hb.* 9. mihi] tibi *Hb.* portant *H.* 10. Fluere *N.* thessala] thasa *M.* 12. egea *r.*, egaea *P.* verba] ter *V. M.* 13. scevo *H.* aeno *G. N.* 14. Victus *N. r. a.*, Vinctus *H.* 15. coronate *r.* 16. Traiecte sirtes *r.* iacta] in acta *V.* 17. respiscimus *Hb.* 18. Vulnera et ad *D. M. R.* saniem *G.*

Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono.
Exciderant surdo tot mea vota Iovi.

XXV.

Risus eram positis inter convivia mensis,
Et de me poterat quilibet esse loquax.
Quinque tibi potui servire fideliter annos:
Ungue meam morso saepe querere fidem.
Nil moveor lacrimis: ista sum captus ab arte.
Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles.
Flebo ego discedens, sed fletum iniuria vincit:
Tu bene conveniens non sinis ire iugum.
Limina iam nostris valeant lacrimantia verbis,
Nec tamen irata ianua fracta manu.
At te celatis aetas gravis urgeat annis,
Et veniat formae ruga sinistra tuae.
Vellere tum cupias albos a stirpe capillos
Ah speculo rugas increpitante tibi,
Exclusa inque vicem fastus patiare superbos,
Et quae fecisti facta queraris anus.
Has tibi fatalis cecinit mea pagina diras.
Eventum formae disce timere tuae.

19. si qua deo est *N. Hb. B. H. V. R.*, si qua est *N. R.*, „si qua dea es *v. c.*“ *P. sed non deleta R. scriptura.* dono] domo *H. V.* 20. Exciderent *r. a.*, Exciderant *H. D.*

XX. „*Una est elegia*“ *P.* 1. Visus *G. a.*, Risus *D. Perr.*, Isus *V.*, Issus *M.* 3. feliciter *G.* annis *H.* 4. quaerere saepe *D.*, querere saepe *G.* 5. arce *r.* 6. ab *om. M.* 7. vincet *P.* 8. esse *R.*, „*pro* ire“ *P.*, esse *a.*, ire *H. V. Perr.* 9. Lumina *G. H. M.* 11. te *om. H.* celatis *D.* 12. veniet *G.* 13. cum *G. a.*, tunc *H.* capias *N. Hb.*, cupies *G. R. a.*, cupias *D. M.* albosa *G. N. Hb. D.* 14. A speculo *G. N. R. a.*, Ah speculo *H.*, Aspeculo *Hb.* 15. vices *H. V.* spaciare *Hb.*, patiere *P.* 16. quereris *solus P.* 17. fataleis *a.*, fatalis *H. V. M.*

Propertij aurelii nautae monobiblos liber III explicit incipit quartus *Hb.*

SEX. AURELII PROPERTII ELEGIARUM

LIBER QUARTUS.

I.

Hoc, quodcumque vides, hospes, qua maxima Roma est,
Ante Phrygem Aenean collis et herba fuit:
Atque ubi Navali stant sacra Palatia Phoebo,
Euandri profugae concubuere boves.
Fictilibus crevere deis haec aurea templa,
Nec fuit opprobrio facta sine arte casa,
Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat,
Et Tiberis nostris advena bubus erat.
Quo gradibus domus ista Remi se sustulit, olim
Unus erat fratrum maxima regna focus.
Curia, praetexto quae nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites:
Centum illi in prato saepe senatus erat.
Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro,
Pulpita sollemnis non oluere crocos.
Nulli cura fuit externos quaerere divos,
Cum tremeret patrio pendula turba sacro,

Lib. quartus. *El.* 1, 1. quaecunque *Perr.* quam maxima *omnes.* 2. phrygo *N.* aeneam *N. Hb. A.*, aeneā *r.* 3. pallacia phoebes *r.* 4. concubuere *pr. m. Hb. M.* 5. deis] suis *V.* 6. Non *R. a.*, Nec *H. V.* 7. Tarpetiusque *N.*, Tarpeiusque *Hb.* sonabat *H. M.* 8. tyberis *R. A.* bobus *pr. m. Hb. H. M. r.*, bovibus *m. s. Hb.* 9. Quod *N.* 11. nitit *M.* 12. Pellites *r.* 13. Bucina *N.* 16. solenneis *N.*, solennis *Hb. V. M.*, sollempnis *N.* 18. Quum *V.* fremeret *M.* sero *H.*

Annuaque accenso celebrare Palilia foeno,
Qualia nunc curto lustra novantur equo.
Vesta coronatis pauper gaudebat asellis,
Ducebant macrae vilia sacra boves.
Parva saginati lustrabant compita porci,
Pastor et ad calamos exta litabat ovis.
Verbera pellitus saetosa movebat arator,
Unde licens Fabius sacra Lupercus habet.
Nec rudis infestis miles radiabat in armis:
Miscebant usta praelia nuda sude.
Prima galeritus posuit praetoria Lycmon,
Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves.
Hinc Titiens Ramnesque viri Luceresque coloni,
Quattuor hinc albos Romulus egit equos.
Quippe suburbanae, parva minus urbe, Bovillae,
Et, qui nunc nulli, maxima turba, Gabi,
Et stetit Alba potens, albae suis omine nata,
Hac, ubi Fidenas, longe erat ire, via.
Nil patrium, nisi nomen, habet Romanus alumnus:
Sanguinis altricem non pudet esse lupam.
Huc melius profugos misisti, Troia, Penates.
O quali vecta est Dardana puppis ave!
Iam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
Laeserat abiegni venter apertus equi,
Cum pater in gnati trepidus cervice pependit,

19. palillia *G.*, parilia *N. Hb. P.* 20. curvo *s. m. Hb. H. V. M. R.* 21. Vŕa (*sic*) *N.* 22. macre *R.*, matres *H.* 23. siginati *Hb.* 24. thalamos *H.* 25. Ubera *D.* fatosa *H.* 26. lycens *G.*, lyceus *r.* habet] aper *pr. m. Hb.* 27. Et *H.* 28. nuda] facta *H. V. M.* sudae *Hb.* 29. licmon *G.*, lygmon *N. r. A.* 30. tacito *N.*, ratio *V.* 31. ticines *G.* soloni *N.*, *s. m. Hb. V.*, solemni *pr. m. Hb.* 33. parve *G.*, parvae *H. V.* violae *G. N. r. Hb. H. V. M.* 34. gabii *a.*, gabi *D. H. V. M.*, gadii *r.* 35. alba *D.* 36. ubi] tibi *H.* longe — vias *omnes*, longa — via *solus P.* ire] isse *N. pr. m. Hb.*, ipse *s. m. Hb. et sic V.*, „isse *al.*“ *Perr.* 38. non] nunc *a.*, non *H. M. Perr.* putet *N. Hb. V.* 40. Heu *G. N. r. H. V. M. D.*, En *Perr.* ducta *r.* pupis *r.* 41. omnia *G. r. Hb. D. H. V.* quid *r.* 42. ambigui *D.* 43. Tum *G. Hb. D. H. V.* ignati *r.*, in nati *G. N. Hb. a.*, in gnati *Perr.* trepidus *H. V.*, tremidus *M.*

Et verita est humeros urere flamma pios.
Tunc animi venere Deci, Brutique secures,
Vexit et ipsa sui Caesaris arma Venus:
Arma resurgentis portans victricia Troiae
Felix terra tuos cepit, Iule, deos!
Si modo Avernalis tremulae cortina Sibyllae
Dixit Aventino rura pianda Remo,
Aut si Pergameae sero rata carmina vatis
Longaevum ad Priami vera fuere caput:
„Vertite equum, Danai! male vincitis: Ilia tellus
Vivet, et huic cineri Iuppiter arma dabit.“
Optima nutricum nostris lupa Martia rebus,
Qualia creverunt moenia lacte tuo!
Moenia namque pio conor disponere versu:
Hei mihi, quod nostro est parvus in ore sonus!
Sed tamen exiguo quodcumque e pectore rivi
Fluxerit, hoc patriae serviet omne meae.
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua,
Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.
Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
Ingenio muros aestimet ille meo.
Roma, fave, tibi surgit opus: date candida cives
Omina, et inceptis dextera cantet avis.
Sacra diesque canam et cognomina prisca locorum:
Has meus ad metas sudet oportet equus.

* * *

45. decii *N. r. A.* 46. ipse *G.* 48. iule] habere *H.* 49. tremula *H.* 50. pienda *V. M.* Remo] deo *pr. m. Hb.* 51. serorata *P.*, sero data *G.*, sero nata *M.* 53. Vertice *V.* telus *r.* 54. iupiter *N.* dedit *H.* 55. nutritum *r.* 57. coner *N. D. H. V. M. Perr.* describere *H. M.* 58. Ei michi *N.* 59. Si *G.*, At *H.* ex *D.*, est *G.* pectore] nostro *H.* 60. serviat *G. R. a.*, serviet *V. M.* 61. Einnius irsuta *G.* gingat *N.* 65. quisquis *N.* cernit *N. Hb. H. V.* 66. extimet *N. Hb.* 68. Omnia *r.* in tectis *M.* canet opus *Hb.* 69. canam *om. G.*

„Quo ruis imprudens, vage, dicere facta, Propertî?
Non sunt ah dextro condita fila colo.
Aversis Charisin cantas: aversus Apollo:
Poscis ab invita verba pigenda lyra.
Certa feram certis auctoribus: aut ego vates
Nescius aerata signa movere pila.
Me creat Archytae soboles Babylonius Horos,
Horos: et a proavo ducta Conone domus.
Di mihi sunt testes non degenerasse propinquos,
Inque meis libris nil prius esse fide.
Nunc pretium fecere deos (et fallitur auro
Iuppiter), obliquae signa iterata rotae.
Felicesque Iovis stellas Martisque rapacis,
Et grave Saturni sidus in omne caput,
Quid moveant Pisces animosaque signa Leonis,
Lotus et Hesperia quid Capricornus aqua,
Dicam, „Troia cades, et Troica Roma resurges,“
Et maris et terrae longa sepulcra canam.
Dixi ego, cum geminos produceret Arria natos,
— Illa dabat natis arma vetante deo —
Non posse ad patrios sua pila referre Penates:
Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.
Quippe Lupercus, equi dum saucia protegit ora,
Heu sibi prolapso non bene cavit equo:
Gallus at, in castris dum credita signa tuetur,
Concidit ante aquilae rostra cruenta suae.
Fatales pueri, duo funera matris avarae.

71. inprudens *N. Hb.* discere *r.* fata *N. Hb. H. V.*, sata *r.*, sacra *P. Perr.*, verba *M.* (facta *G. a.*) 72. a *omnes.* dextra *P.* 73. „Aversis musis cantas aversus apollo *ita v. c.*“ *P. et ita Perr.* Accersis *N. Hb. A. r.* lacrimis *G. A. r.*, lacrimas *N.* cantus *G. r. a.*, cantas *D. H.* adversus *G.* 75. aut] haud *P. D.* 77. Oron *P. Perr.*, orops *G. N. Hb. H. M. r.*, horops *a.*, horos *s. m. N.* 78. Horon *N. Hb. A.*, Oron *G. R.* Canone *H.*, Tenone *D.* 79. Dii *Hb.*, Dic *N.* degenersse *Hb.* propinquis *R. a.*, propinquos *H. V. M.* 81. precium *G. N.*, precipum *pr. m. Hb.* 85. moneant *Hb.* 86. Lactus *D. M.* qui *N.* 87. clades *G.* 88. pericla *H.* 89. Actia *M.*, Ortia *D.* 91. fila *V. M.* refere *r.* 94. tibi *V. pr. m. G.* 96. signa *G. H. V.*

Vera, sed invito configit ista fides.
Idem ego, cum Cinarae traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram,
„Iunonis votum facite impetrabile“, dixi:
Illa parit, libris est data palma meis.
Hoc neque arenosum Libyae Iovis explicat antrum,
Aut sibi commissos fibra locuta deos,
Aut si quis motas cornicis senserit alas,
Umbra neque e magicis mortua prodit aquis:
Aspicienda via est caeli versusque per astra
Trames, et ab zonis quinque petenda fides.
Exemplum grave erit Calchas: namque Aulide solvit
Ille bene haerentes ad pia saxa rates,
Idem Agamemnoniae ferrum cervice puellae
Tinxit, et Atrides vela cruenta dedit:
Nec rediere tamen Danai: tu diruta fletum
Supprime et Euboicos respice, Troia, sinus.
Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuviis Graecia pressa suis.
Victor Oiliade, rape nunc et dilige vatem,
Quam vetat avelli veste Minerva sua.
Hactenus historiae: nunc ad tua devehar astra:
Incipe tu lacrimis aequus adesse novis.
Umbria te notis antiqua Penatibus edit.
Mentior? an patriae tangitur ora tuae,
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,

99. cum cinare *N. D.*, quom cinarae *Hb.*, cum cinyrae *G.*, concinarae *r.* 100. humeri *G. H.* 101. facite votum *G. N. D. H. V. M. Hb.* 102. est] et *H.* 103. neque] quoque *H.* iovis libiae *r.*, lybie (Lybiae *Hb.*) iovis *Hb. N.*, libyci iovis *a.*, libyae *H. V. M. D.* 105. senserat *G.* 106. Umbrane quae *N.*, Umbra neque in *G. H.*, Umbraque nec *a. R.*, Umbra neque e *Perr.*, Umbraque ne *M.*, Umbra neque *V. Hb.* 107. verusque *G. N. Hb.* 108. a *D.* 109. calcas *G.* 114. respice] supprime *H.* 116. tuis *a.*, suis *D. M.* 117. Victor ó iliade *N. Hb. r. H. V. M.*, Victor Oiliade *D.*, Victor oilide *P. a.*, Oliade victor *G.* dirige *D.* ratem *s. m. Hb.* 118. Quem *r.* sede *Perr. P. H. V.* minervae *pr. m. Hb.* 119. devear *N.*, devehor *a.*, devehar *D. H. V.* 120. equus *V.* 121. votis *M.*, noctis *Hb.*, noctis *Hb.* aedit *G. N.* 123. Quam *Hb. H.*

Et lacus aestivis intepet Umber aquis,
Scandentisque Asis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo?
Ossaque legisti non illa aetate legenda
Patris, et in tenues cogeris ipse Lares:
Nam tua cum multi versarent rura iuvenci,
Abstulit exultas pertica tristis opes.
Mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
Matris et ante deos libera sumpta toga,
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.
At tu finge elegos, fallax opus, haec tua castra,
Scribat ut exemplo cetera turba tuo.
Militiam Veneris blandis patiere sub armis,
Et Veneris pueris utilis hostis eris.
Nam tibi victrices, quascumque labore parasti,
Eludet palmas una puella tuas:
Et bene cum fixum mento discusseris uncum,
Nil erit hoc: rostro te premet ansa suo.
Illius arbitrio noctem lucemque videbis,
Gutta quoque ex oculis non nisi iussa cadet.
Nec mille excubiae nec te signata iuvabunt
Limina: persuasae fallere rima sat est.

124. Ut *H.* lacus] sacer *Perr.* intempet *H.* umber] imber *Perr.* 125. Scandentique *Perr. P.* axis *a.*, Asis *M.*, altus *Perr. P.*, assis *Hb.* cum surgit *D.* 126. Purus *H.* 127. aetate] grate *H.* 128. Matris *H.* ipse] isse *v. c. Perr. G.* 129. tuam quom *Hb.* cura *r.* 130. Abstuluit *Hb.* 131. rdui *R.* demissa *N. R. a.*, dimissa *H. V.* 133. tibi *om. N.*, mihi *D.* 135. Et *r. a.*, At *H. V. M.*, Aut *G.* 136. et *G.* 137. patiare *G. M.* sub annis *a.*, armis *Perr. H. V. M.* 139. Iam *P. Perr.* 140. Eludit *N. H. V. M.*, Eludid *pr. m. Hb.*, Eludat *r. a.*, Eludet *D.* 141. comfixum *G.*, confixum *N. r. Hb. H. V. M. Perr. D.* merito *D. s. m. Hb.* dissuesserit *pr. m. Hb.*, discusserit *N. G. r. s. m. Hb. A.* 142. Nichil *N.* erat *H. V. M.* haec *G.* nostro *N. G. Hb. D. H. V. M. r.* premit *R. D. M.*, premat *N. Hb.* ausa *G. N. r. Hb. H. V. M. D.* tuo *N.* 143. arbirio *R.* 144. nunc *N.* 145. Nec nullae *r. M.*, Non ullae *D.* nec] non *D.* 146. Lumina *N. r.* persuade *H.* prima *N. G.* (*teste Fr. Modio et Heinsio*) *Hb. D. H. V. M.*

Nunc tua vĕl mediis puppis luctetur in undis,
Vel licet armatis hostis inermis eas,
Vel tremefacta cavo tellus diducat hiatum:
Octipedis Cancri terga sinistra time.

II.

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna dei.
Tuscus ego, Tuscis orior, nec paenitet inter
Praelia Volsinios deseruisse focos.
Haec me turba iuvat, nec templo laetor eburno:
Romanum satis est posse videre forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat, et aiunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos:
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne deus.
Seu, quia vertentis fructum praecepimus anni,
Vertumni rursus creditur esse sacrum.
Prima mihi variat liventibus uva racemis,
Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna
Cernis et aestivo mora rubere die.
Insitor hic solvit pomosa vota corona,
Cum pirus invito stipite mala tulit.
Mendax fama noces: alius mihi nominis index:
De se narranti tu modo crede deo.
Opportuna mea est cunctis natura figuris:
In quamcumque voles verte, decorus ero.

148. hospis *V.* 149. cavum *Perr.* deducat *R. a.*, diducat *H. V.* hiatum *Perr.*, hiatu *G. H.* 150. Ottipedis contra *r.*

II, 2. vertunni *G. et sic ubique, uti et A.*, vertūni *R. et sic ubique.* petenda *D.* 3. ego et *G. D.* 4. volsanios *N.*, volsamos *Hb.*, volsanos *G. H. V. M.*, volsinos *P.*, volscinos *a.* 5. Nec *G. s. m. Hb. A.* mea *N.* lector *Hb. M.* 6. est] et *V.* 8. pulsa] sulsa *M.* 9. At *om. pr. m. G.* 10. Vertunnus *Hb. et sic* 12. 11. vertentes *N.* percepimus *G. R. a.*, praecepimus *V. M.* 12. credidit *omnes praeter P.* 13. una *Hb.* 15. crassos *pr. m. Hb.* autunnalia *G.* poma *H. s. m. Hb.* 18. prius *H. Hb. r.* 19. voces *r. V.*, nocet *Hb.* 21. Oportuna *G. N.* 22. quemcunque *H.*, quaecunque *V.*

Indue me Cois, fiam non dura puella:
Meque virum sumpta quis neget esse toga?
Da falcem et torto frontem mihi comprime foeno:
Iurabis nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam et, memini, laudabar in illis:
Corbis in imposito pondere messor eram.
Sobrius ad lites: at cum est imposta corona,
Clamabis capiti vina subisse meo.
Cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi:
Furabor Phoebi, si modo plectra dabis.
Cassibus impositis venor: sed arundine sumpta
Faunus plumoso sum deus aucupio.
Est etiam aurigae species Vertumnus, et eius,
Traiicit alterno qui leve pondus equo.
Suppetat hoc, pisces calamo praedabor, et ibo
Mundus demissis institor in tunicis.
Pastorem ad baculum possum curare, vel idem
Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.
Nam quid ego adiiciam, de quo mihi maxima fama est,
Hortorum in manibus dona probata meis?
Caeruleus cucumis tumidoque cucurbita ventre
Me notat et iunco brassica vincta levi:
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Impositus fronti langueat ante meae.
At mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
Nomen ab eventu patria lingua dedit.
Et tu, Roma, meis tribuisti praemia Tuscis.
Unde hodie vicus nomina Tuscus habet,

23. Induae *r.* chois *G. N.*, caeis *r.* 24. Atque *r.*, Iamque *P.* „*al.*“ *Perr.* 25. Da facilem *G.* fero *pr. m. Hb.* 26. semina *G.* iacta *G.*, facta *r.* 28. in et *G.*, et *a.*, in *H. V. M.* 29. quom *Hb.* imposita *r.* 30. vira *pr. m. Hb.* sub esse *G.* 31. achei *G. N. Hb.*, achaei *D. H. V.*, achivi *r.* 33. vaenor *N.* 34. Favor *N.*, Favonor *pr. m. Hb.* 35. elus *N. Hb.*, aelus *r.* 36. Traicit *N. Hb. R.* 37. Suppectat *Hb.*, Suppet *H. M.*, Supperat *N.* 39. bachulum *r.* 40. Serpiculis *N. G. r. a.*, Serpiculus *H. M.*, Sirpiculus *pr. m. Hb.* 41. adiciam *N. R. Hb.* cura est *G. H. V.* 42. Tortorum *G.* 44. vinco *N. r. Hb.* iuncta *r. D.* 46. Imposuit *M.* languet *G.* 49. At *G. R. Hb. A.* 50. Thuscus nomina vicus *H.*

Tempore quo sociis venit Lycomedius armis
Atque Sabina feri contudit arma Tati.
Vidi ego labentes acies et tela caduca,
Atque hostes turpi terga dedisse fugae.
Sed facias, divum sator, ut Romana per aevum
Transeat ante meos turba togata pedes.
Sex superant versus (te, qui ad vadimonia curris,
Non moror): haec spatiis ultima meta meis.
Stipes acernus eram, properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in urbe deus.
At tibi, Mamuri, formae caelator ahenae,
Tellus artifices ne terat Osca manus,
Qui me tam docilis potuisti fundere in usus.
Unum opus est, operi non datur unus honos.

III.

Haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae,
Cum totiens absis, si potes esse meus.
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
Haec erit e lacrimis facta litura meis:
Aut si qua incerto fallet te littera tractu,
Signa meae dextrae iam morientis erunt.
Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus,
Te modo munito Neuricus hostis equo,
Hibernique Getae, pictoque Britannia curru,
Ustus et Eoa discolor Indus aqua.

51. licodemius *Hb.* 52. contulit *G. D. Hb.* tacii *N. G. R.*, taci *A.* 56. pedes] meos *Hb.* 58. creta *V. M. N. r.*, serta *Hb.*, certa *H.*, cera *P.* 59. Stipis *N. A. r.* acervus *r. Hb. D.* facile *G.* 60. Ante tamen *M.* gratam *Hb.* 61. mamurri *N. Hb.*, marmurii *r.* cadator *Hb.* aeneae *Hb.*, aenae *G.* 62. terrat *Hb.* 63. potuisti me fundere *Hb.*, potuisti infundere *M.* 64. non] cum *G.* (*negat Merkel. ad Ovid. Fast. p. CCL.*) honor *G.*

III, 1. Haec *om. N. Hb. V. M. R.*, Hac *a.* Harethusa *N. Hb.* licote *N.*, licothae *G.* 2. Ne *H.*, Quom *Hb.* 3. oblitura *V.* derit *P.* 5. Et *N.* 6. erant *G.* 7. blactra *r.* B. p. o. *om. N.* 8. Tu *V.* munitus *G. N. R. D. V. M. Hb.* hericus *Hb. N. R. H. V.*, herricus *D. M.*, „naricus *codex is vetus*“ *P.*, „naricus *v. c.* noricus *al.*“ *Perr.*, euricus *G.* 9. Gaetae *a.*, Getae *D.* 10. Vestus *V.*

Haecne marita fides et pactae sunt mihi noctes,
Cum rudis urgenti brachia victa dedi?
Quae mihi deductae fax omen praetulit, illa
Traxit ab everso lumina nigra rogo,
Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
Vitta data est, nupsi non comitante deo.
Omnibus heu portis pendent mea noxia vota:
Texitur haec castris quarta lacerna tuis.
Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum
Et struxit querulas rauca per ossa tubas,
Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno
Aeternusque tuam pascat, aselle, famem.
Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
Num gravis imbelles atterit hasta manus?
Haec noceant potius, quam dentibus ulla puella
Det mihi plorandas per tua colla notas.
Diceris et macie vultum tenuasse: sed opto,
E desiderio sit color iste meo.
At mihi cum noctes induxit Vesper amaras,
Si qua relicta iacent, osculor arma tua.
Tum queror in toto non sidere pallia lecto,
Lucis et auctores non dare carmen aves.
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro
Et Tyria in radios vellera secta suos.
Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes,

11. et pactae mihi noctes *G.*, *sic et Hb.* (*sed m. s.* pacatae) *H. M.*, et paccate mihi noctes *D.*, et sunt mihi pactae noctes *R.* (et] hae *P.*), hae num pactae mihi noctes *Perr.*, et parce avia noctes *N.* 12. Quem *Hb.* ingenti *V.* bracchia *G.* vita *pr. m. Hb.* 13. pertulit *G.*, protulit *V.* 14. ab adverso *G.* 16. Victa *G.* 17. maxima *M.* 18. Texerit *V.* 19. quae *N.* valum *Hb.* 20. aera *v. c. Perr.* 21. Segnior *H.* torquet *G. H. M.* aeno *G. H. V. M.*, orno *r. pr. m. Hb.*, oeno *s. m. Hb.* „torqueat aeno *i. e.* pyrrino *Pon.*“ *Perr.* 22. poscat *r.* asselle *r.*, assele *Hb.* 23. num] dum *N. Hb. D. H. V. M. r.* 25. Nec *V.* puellae *V.* 27. vultum] collum *H. V.* tenuisse *H.* 28. Et *G. H. r.*, Ut *M.* ille *s. m. Hb.* 29. Et *M.*, Det *H.* cum] nunc *M.* clusit *D.* armatus *pr. m. Hb.* 31. Tunc *D. M.* 32. auctor es *r.* 33. castrentia *Hb. N.* 34. in gladios *G. N. P. a.*, ingladios *r.*, in radios *Perr.* texta *Perr. P.*

Quot sine aqua Parthus milia currat equus.
Conor et e tabula pictos ediscere mundos,
Qualis et haec docti sit positura dei,
Quae tellus sit lenta gelu, quae putris ab aestu,
Ventus in Italiam qui bene vela ferat.
Assidet una soror, curis et pallida nutrix
Peierat hiberni temporis esse moras.
Felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla,
Et texit galea barbara molle caput.
Romanis utinam patuissent castra puellis!
Essem militiae sarcina fida tuae,
Nec me tardarent Scythiae iuga, cum Pater altas
Aprico in glaciem frigore nectit aquas.
Omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior:
Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.
Nam mihi quo? Poenis tibi purpura fulgeat ostris
Crystallusque tuas ornet aquosa manus.
Omnia surda tacent, rarisque assueta kalendis
Vix aperit clausos una puella Lares.
Glaucidos et catulae vox est mihi grata querentis:
Illa tui partem vindicat una toro.
Flore sacella tego, verbenis compita velo,
Et crepat ad veteres herba Sabina focos.
Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno,
Seu voluit tangi parca lucerna mero,
Illa dies hornis caedem denuntiat agnis,

36. Quod *N.* partus *pr. m. Hb. a.*, parthus *M.* equs *N.* 37. cogor *omnes.* 38. ponitura *V.* 40. vella ferrat *Hb.* 41. Assidat *M.*, Assit *V.* curris *Hb.* 42. mora *M.* 43. Hippolitae *G.*, hyppolite *R.* tullit *Hb.* mamilla *H.* 47. scithyae *G.* patet *r.*, patere *V.*, parat *G.* atlas *R.* „cum pater atlas *ita habet is codex*" *P. Perr.* 48. Africus *vel* Affricus (*N. Hb.*) *omnes.* 49. maior] magno *Hb.* 51. paenis *N.*, peius *D.* tibi] te *N.* 52. meas *N. et Hb. pro* tuas. 53. calendis *R. a.*, kalendis *M.* 54. laros *N.* 55. Graucidos *Hb. G. N. a. r.*, Grancidos *D.* catullae *r.* vox et *G.* 56. tori *P. a.*, toro *D. V. M.* 57. verbennis *Hb.* vello *D.* 59. furtivo *R.* „finitimo (*sic*) *r*ę" *P.* genuit *V.* 60. tingi *P. Perr.* 61. ornis *N. G. R. a.*, omnis *H. V.* eadem *G.*

Succinctique calent ad nova lucra popae.
Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris,
Raptave odorato carbasa lina duci,
Plumbea cum tortae sparguntur pondera fundae,
Subdolus et versis increpat arcus equis.
Sed — tua sic domitis Parthae telluris alumnis
Pura triumphantis hasta sequatur equos —
Incorrupta mei conserva foedera lecti.
Hac ego te sola lege redisse velim.
Armaque cum tulero portae votiva Capenae,
Subscribam: SALVO GRATA PUELLA VIRO.

IV.

Tarpeium nemus et Tarpeiae turpe sepulcrum
Fabor et antiqui limina capta Iovis.
Lucus erat felix hederoso conditus antro,
Multaque nativis obstrepit arbor aquis:
Silvani ramosa domus, quo dulcis ab aestu
Fistula poturas ire iubebat oves.
Hunc Tatius fontem vallo praecingit acerno,
Fidaque suggesta castra coronat humo.
Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
Cum quateret lento murmure saxa Iovis?
Atque ubi nunc terris dicuntur iura subactis,
Stabant Romano pila Sabina foro.
Murus erant montes: ubi nunc est curia septa,
Bellicus ex illo fonte bibebat equus.

62. Succincteque *N.*, Succinctaeque *pr. m. G. a.*, Succintaeque *r.*, „Succincti *Pon. c.*“ *Perr.* sacra *P. Perr.* 63. si *r.* 64. dici *r.* 65. Plombea *Hb.* torte *r.* sparunguntur *Hb.* pûndera *N.* 66. Sudolus *r.* 67. sit *r. a.*, sic *V. M.* 68. triumphanteis *a.*, triumphantis *H. V. M.* 70. Haec *r.* 71. quom tullero *Hb.* votive *pr. m. Hb.* capinae *N. Hb.*

IV, 1. Tarpeum *G.* tarpeae *G.*, tarpelae *N. Hb.* 2. lumina *H.* 3. ederoso *a.*, edorso *V.* 6. videbat *H. V.* 7. Nunc *V. M.* tacuis *pr. m. Hb.* praecinxit *G.* acuto *H.* 9. Qui cum *V.* tubicem *r.* 10. Cum quaeret *H.* 11. Atque ibi *H.* 12. foco *G. N. Hb.* 13. erat *M.* fontes *H.*

Hinc Tarpeia deae fontem libavit: at illi
Urgebat medium fictilis urna caput.
Et satis urna malae potuit mors esse puellae,
Quae voluit flammas fallere, Vesta, tuas?
Vidit arenosis Tatium proludere campis,
Pictaque per flavas arma levare iubas.
Obstupuit regis facie et regalibus armis,
Interque oblitas excidit urna manus.
Saepe illa immeritae causata est omina lunae,
Et sibi tinguendas dixit in amne comas:
Saepe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
Romula ne faciem laederet hasta Tati.
Dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
Rettulit hirsutis brachia secta rubis,
Et sua Tarpeia residens ita flevit ab arce
Vulnera, vicino non patienda Iovi.
„Ignes castrorum et Tatiae praetoria turmae
Et formosa oculis arma Sabina meis,
O utinam ad vestros sedeam captiva Penates,
Dum captiva mei conspicer arma Tati.
Romani montes et montibus addita Roma
Et valeat probro Vesta pudenda meo.
Ille equus, ille meos in castra reportet amores,
Cui Tatius dextras collocat ipse iubas.
Quid mirum in patrios Scyllam saevisse capillos,
Candidaque in saevos inguina versa canes?

15. Hic *G.* tarpela *N.*, tarpea *G.* fonte *r.* 17. Haud *P. Perr.* una *omnes.* male *r.* esse] una *H.* 18. veste *pr. m. Hb.* 19. perludere *r. a.*, proludere *H. V.*, praeludere *Perr.* 20. Pactaque *pr. m. Hb.*, Victaque *H.* levare vias *r.* 22. Inter et *P. Perr.* 23. omnia *r.*, lumina *G.*, „lumina *Pon.*“ *Perr.*, crimina *M.* immeritae blandis argenta lilia nymphis *pr. m. Hb.* 24. *et* 25. *om. Hb.* 24. tingendas *G. r. a.* „tinguendas finxit *Pon.*“ *Perr.* 25. tuli *om. V.* lymphis *V.* 26. taci *G. r. a.*, tacij *N.*, tati *D.* 28. bracchia *G.* septa *V.* 29. tarpea *G.* 31. tacitae *G. V.* 32. famosa *G. N. Hb.* 33. sed eam *R.* 34. conspicor *M.* arma *G. V. H.*, esse *N. Hb. R. a.* 35. abdita *G. D.* 37. reponat *P.*, reponet *ceteri.* 38. Quoi *Hb.* dextra *G.* 39. Quod *V.* 40. scevos *Hb.*

Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
Cum patuit lecto stamine torta via?
Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
Improba virgineo lecta ministra foco!
Pallados extinctos si quis mirabitur ignes,
Ignoscat: lacrimis spargitur ara meis.
Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe:
Tu cape spinosi rorida terga iugi.
Lubrica tota via est et perfida: quippe tacentes
Fallaci celat limite semper aquas.
O utinam magicae nossem cantamina Musae!
Haec quoque formoso lingua tulisset opem.
Te toga picta decet, non quem sine matris honore
Nutrit inhumanae dura papilla lupae.
Sic, hospes, patriaeve tua regina sub aula,
— Dos tibi non humilis prodita Roma venit —
Si minus, at raptae ne sint impune Sabinae:
Me rape, et alterna lege repende vices.
Commissas acies ego possum solvere: nuptae,
Vos medium palla foedus inite mea.
Adde Hymenaee modos, tubicen fera murmura conde:
Credite, vestra meus molliet arma torus.
Et iam quarta canit venturam buccina lucem,
Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt.
Experiar somnum, de te mihi somnia quaeram:

41. frater in *r.* 42. Quom *Hb.* recto *Perr.*, „*f.* recto“ *P.*, lecto *H.* stamina *H. V. r.* certa *R.*, „*f.* torta“ *P.* 46. Pallidos *V.* et tinctos *V.* 47. Cras et *V.* 48. spinosa *V.* rosida *r.*, roscida *P. a.* 51. magine *N.* 53. docet *V.* 54. in humanae *r.* dira *H.* 55. „Si coniux pariamve tua regina sub aula *v. c.* Sic hospes patiare una regnem ipsa sub aula *Pon.*“ *Priora verba Puccius quoque Regiensi adscripsit, nec tamen mutata, quam invenerat, scriptura.* Sic hostes *pr. m. Hb.* pariamne tua *N. Hb. D.*, patriamne tua *V.*, pariamne te *H.*, pariam tua ne *G.*, patiare tua *a.* 57. Sin *a.*, Si *H. V.* manus *G.* at] aut *G. H. V.*, aut (*sic*) *N.* captae *r.* ne] non *D.* 59. possim *H.* 60. palla *om. H.* inire *r.* 61. himinee *N.*, hymeneae *r. Hb.* tubicem *Hb.* 63. bucina *N. r. Hb.* 64. que *om. r.* cadent *D.*

Fac venias oculis umbra benigna meis.“
Dixit, et incerto permisit brachia somno,
Nescia vae furiis accubuisse novis.
Nam Vesta, Iliacae felix tutela favillae,
Culpam alit et plures condit in ossa faces.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta
Strymonis abscisso fertur aperta sinu.
Urbi festus erat — dixere Palilia patres —
Hic primus coepit moenibus esse dies,
Annua pastorum convivia, lusus in urbe,
Cum pagana madent fercula divitiis,
Cumque super raros foeni flammantis acervos
Traiicit immundos ebria turba pedes.
Romulus excubias decrevit in otia solvi
Atque intermissa castra silere tuba.
Hoc Tarpeia suum tempus rata convenit hostem:
Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
Mons erat ascensu dubius, festoque remissus:
Nec mora, vocales occupat ense canes.
Omnia praebebant somnos: sed Iuppiter unus
Decrevit poenis invigilare tuis.
Prodiderat portaeque fidem patriamque iacentem,
Nubendique petit, quem velit ipsa, diem.
At Tatius — neque enim sceleri dedit hostis honorem —
„Nube“, ait, „et regni scande cubile mei.“
Dixit, et ingestis comitum superobruit armis.
Haec, virgo, officiis dos erat apta tuis.
A duce Tarpeio mons est cognomen adeptus:
O vigil, iniustae praemia sortis habes.

67. promisit *M.*, premisit *Hb.* 68. nefariis *omnes*, *Perr. tamen*: „si flammis *P*“ (*ont.*). 69. veste *D.* 71. quales *r.* thermodoonta *G. N. R. Hb. A.* 72. abscisso *N. Hb.* 73. parilia *N. pr. m. Hb. Perr.*, papilia *V.* matres *H.* 74. cepit *R.*, caepi *N.* 75. luxus *H.* in urbi *N.* 76. Quom *Hb.* 77. flamantis *r.* 78. Traicit *N. Hb.* inmundas *vel* immundas *et* dapes *omnes.* 79. decernit *D.* solvit *r.* 83. asscensu *G.* remissos *G.* 89. celeri *r.* 91. ingressis *V.*, ingressus *H.* 93. tarpeo *G.* 94. iniuste *G. N. R.*

V.

Terra tuum spinis obducat, lena, sepulcrum,
Et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim,
Nec sedeant cineri Manes, et Cerberus ultor
Turpia ieiuno terreat ossa sono.
Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem,
Concordique toro pessima semper avis,
Penelopen quoque neglecto rumore mariti
Nubere lascivo cogeret Antinoo.
Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum
Et volucris nidis esse noverca suis.
Quippe et, Collinas ad fossam moverit herbas,
Stantia currenti diluerentur aqua.
Audax cantatae leges imponere lunae
Et sua nocturno fallere terga lupo
Posset ut intentos astu caecare maritos,
Cornicum immeritas eruit ungue genas,
Consuluitque striges nostro de sanguine, et in me
Hippomanes fetae semina legit equae.
Exorabat opus verbis, ceu blanda perurat
Saxosamque terat sedula lympha viam:
„Si te Eoa Dorozantum iuvat aurea ripa
Et quae sub Tyria concha superbit aqua,

V, 1. lena] terra *V.* 3. sedent *M.* et] at *Perr.* cerbarus *G.* 5. ypolitum *N.* molliere *Hb.* 6. avis] anus *Perr. H. V.* 7. Penelopem *Hb.* maritum *M.* 8. antynoo *N.*, antynno *Hb.*, anthinoo *G.*, entinoo *r.* 9. veluit *M.* inducere *M.* 10. indis *H.* 11. Quippe ut *Perr.* collirias *V.*, colines *Hb.* noverit *r. H.* hebrus *H.* 12. Stagnaque *a.*, Stantia *D. H. V. M.* dulucrentur *G.* 13. cantarae *N.* 15. Possit ut *Perr.*, et *ceteri.* ratentos *M.* hastu *Hb.* certare *r.* 17. Cosuluitque *R.*, Consulitque *pr. m. Hb.*, que *om. M.* 18. Hyppomanes *R.*, Hippomenes *G. N.*, Hippomones *pr. m. Hb.* 19. Exorabit *P. Perr.*, Exornabat *a.*, Exorabat *D. H. V. M.* seu *R.* perure *N.*, praeiret *Perr.*, periret *H. V. M.*, peruret *D. Hb.* 20. ferat *G. N. r. H. V. M. D.* culpa *G. N. R. a.*, lympha *H.* 21. iuvat dorozantumque *a.*, dorozantumque *v. c. Perr.*, dororantum iuvat *D.*, derorantem iuvat *M.*, decoratum iuvat *H.*, doroxanthum iuvat *G.*, iuvat derorantem *R.*, dorozantum *v. c. P.* 22. cunca *r.* superbat *pr. m. Hb.*

Eurypylique placet Coae textura Minervae
Sectaque ab Attalicis putria signa toris,
Seu quae palmiferae mittunt venalia Thebae,
Murreaque in Parthis pocula cocta focis:
Sperne fidem, provolve deos, mendacia vincant,
Frange et damnosae iura pudicitiae.
Et simulare virum pretium facit: utere causis:
Maior dilata nocte recurret amor.
Si tibi forte comas vexaverit, utilis ira:
Post modo mercata pace premendus erit.
Denique ubi amplexu Venerem promiseris empto,
Fac simules puros sideris esse dies.
Ingerat Apriles Iole tibi, tundat Amycle
Natalem Maiis idibus esse tuum,
Supplex ille sedet: posita tu scribe cathedra
Quidlibet. has artes si pavet ille, tenes.
Semper habe morsus circa tua colla recentes,
Litibus alternis quos putet esse datos.
Nec te Medeae delectent probra sequacis:
Nempe tulit fastus, ausa rogare prior:
Sed potius mundi Thais pretiosa Menandri,
Cum ferit astutos comica moecha Getas.
In mores te verte viri: si cantica iactat,
I comes et voces ebria iunge tuas.
Ianitor ad dantes vigilet: si pulset inanis,
Surdus in obductam somniet usque seram.

23. Erypilique *N.*, Euripilique *r.*, Euripidique *G.* choae *N.* testura *G.* 24. Textaque *P. Perr.* actaliscis *Hb.* patria *pr. m. Hb.* 25. Seuque *N. D.*, Seu qui *H.*, Seu quam *Hb. a. r.*, Seu quem *V.* 26. Murrheaque *R. a.*, Myrrheaque *G. D.*, Mirrheaque *M.* 28. Frangent *N. Hb. D. V. R.*, Franget *H.*, Cedant *a.*, Frange et *Perr.* 29. clausis *R.* 30. delata *M.* recurrat *G.*, decurret *r.* 31. urxaverit *r.* 32. delata *M.* 33. emptor *Hb.*, antro *V.* 34. similes *N. G. r. Hb.* 35. tondat *V.*, condat *R.* amicle *N.*, amiclae *r. Hb.*, amicla *P.*, amicle *G.* 36. malis *G. N. r. Hb. H.* 38. Quodlibet *V.*, Quilibet *pr. m. Hb.* paves *V.* 39. circum *D.* 40. alterius *Perr.* pudet *M.*, om. *V.* 41. Non *R. a.*, Nec *H. V.* proha *r.* 42. rogare] negare *M.* 43. thais mundi *Hb.* speciosa *Perr. V.* 44. comicha *r.* getes *N.*

Nec tibi displiceat miles non factus amori,
Nauta nec attrita, si ferat aera, manu,
Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
Caelati medio cum saluere foro.
Aurum spectato, non quae manus adferat aurum.
Versibus auditis quid nisi verba feres?
„Quid iuvat ornato procedere, vita, capillo
„Et tenues Coa veste movere sinus?“
Qui versus, Coae dederit nec munera vestis,
Istius tibi sit surda sine aere lyra.
Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
Utere, ne quid cras libet ab ore dies.
Vidi ego odorati victura rosaria Paesti
Sub matutino cocta iacere Noto.“
His animos nostrae dum versat Acanthis amicae,
Per tenues ossa has sunt numerata cutes.
Sed cape torquatae, Venus o regina, columbae
Ob meritum ante tuos guttura secta focos.
Vidi ego rugoso tussim concrescere collo,
Sputaque per dentes ire cruenta cavos,
Atque animam in tegetes putrem expirare paternas.
Horruit algenti pergula curta foco.
Exequiae fuerant rari furtiva capilli
Vincula et immundo pallida mitra situ,

49. displiciat *G.* non] modo *G. a.*, non *D. H. V. M.* 50. aera] acra *N.* 52. saliere *G. R. a.*, saluere *D.* 54. feras *G.* 55. 56. *om. a., R. et codd. mss. omnes retinent.* 55. praecedere *R.* vitta *s. m. Hb.* 56. choa *N. D.* tenere sinus *r.*, novare sinus *Perr.* 57. nec *om. V.* 58. Ipsius *N. R. Hb. A.*, Istius *G.* arte *R. a.*, aere *Perr.*, aure *M.* 59. venat *G.*, veniat *V.* 60. nec quid eras liber ab ore dies *r.*, ne quis eat liber amore dies *P. et a. Verum tamen exhibent D. H. V. M. nisi quod* labet *D. M. H.* 61. adorati *G.* pesti *D. Hb.* 63. animum *G. H.*, animus *N. Hb. V. M.*, animis *r.* vestre *G.* achantis *N. P. Hb.*, achantus *r.* 64. has *om. omnes.* 65. cate *V.* 67. Vudi *N.* 69. integeres *G.* putem *V.* 70. pocula *G. R. a.*, percula *N. Hb. V. M. v. c. P.*, pergula *D. v. c. Perr.* curva *G. N. R. a.*, curta *v. c. P. v. c. Perr.* 71. rare *H.* 72. Vincla *r.* pallia *N.* sinu *V.*

Et canis in nostros nimis experrecta dolores,
Cum fallenda meo pollice clatra forent.
Sit tumulus lenae curto vetus amphora collo:
Urgeat hunc supra vis, caprifice, tua.
Quisquis amas, scabris hoc bustum caedito saxis,
Mixtaque cum saxis adiice verba mala.

VI.

Sacra facit vates: sint ora faventia sacris,
Et cadat ante meos icta iuvenca focos.
Cera Philetaeis certet Romana corymbis,
Et Cyrenaeas urna ministret aquas.
Costum molle date et blandi mihi turis honores,
Terque focum circa laneus orbis eat.
Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna cadis.
Ite procul fraudes, alio sint aere noxae:
Pura novum vati laurea mollit iter.
Musa, Palatini referemus Apollinis aedem:
Res est, Calliope, digna favore tuo.
Caesaris in nomen ducuntur carmina: Caesar
Dum canitur, quaeso, Iuppiter ipse vaces.
Est Phoebi fugiens Athamana ad litora portus,
Qua sinus Ioniae murmura condit aquae,
Actia Iuleae pelagus monumenta carinae,
Nautarum votis non operosa via.

73. Et canit *a.*, canis *D.* exporrecta *N. Hb. V. H.* 74. caltra *N. Hb. D.*, cultra *G. r. H.*, claustra *a.*, clatra *v. c. Perr.*, cultura *V.*, coltra *M.* forent pollice *Hb.* 75. cincto *G.*, cinto *V.* vetus] sit *r.* 77. cedito *r. Hb.* 78. addite *N. Hb. r.*, addito *a.*, adiice *Perr. H. V. M.*

VI, 1. facis *V.* orta *V.* 2. iacta *Hb.* 3. philippeis *G. N. r. Hb. D. H. V. M.*, philethaeis *v. c. P. a.* certent *H.* 4. Atque *P. Perr.* minister *r. a.*, ministret *D. Perr.*, ministrat *H.* 8. modis *P. Perr.* 10. lauerea *Hb.* 11. *Novum carmen ordiuntur s. m. N. Hb. G. R. D. V. H. Perr.* referamus *P. H. V.* 12. furore *V.* 15. athamena *G.*, athamani *r.*, Athamantia *D.* 16. sinus] famis *V.* 17. monimenta *N.*

Huc mundi coiere manus: stetit aequore moles
Pinea: nec remis aequa favebat avis.
Altera classis erat Teucro damnata Quirino,
Pilaque feminea turpiter acta manu:
Hinc Augusta ratis plenis Iovis omine velis,
Signaque iam patriae vincere docta suae.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus,
Armorum et radiis picta tremebat aqua,
Cum Phoebus linquens stantem se vindice Delon
— Nam tulit iratos mobilis una Notos —
Astitit Augusti puppim super, et nova flamma
Luxit in obliquam ter sinuata facem.
Non ille attulerat crines in colla solutos
Aut testudineae carmen inerme lyrae,
Sed quali aspexit Pelopeum Agamemnona vultu
Egessitque avidis Dorica castra rogis,
Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes
Serpentem, imbelles quem timuere lyrae.
Mox ait: „O longa mundi servator ab Alba,
Auguste, Hectoreis cognite maior avis,
Vince mari: iam terra tua est. tibi militat arcus,
Et favet ex humeris hoc onus omne meis.
Solve metu patriam, quae nunc te vindice freta
Imposuit prorae publica vota tuae.
Quam nisi defendes, murorum Romulus augur
Ire Palatinas non bene vidit aves.
Et nimium remis audent, proh turpe! Latinis,

19. Nunc *r.* conere *V.* manus] moles *H.* 20. avis] equis *V.* 21. tenero *P. a.*, teucro *M. D.* Perino *M.* 22. apta *N. r. Hb. a.*, acta *D.* 23. angusta rates *N.* 25. aciem *G. N. D. H. V. M.* nervis *N. V.*, Lineus *M.* 26. et *om. G. H.* 27. lipuens statem *r.* iudice *H. M.* dolon *r.* 28. unda *N. r. Hb. D. H. V.*, unda *G.*, illa *Perr.* 29. puppem *R. a.*, puppim *H. V. M.* 32. inherme *N.* 33. pelopeium *r. A.* agamemnona *Hb.* 34. Egissetque *N. Hb. r.* 35. flexor *r.* pynthona *G.*, phitona *r. Hb.*, pitona *P.* 39. iam] nam *M.* tibi] mihi *G. V.* 40. omne] esse *V.* 41. iudice *N.* 42. tuae] suae *V.* 43. Quae *r.* mihi defendens *G.* 44. Ite *Hb.* 45. En *P.* prope *omnes praeter Perr.* *qui* pro.

Principe te fluctus regia vela pati.
Nec te, quod classis centenis remiget alis,
Terreat: invito labitur illa mari.
Quodque vehunt prorae Centaurica saxa minantis,
Tigna cava et pictos experiere metus.
Frangit et attollit vires in milite causa;
Quae nisi iusta subest, excutit arma pudor.
Tempus adest, committe rates: ego temporis auctor
Ducam laurigera Iulia rostra manu."
Dixerat, et pharetrae pondus consumit in arcus:
Proxima post arcus Caesaris hasta fuit.
Vincit Roma fide Phoebi: dat femina poenas:
Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.
At pater Idalio miratur Caesar ab astro:
„Sum deus: en nostri sanguinis ista fides."
Prosequitur cantu Triton, omnesque marinae
Plauserunt circa libera signa deae.
Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,
Hoc unum, iusso non moritura die.
Di melius! quantus mulier foret una triumphus,
Ductus erat per quas ante Iugurtha vias!
Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod eius
Una decem vicit missa sagitta rates.
Bella satis cecini: citharam iam poscit Apollo
Victor et ad placidos exuit arma choros.
Candida nunc molli subeant convivia luco,
Blanditiaeque fluant per mea colla rosae,
Vinaque fundantur praelis elisa Falernis,

48. invicto *r.*, et multo *G. H. M.* 49. Quotque *D.* minantes *P.*, minante *a.*, minantis *D. H.* 50. experiare *R. a.*, experiere *D.* 52. iuste *r.* 55. in] et *G.* 57. Vicit *P.* 59. Et *a.*, At *D. H. V. M.* italio *N.* miratus *a.*, miratur *V. M.* 60. Sive *pr. m. Hb.* en] est *N. Hb.*, et *G. R. A.* 62. circa] cura *Hb.* 63. Ille *m. s. Hb.* 64. viso *Hb. H.* 66. vias] tuas *pr. m. Hb.* 67. Hactius *Hb.* phoebi *Hb. H.* quid *r.* 68. vincit *D.* 69. cecini] tecum *r.* 70. exerit *H.* cohoros *Hb.* 71. subeam *Perr.* 72. Blandidulaeque *P.*, „Blandidulae *alibi*, Blandusiaeque *Pon.*" *Perr.* fluent *M.* 73. plenis *H.*

Terque lavet nostras spica Cilissa comas.
Ingenium potis irritet Musa poetis:
Bacche, soles Phoebo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret servire Sicambros,
Cepheam hic Meroen fuscaque regna canat,
Hic referat sero confessum foedere Parthum:
Reddat signa Remi: mox dabit ipse sua.
Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
Differat in pueros ista tropaea suos.
Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas:
Ire per Euphraten ad tua busta licet.
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
Iniiciat radios in mea vina dies.

VII.

Sunt aliquid Manes: letum non omnia finit,
Luridaque evictos effugit umbra rogos.
Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro,
Murmur ad extremae nuper humata viae,
Cum mihi somnus ab exequiis penderet amoris,
Et quererer lecti frigida regna mei.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit,

74. Perque *N. D. V.* cylissa *R.*, calissa *M. Hb.*, calisca *G.*, catisa *H.* manus *D.* 75. positis *G.*, positis *N. Hb. D. H. V. M. r.* 76. bache *N.* 77. sevire *G.* sycambros *R.*, sycanbros *N.* 78. Cephean *N. Hb. V. M.* hinc *r. D.* meroin *N. Hb.*, myron *G.*, merorin *r.* 79. Hinc *r.*, Hec *D.* fero *r.* 80. Reddit *G.* 81. aliquis *N. Hb. r. V. M.*, aliqua *v. c. Perr.* 82. trophea *N. R.* 83. sapis] satis *pr. m. Hb. D.* 84. euphratem *Hb. r.* 85. noctem] vocem *V.* carmina *N.* 86. Iniciat *N. R. Hb.* vina] iura *H.*

VII, 2. „*Legi potest etiam* lucida umbra *i. anima clarorum manium evincit rogos et superat post mortem*“ *P.*, Lucidaque *r. a.*, Luridaque *D. H. V. v. c. Perr.* evinctos *Hb. V. M. N.* rogos] focos *Hb.* 5. Cum (Quom *Hb.*) mihi ab exequiis (exquiliis *r.*) somnus *G. R. s. m. Hb. a., verum ordinem servant D. M.* amores *N.* 7. Hosdem *N. G. R. D. V. M.*, Osdem *Hb.* elapsa *G.* capillis *N.* 8. Eosidem *Hb.*, Hosdem *G. R. D. V.*

Et solitum digito beryllon adederat ignis,
Summaque Lethaeus triverat ora liquor.
Spirantisque animos et vocem misit: at illi
Pollicibus fragiles increpuere manus.
„Perfide, nec cuiquam melior sperande puellae,
In te iam vires somnus habere potest?
Iamne tibi exciderant vigilacis furta Suburae
Et mea nocturnis trita fenestra dolis?
Per quam demisso quotiens tibi fune pependi,
Alterna veniens in tua colla manu!
Saepe Venus trivio commissa est, pectore mixto
Fecerunt tepidas pallia nostra vias.
Foederis heu taciti! cuius fallacia verba
Non audituri diripuere Noti.
At mihi non oculos quisquam inclamavit euntis:
Unum impetrassem te revocante diem.
Nec crepuit fissa me propter arundine custos,
Laesit et obiectum tegula curta caput.
Denique quis nostro curvum te funere vidit,
Atram quis lacrimis incaluisse togam?
Si piguit portas ultra procedere, at illuc
Iussisses, lectum lentius ire meum.
Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?
Cur nardo flammae non oluere meae?
Hoc etiam grave erat, nulla mercede hyacinthos

9. beryllos *N.*, berilon *G. R.* addederat *Hb.*, ademerat *r.* 11. Spiranteisque *a.*, Spirantisque *H. V. M.*, Suspiriumque *Perr.* ad illi *r.* 12. Policibus *Hb.* 13. Perfidae *G.* quoiquam mellior *Hb.* speranda *H.*, sperandae *G.* 15. vigilantis *G. a.*, vigilacis *D. V. M.*, vigilatis *r.* tecta *r. H. V. M.* suburrae *P. a.*, subire *r. V.* 16. trista *Hb.* 17. totiens *D.* 19. commixta *R. N. G* (?). *Hb.*, commista *a.*, commisa *V.* misto *a.*, mixto *V.* 20. trepidas *r. M.* pectora *M. r.* 21. falacia *r.* 22. deripuere *Hb.* nothi *N. R.* 23. inclinavit *G. R. a.*, inclamavit *H. D.* euntеis *a.*, euntis *V.* 25. crepuit] doluit *Perr.* fixa *G. R. A.* 27. currum *r.* 28. inmaduisse *v. c. Perr.* 30. Iussisset *pr. m. N. sed eadem m. correctum*, Lusisses *G.* letum *R.*, „*a.* lectum" *P.*, lethum *v. c. Perr.*, Lectum illusisses *M.* 31. ventum *H.* 33. erit *V.* hyacinctos *N.*, yacinthos *G. r.*

Iniicere et fracto busta piare cado.
Lygdamus uratur, candescat lamine vernae:
Sensi ego, cum insidiis pallida vina bibi:
At Nomas arcanas tollat versuta salivas:
Dicet damnatas ignea testa manus.
Quae modo per viles inspecta est publica noctes,
Haec nunc aurata cyclade signat humum,
Et graviora rependit iniquis pensa quasillis,
Garrula de facie si qua locuta mea est:
Nostraque quod Petale tulit ad monumenta coronas,
Codicis immundi vincula sentit anus:
Caeditur et Lalage tortis suspensa capillis,
Per nomen quoniam est ausa rogare meum.
Te patiente meae conflavit imaginis aurum,
Ardente e nostro dotem habitura rogo.
Non tamen insector, quamvis mereare, Properti:
Longa mea in libris regna fuere tuis.
Iuro ego Fatorum nulli revolubile carmen,
Tergeminusque canis sic mihi molle sonet,
Me servasse fidem. Si fallo, vipera nostris
Sibilet in tumulis et super ossa cubet.
Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem,
Turbaque diversa remigat omnis aqua.
Unda Clytaemnestrae stuprum vehit altera, Cressae
Portat mentitae lignea monstra bovis:

34. Inicere *N. Hb. R.* 35. candescant *D.* 36. quom *Hb.* pallia *N.* vena *M.* 37. Aut *N. R, a.*, At *H.* nonias archana *r.* tollat] prodat *Perr. P.* salinas *N. H. M. Hb.*, sabinas *D.* 38. Vicet *D.* 39. puplica *N. Hb.* 40. Nec *R.* 41. iniquis rependit *G.* refundit *H. M.*, fundit *r.* quasilis *R.* 42. Garula *G.* faciae *N.* loquuta *G.* 43. quod *om. M.* pethale *r.* monimenta *G.* corollas *a.*, coronas *H. M.* 44. Condicis *Hb.* 45. Ceditur *R. a.*, Caeditur *D.* lalagae *G.*, lalace *N. r. Hb. H. M. D.* 46. negare *G. M.* 48. Ardenti e *G.*, Ardent e *N. Hb. a. r.*, Ardente e *D.*, Ardent et *M.*, Audax e *Perr.* dote *R.* 51. Iure *G. R.* nullum *Hb.* revocabile *G. a.*, revolubile *D. H. V.* 52. sit mihi mole *r.* somnet *Hb.*, sonat *H.* 53. si falso *H.* 55. quaesita *H.*, quesita *G.* per annem *N.* 56. navigat *G. D. H. M.* amnis *H.* 57. Una *omnes.* atraque *P. Perr.* crassae *pr. m. Hb.* 58. lingnea *G.*

Ecce coronato pars altera vecta phaselo,
Mulcet ubi Elysias aura beata rosas,
Qua numerosa fides, quaque aera rotunda Cybeles
Mitratisque sonant Lydia plectra choris.
Andromedeque et Hypermnestre sine fraude maritae
Narrant — historiae pectora nota suae —
Haec sua maternis queritur livere catenis
Brachia nec meritas frigida saxa manus:
Narrat Hypermnestre magnum ausas esse sorores,
In scelus hoc animum non valuisse suum.
Sic mortis lacrimis vitae sanamus amores:
Celo ego perfidiae crimina multa tuae.
Sed tibi nunc mandata damus, si forte moveris,
Si te non totum Doridos herba tenet.
Nutrix in tremulis ne quid desideret annis
Parthenie: patuit, nec tibi avara fuit.
Deliciaeque meae Latris, cui nomen ab usu est,
Ne speculum dominae porrigat illa novae.
Et quoscumque meo fecisti nomine versus,
Ure mihi: laudes desine habere meas.
Pelle hederam tumulo, mihi quae pugnante corymbo
Mollia contortis alligat ossa comis.
Ramosis Anio qua pomifer incubat arvis

59. vecta] parta *N. r. a.*, vecta *D. M. Perr.* faselo *G. N.*, phasello *R.* 60. elysas *r.*, elisas *M.* 61. qua quaerar ut unda cybeles *N. G. Hb. r. D. M. V.*, *nisi quod* querar *G. Hb.* in unda *r.* cybelles *G. V. R. D.*, cibeles *Hb.* qua quaeritur unda Cybelles *a.*, qua querar in ida Cybeles *H.*, quaque errat turba cybelles *P. Perr.* 62. Muratisque *r.* 63. Andromadaeque *R.*, Andromadeque *G.*, Andromedaeque *N.* hypermnestrae *G. N. R. Hb.* 64. Historiae noceant *M.* 65. Hec *Hb.* summa aeternis *N. Hb. R. A.* 67. hypermnestrae *N.*, hypermestrae *G. R. Hb. A.* 68. violasse *H.* 69. His *H.* vitae] in te *G.* saciamus *Perr.* 70. Caelo *G. a.*, Celo *D.* 71. mandata si damus forte *Hb.* 72. Sed *r.* cloridos *r.*, chloridis *Hb.*, chloridos *N. r. a.*, doridos *H.*, colchidos *v. c. P. Perr.* 73. desidere *G.* 74. Partheniae *N. G. Hb.* potuit *N. Hb. r. D. H. V.* sibi *r.* amara *P.*, amata *v. c. Perr.* 75. lacrymis *r. M.* quoi *Hb.* abusu *R.* 76. Nec *G.* porrigit *M.* ille *pr. m. G.* 77. *om. N.* 79. tumulo] fluvio *H.* 80. Molli *N. Hb. V.*, Mollis *Perr.* cum totis *M.*

Et numquam Herculeo numine pallet ebur,
Hic carmen media dignum me scribe columna,
Sed breve, quod currens vector ab urbe legat,
TIBURTINA IACET HAC AUREA CYNTHIA TERRA.
ACCESSIT RIPAE LAUS, ANIENE, TUAE.
Nec tu sperne piis venientia somnia portis:
Cum pia venerunt somnia, pondus habent.
Nocte vagae ferimur: nox clausas liberat umbras,
Errat et abiecta Cerberus ipse sera.
Luce iubent leges Lethaea ad stagna reverti:
Nos vehimur, vectum nauta recenset onus.
Nunc te possideant aliae: mox sola tenebo:
Mecum eris, et mixtis ossibus ossa teram.“
Haec postquam querula mecum sub lite peregit,
Inter complexus excidit umbra meos.

VIII.

Disce, quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
Cum vicina novis turba cucurrit agris.
Lanuvium annosi vetus est tutela draconis,
Hic ubi tam rarae non perit hora morae,
Qua sacer abripitur caeco descensus hiatu,
Qua penetrat — virgo, tale iter omne cave! —
Ieiuni serpentis honos, cum pabula poscit
Annua et ex ima sibila torquet humo.

82. nomine *V. M.*, *s. m. Hb.* fallit *M.* 83. Hoc *a.*, Hic *D. H. V. M.* 84. currus *H. V.* 85. Sed tiburna iacet hic *N. Hb.*, Tiburtina iacet hac *G. P. D. H. r. V. M. nisi quod in prima voce:* Tyburtina *G. D.*, Tiburnia *V. M.*, Tyburina *r.*, *et pro* hac — hic *V. M.* Hac Tiburnia iacet *a.*, Tiburina iacet hic *m. s. Hb.* 86. aniane *N. Hb.*, amane *V.*, amene *G.* 87. vehementia *V.* 88. Quom *Hb.* 95. cerula *H.*, querela *G.* sub voce *a.*, sub lite *D. H. V. M.* pergit *N.*

VIII, 1. exquilias *R. A. Hb.* 2. Quom *Hb.* novis] meis *R. a.*, nobis *H. V.*, novis *D. M.* 3. Laminium *r.*, Lavinium *D. H.*, Lanuvii *P. Perr.* dragonis *G.* 4. tartareae *a.*, tam rarae *Perr. D. H. V. M.* petit *H.*, parit *V.* ora *G. H. V.* 6. cavae *G.* 7. Lavini *H.* 8. una *N. H. V. r.* sibilla *r.*

Talia demissae pallent ad sacra puellae,
Cum temere anguino creditur ore manus.
Ille sibi admotas a virgine corripit escas:
Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castae, redeunt in colla parentum,
Clamantque agricolae: „Fertilis annus erit.“
Huc mea detonsis avecta est Cynthia mannis:
Causa fuit Iuno, sed mage causa Venus.
Appia, dic quaeso, quantum te teste triumphum
Egerit effusis per tua saxa rotis,
Turpis in arcana sonuit cum rixa taberna;
Si sine me, famae non sine labe meae.
Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit,
Ausa per impuros frena movere locos.
Serica nam taceo volsi carpenta nepotis,
Atque armillatos colla Molossa canes,
Qui dabit immundae venalia fata saginae,
Vincet ubi erasas barba pudenda genas.
Cum fieret nostro totiens iniuria lecto,
Mutato volui castra movere toro.
Phyllis Aventinae quaedam est vicina Dianae;
Sobria grata parum: cum bibit, omne decet.
Altera Tarpeios est inter Teia lucos;
Candida, sed potae non satis unus erit.

9. palent *r.* 10. Quom *Hb.* tremere *H.* minus *H.* 13. reddeunt *Hb.* 14. Clamatque *r.*, Clamant *G.* 15. de torsis *V.* advecta *G. M.*, evecta *Hb.* cynthia ab annis *G. N. r. D. H. V. M.* 19. archana *r.* somnuit *Hb.* 20. Sed sine *M.*, Desine *V.* 21. 56. Spectaculum *N. et* u *deleta G.*, Spectandum *Hb.* 22. fana *G.* iocos *Hb. r. G.* 23. Sirica nam (capto) *P.*, Siriganam tacto *N. D. Hb.*, Siriga nam tacto *V.*, Suriga nam tacto *H.*, Siriga nam capto *M. r.*, Serica nam capto *G.* (*ut videtur*), „Sic auriga trahit *Pon.*“ *Perr.* volsci *G. R. D.*, vulsi *Perr.*, vorsi *V.* nepoti *N. R.*, nepote *H. M.* 24. amillatos *H.* malosa *N.*, mollosa *Hb.* 25. facta *Hb.*, farta *P. a.*, fata *D. H. V. M.* 26. crassas barbara *r.* 27. Quom *Hb.* 28. Multato *N. Hb. H. M.*, Multa rato *V.* voluit *omnes praeter a.* 29. *Nova elegia in libris omnibus.* „*Una est elegia cum superiore in veteri cod. sed tamen caelius* 36. *secus existimat*“ *Perr.* Philis *H. V.*, Phillis *N.* vicina] amica *H.* 30. quom *Hb.* 31. tarpeos *G.* inter est *N.*, *sed* est *a m. s. in spatio vacuo scriptum.*

His ego constitui noctem lenire vocatis,
Et Venere ignota furta novare mea.
Unus erat tribus in secreta lectulus herba.
Quaeris concubitus? inter utramque fui.
Lygdamus ad cyathos, vitrique aestiva supellex,
Et Methymnaei Graeca saliva meri.
Nile tuus tibicen erat, crotalistria Phyllis,
Et facilis spargi munda sine arte rosa.
Nanus et ipse suos breviter concretus in artus
Iactabat truncas ad cava buxa manus.
Sed neque suppletis constabat flamma lucernis,
Reccidit inque suos mensa supina pedes.
Me quoque per talos Venerem quaerente secundos
Semper damnosi subsiluere canes.
Cantabant surdo, nudabant pectora caeco:
Lanuvii ad portas, hei mihi, solus eram;
Cum subito rauci sonuerunt cardine postes,
Et levia ad primos murmura facta Lares.
Nec mora, cum totas resupinat Cynthia valvas,
Non operosa comis, sed furibunda decens.
Pocula mi digitos inter cecidere remissos,
Palluerantque ipso labra soluta mero.
Fulminat illa oculis et quantum femina saevit:
Spectaclum capta nec minus urbe fuit.
Phyllidos iratos in vultum coniicit ungues:
Territa vicinas Teia clamat aquas.

33. venire *N.*, linire *r.* 35. secreta] secta *D.* 37. utrique *omnes.* 38. methynnaei *G.*, methymmei *Hb.* grata *a.*, graeca *D. H. V. M.* salina *D.* 39. Nile (Nyle *G.*) tuus *omnes.* tibicens *V.* choropsaltria *v. c. Perr. P.*, choralistria *G. r. Hb. H.*, coralistria *a.*, eboralistria *N. D.*, coristria *V.* phillis *N. Hb.*, philis *H. V.* 41. Magnus *G. Hb. D. H. V. M. r.*, agnus *N.* suas *G.* artus] antro *V.* 44. Decidit *R. a.*, Reecidit *Hb.*, Reciditque *G.*, Cecidit *D.* 45. calos *V.* secundo *N. V.* 46. clamosi *D.* 47. nudabam *V.* caeto *N.* 48. Laminii *R.*, Lavini *D. H.* heu mihi *R.*, ei michi *N.* 49. Quom *Hb.* 50. lares] canes *H.* 51. tum *G.* 54. Polluerant *M.* ipsa *V.* mero *Hb.* 56. Spectaclum *G.*, Spectaculum *N.* 57. Philidos *Hb.* conicit *N. Hb.* ignes *H. M. r. marg. G.* 58. clamabat *D.*, vocabat *s. m. Hb. H. V. M.* aquas] anus *Perr.*

Lumina sopitos turbant elata Quirites,
Omnis et insana semita nocte sonat.
Illas direptisque comis tunicisque solutis
Excipit obscurae prima taberna viae.
Cynthia gaudet in exuviis victrixque recurrit
Et mea perversa sauciat ora manu,
Imponitque notam collo morsuque cruentat,
Praecipueque oculos, qui meruere, ferit.
Atque ubi iam nostris lassavit brachia plagis,
Lygdamus ad plutei fulcra sinistra latens
Eruitur, geniumque meum prostratus adorat.
Lygdame, nil potui: tecum ego captus eram.
Supplicibus palmis tum demum ad foedera veni,
Cum vix tangendos praebuit illa pedes,
Atque ait: „Admissae si vis me ignoscere culpae,
Accipe, quae nostrae formula legis erit.
Tu neque Pompeia spatiabere cultus in umbra,
Nec cum lascivum sternet arena forum.
Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum
Aut lectica tuae sidat aperta morae.
Lygdamus imprimis, omnis mihi causa querellae,
Veneat et pedibus vincula bina trahat.“
Indixit leges. Respondi ego: „Legibus utar.“
Riserat imperio facta superba dato.
Dein quemcumque locum externae tetigere puellae,
Suffiit, at pura limina tergit aqua,
Imperat et totas iterum mutare lacernas,

61. Illam *G. M.* 63. Cynthia in exuviis (*sic P. Hb. a.*, eximiis *r.*, exiguis *V.*) gaudet *R. A. Hb.* cucurit *G.* 66. Praecipuaeque *r.* 68. fusca *G. N. Perr. D.*, frustra *r.* iacens *R. a.*, latens *H. V. M. Perr.*, lates *D.* 69. Exuitur *G. R. Hb. a.*, Eruitur *D.* protractus *N. D.* 71. tum] cum *V.* venit *G. teste Heinsio, D. H. V. M. rescissa in ultimo verbo membrana, N.* 72. Cui *H. V.* 75. ponpeia *N.* in herba *V.* 76. sternit *G. H. V.* 77. obliqa *pr. m. Hb.* 78. sudet *omnes.* operta *H. V.* 80. Venerit *r.*, Venerat *V.* in (*sic*) *G.* et trahit *V. Hb.* 81. legem *N.* 83. quaecunque *r.* hesternae *D.* 84. Suffiit et *a.*, Sufficit et („*Pon.*“) *Perr. r. D.*, Sufficiat *H. V. M.*, Suffiçiat *G.*, Sufficat *N. Hb.*, Suffit et a *P.* lumina *Perr. H. V.* 85. lucernas *G. N. r.*

Terque meum tetigit sulfuris igne caput.
Atque ita mutato per singula pallia lecto
Despondi, et tuto solvimus arma toro.

IX.

Amphitryoniades qua tempestate iuvencos
Egerat a stabulis, o Erythea, tuis,
Venit ad eductos pecorosa Palatia montes
Et statuit fessos, fessus et ipse, boves,
Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque
Nauta per urbanas velificabat aquas.
Sed non infido manserunt hospite Caco.
Incolumes: furto polluit ille Iovem.
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
Per tria partitos qui dabat ora focos.
Hic, ne certa forent manifestae signa rapinae,
Aversos cauda traxit in antra boves,
Nec sine teste deo: furem sonuere iuvenci,
Furis et implacidas diruit ira fores.
Maenalio iacuit pulsus tria tempora ramo
Cacus: et Alcides sic ait: „Ite boves,
Herculis ite boves, nostrae labor ultime clavae,
Bis mihi quaesitae, bis mea praeda, boves,
Arvaque mugitu sancite boaria longo:
Nobile erit Romae pascua vestra forum.“

87. ita *om. V.* 88. Respondi et toto *omnes praeter P. et Perr.*

IX, 1. Amphitryonides *H. M.*, Nmphitrioniades *Hb. rubricatoris errore.* 2. erithee *D. Hb.*, erythee *H. V. M.*, erithea *N.*, eryteae *G.*, erichthee *r.*, erithraee *P.*, erythraee *a.* 3. ad invictos *R. a.*, et ad victos *N. Hb. D.*, et adductos *G.*, in aductos *V.*, in adductos *M. H.* percosa *M.*, nemorosa *H. V.* 4. fatuit *G.* 5. Et qua *M.* sua *D.* frangebant *M. D.* flumina *M. D.*, lumina *pr. m. Hb.* quoque *Hb. D. V.*, quoquae *N.* 7. mansuerunt *Hb.* chaco *Hb.*, cacco *D.* 8. Incolumis *N. Hb. H. V. M.* iovem] locum *r. a.*, iovem *Perr. H. V. M. D.* 9. Insula *N. G. Hb. D. H. V. M.* chacus *N. Hb.*, caccus *G.* 10. quae *M.* sonos *N. R. Hb. a.*, focos *V.* 12. trixit *pr. m. Hb.* 14. fores] boves *D.* 18. mihi praeda *V.* 19. sanate *V.* bovaria *N. Hb. pr. m. G.* 20. nostra *r. a.*, vestra *D.*

Dixerat, et sicco torret sitis ora palato,
Terraque non ullas feta ministrat aquas.
Sed procul inclusas audit ridere puellas.
Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus,
Femineae loca clausa deae fontesque piandos,
Impune et nullis sacra retecta viris.
Devia puniceae velabant limina vittae,
Putris odorato luxerat igne casa,
Populus et longis ornabat frondibus aedem,
Multaque cantantes umbra tegebat aves.
Huc ruit in siccam congesto pulvere barbam,
Et iacit ante fores verba minora deo.
„Vos precor, o luci sacro quae luditis antro,
Pandite defessis hospita fana viris.
Fontis egens erro, circaque sonantia lymphis,
Et cava suscepto flumine palma sat est.
Audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
Ille ego sum: Alciden terra recepta vocat.
Quis facta Herculeae non audit fortia clavae
Et numquam ad natas irrita tela feras,
Atque uni Stygias homini luxisse tenebras?
Accipite: haec fesso vix mihi terra patet.
Quodsi Iunoni sacrum faceretis amarae,
Non clausisset aquas ipsa noverca suas.
Sin aliquam vultusque meus saetaeque leonis
Terrent et Libyco sole perusta coma:

21. torquet *N. V. M. Hb.* 22. non nullas *N. Hb. V.* faeta *N.*, foeta *Hb. A.*, festa *G.* ministret *N.* 27. lumina *H. V.* victae *r.* 31. Hm *G.* congesta *N. V. Hb.*, congestam *D.* 32. iacet *G.* minore *pr. m. Hb.* 33. lucis *N. A. r.* 34. hospita] ostia *H.* vana *N. Hb. V.*, vestra *H. M. G. r. a.*, tesqua *Pucc. correxit; margini vero adscripsit: „legi potest et* tecta.“ tesqua *al.* tecta *Perr.* viis *N. Hb.* 35. ero *r.* 36. succepto *N. pr. m. Hb.* flumina *r.* palma *om. H.* 37. substulit *G.*, sustinet *H. M.* 38. alcidem *G. R. Hb. A.*, alcidē (*sic*) *N.* suscepta *N.*, defensa *D.* 40. aduatas *N.*, ad vastas *V.* 41. hominum *R. a.*, homini *M. D.* 42. Accipit *N. r. H. V. Hb.*, At post *Perr. P.* haec] et *N.* 43. Quid *V. M.* satium *V.* amare *r.* 45. aliquem *N. H. M. r.* sectaeque *G.*

Idem ego Sidonia feci servilia palla
Officia et Lydo pensa diurna colo,
Mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus,
Et manibus duris apta puella fui.“
Talibus Alcides: at talibus alma sacerdos,
Puniceo canas stamine vincta comas:
„Parce oculis, hospes, lucoque abscede verendo:
Cede agedum, et tuta limina linque fuga.
Interdicta viris metuenda lege piatur,
Quae se summota vindicat ara casa.
Magnam Tiresias aspexit Pallada vates,
Fortia dum posita Gorgone membra lavat.
Di tibi dent alios fontes: haec lympha puellis
Avia secreti limitis una fluit.“
Sic anus: ille humeris postes concussit opacos,
Nec tulit iratam ianua clausa sitim.
At postquam exhausto iam flumine vicerat aestum,
Ponit vix siccis tristia iura labris.
„Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
Accipit: haec fesso vix mihi terra patet.
Maxima quae gregibus devota est ara repertis,
Ara per has“, inquit, „Maxima facta manus,
Haec nullis umquam pateat veneranda puellis,
Herculis eximii ne sit inulta sitis.“
Sancte pater, salve, cui iam favet aspera Iuno:
Sancte, velis libro dexter inesse meo.
Hunc, quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic Sanctum Tatiae composuere Cures.

47. sydonia *r.*, symonia *N.* 48. lyda *P.* 49. caepit *N.* mihi] me *H.* 51. et *G.* 52. canas] flavas *D.* iuncta *N. D.* 54. lumina *M.* 56. Qua *R. A. s. m. Hb.* undicat *N.* 57. Magna *r.* 59. Dii *G.* 60. fuit *omnes.* 61. Haec *H.* 64. vis *P.* 65. hinc *pr. m. G.* facta *V.* 67. Maximaque *G. Hb.*, Maxima qua *P.* aera *r.* 68. inquid *N.* 70. Hercule exterminium nescit *N. Hb. V. In Hb. ad dextrum marginem adscriptum: „Sic stat in exemplari“; ad exteriorem vero marginem ab eadem manu correctio.* 71. quoi *Hb.* apera *N.* 72. adesse *P.* 73. Nunc *r. a.*, Hunc *V.* sanxerit *H.*, senserat *r.* 74. manus *H. M. R.*, *f.* cures *P.*

X.

Nunc Iovis incipiam causas aperire Feretri,
Armaque de ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires:
Non iuvat e facili lecta corona iugo.
Imbuis exemplum primae tu, Romule, palmae
Huius, et exuvio plenus ab hoste redis,
Tempore quo portas Caeninum Acronta petentem
Victor in eversum cuspide fundis equum.
Acron Herculeus Caenina ductor ab arce,
Roma, tuis quondam finibus horror erat.
Hic spolia ex humeris ausus sperare Quirini:
Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.
Hunc videt ante cavas librantem spicula turres
Romulus et votis occupat ante ratis.
„Iupiter, haec hodie tibi victima corruet Acron.“
Voverat: et spolium corruit ille Iovi.
Urbis virtutisque parens sic vincere suevit,
Qui tulit aprico frigida castra Lare.
Idem eques et frenis, idem fuit aptus aratris,
Et galea hirsutis compta lupina iubis.
Picta neque inducto fulgebat parma pyropo:
Praebebant caesi baltea lenta boves.
Cossus at insequitur Veientis caede Tolumni,
Vincere cum Veios posse laboris erat,

X, 1. Feretri] fateri *N.* 3. mihi] ni *H.* 4. ex *R. a.*, e *V.* laeta *H.* 5. Induis *P. Perr.*, Imbius *V.*, Omnibus *H.* 6. exuiuo *N.*, eximio *G. R. D. H. M.*, „*f.* exuviis“ *P.*, exuviis *a.*, exuvio *V. Hb.* 7. taeninum *N.*, cecinum *V.*, cecininum *Hb.* acrona *P. a.*, acronta *D. H. V. M.* 8. Victor nec versum *N. Hb. V.* 9. herculeis *r.* cecina *V.*, cecinina *s. m. Hb.* deductor *V.* 10. horror *H.* 11. exumeris *N.* sperare] spoliare *M.* 13. Nunc *Hb. V.* vidit *R. a.*, videt *D. H. V. M.* liberantem *Hb.*, vibrantem *R. a.*, librantem *V.* 14. vobis *r.* rates *N. r.* 17. virtutemque *V.* parem *Hb.* 18. aporco *N.*, aprisco *H.*, apto *V.* 20. Cui *P. Perr.* hirsuta — iuba *N. R. Hb. A.* 21. Victa *H.* nec *R. A.* flama *V. G.* (*teste Heinsio*) piroto *Hb. N.* 23. at] et *D.* veientes *r.*, venientis *Hb.*, vehientis *G.* tolunni *R. A.* 24. vehios *G.*

Necdum ultra Tiberim belli sonus, ultima praeda
Nomentum et captae iugera terna Corae.
O Veii veteres, et vos tum regna fuistis,
Et vestro posita est aurea sella foro:
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat, et in vestris ossibus arva metunt.
Forte super portae dux Veius astitit arcem,
Colloquiumque sua fretus ab urbe dedit.
Dumque aries murum cornu pulsabat aheno,
Vinea qua ductum longa tegebat opus,
Cossus ait: „Forti melius concurrere campo.“
Nec mora fit, plano sistit uterque gradum.
Di Latias iuvere manus, desecta Tolumni
Cervix Romanos sanguine lavit equos.
Claudius a Rheno traiectos arcuit hostes,
Belgica cum vasti parma relata ducis
Virdomari. Genus hic Rheno iactabat ab ipso,
Nobilis e rectis fundere gesa rotis.
Illi virgatis iaculantis ab agmine braccis
Torquis ab incisa decidit unca gula.
Nunc spolia in templo tria condita: causa Feretri,

26. et] est *m. s. Hb.* capta *G. N. Hb. H. M.*, captae *D.* terna] terra *G. N. r. Hb. D. H. M.*, tarra *V.*, pauca *a.*, terna *v. c. Perr.* chorae *r. Hb.*, chore *G. N.* 27. O vehi *G.*, E veii *N.*, Et veii *R. a. Hb.*, Et vecii *H.* tum praeda *G. R. a.*, tum regna *V. M.*, cum regna *H.* 28. vestra *r.*, vestri *M.*, vestro *H. V. D.* 29. bucina *N. Hb.* 30. arma *V. M. H.* metunt *om. H.* 31. veius *P.*, vehius *G.* 32. fractus *M.* 34. Vineaque inductum *G. R. a.*, Vineaque ductum *Hb.*, Vinea qua ductum *M.* 36. mora sit *H.* gradu *praeter P. omnes.* 37. Dii *G.* vivere *N.* decepta *M. Hb. s. m.* tolunni *r. A.* desecta tolumni *om. H.* 41. Virtomane *N.*, Virromani *Hb.*, Vircomani *D.*, Virdomati *H.*, Uricomanii *r.*, Briomarus *G.*, Uncomani *V.*, Virdomari *correxit et in margine* britomarii *P.*, britomani *Perr.* 42. Mobilis *pr. m. N. v. c. Perr.* erecti *N.*, errecti *Hb.*, erectis *G. R. a.*, et rectis *D.*, et rectum *M.* caesa *N. Hb. r.*, cesa *H. V.* 43. Illi virgatis iaculanti ex agmine bracis *v. c. Perr.* iurgatis *N.* iaculatis *D.* ab inguine *R. pr. m. Hb. M. a.*, abagmina *N.*, ab agmine *H. V.* brachis *G. R. a.*, bracis *N. D.* 44. gyla *N. Hb.*, gula manu *G.* 45. Haec *V.* tria] tua *D.* feretur *H.*

Omine quod certo dux ferit ense ducem;
Seu, quia victa suis humeris haec arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Iovis.

XI.

Desine, Paulle, meum lacrimis urgere sepulcrum:
Panditur ad nullas ianua nigra preces.
Cum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viae.
Te licet orantem fuscae deus audiat aulae:
Nempe tuas lacrimas litora surda bibent.
Vota movent superos: ubi portitor aera recepit,
Obserat herbosos lurida porta rogos.
Sic maestae cecinere tubae, cum subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.
Quid mihi coniugium Paulli, quid currus avorum
Profuit aut famae pignora tanta meae?
Num minus immites habuit Cornelia Parcas?
En sum, quod digitis quinque levatur, onus.
Damnatae noctes, et vos vada lenta paludes,
Et quaecumque meos implicat unda pedes,
Immatura licet, tamen huc non noxia veni:
Det Pater hic umbrae mollia iura meae.
Aut, si quis posita iudex sedet Aeacus urna,
In mea sortita vindicet ossa pila:
Assideant fratres, iuxta Minoida sellam
Eumenidum intento turba severa foro.

46. Neminis est *Perr.* ense] ante *r. a.*, ense *D. Perr.* 47. quia] quod *D.* vincta *P.* umeris *N.* 48. rara *r.* supera *pr. m. Hb.*

XI, 3. Quem *Hb.* infrenas *N.* 4. ad amante *R.* 7. portior *Hb. pr. m.* 8. herbosos] umbrosos *P. Perr. V.* 13. Non *N.*˚*R. Hb. D. Perr. V. M.* inmittes *Hb.* habui *P.* 14. Et *N. Hb. a. R. al.* et sum
Ipsum quae (*sic*) *D.* legatur *N. Hb. V.* 17—76. *Folium abest in N.* 17. hic *H.* 18. huc *G.*, hinc *P.*, huic *H. M.* 19. sedet] sed *pr. m. Hb.* 20. sortito *D.* iudicet *G. R. Hb. a.*, vedicat *H.* 21. Assideat *H.* iuxta] iusta *G.*, iuxta et *Perr. V. M.* minonida *G.*, minoia *R. Hb. a.*, minoida *H.* sella *A. R.*, sella et *Hb. P.* 22. in tonto *G.*

Sisyphe, mole vaces, taceant Ixionis orbes,
Fallar Tantaleo corripiare liquor,
Cerberus et nullas hodie petat improbus umbras,
Et iaceat tacita lapsa catena sera.
Ipsa loquar pro me: si fallo, poena sororum
Infelix humeros urgeat urna meos.
Si cui fama fuit per avita tropaea decori,
Afra Numantinos regna loquuntur avos,
Altera maternos exaequat turba Libones,
Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox, ubi iam facibus cessit praetexta maritis,
Vinxit et acceptas altera vitta comas,
Iungor, Paulle, tuo sic discessura cubili:
In lapide hoc uni nupta fuisse legar.
Testor maiorum cineres tibi, Roma, verendos,
Sub quorum titulis, Africa, tonsa iaces,
Et Persen proavi simulantem pectus Achillis,
Quique tuas proavo fregit Achille domos,
Me neque censurae legem mollisse, nec ulla
Labe mea vestros erubuisse focos.
Non fuit exuviis tantis Cornelia damnum,
Quin erat et magnae pars imitanda domus.
Nec mea mutata est aetas, sine crimine tota est:
Viximus insignes inter utramque facem.

23. vates *r.*, iaces *H.* taceant] cessent *Perr.* iɪionis (*sic*) *G.*, isionis *r.* 24. tantaleae *H.*, tantaleus *G.*, *Heinsio teste.* 26. lassa *G.*, laxa *H. V. M.* 27. loquor *G. r. a.*, loquar *D.* fallor *r. et pr. m. G.* 29. Si quoi *Hb.* peravita *R.*, proavita *G.* trophaea decori *G. a.*, decora trophei *D. V. M.*, decorat trophei *r.*, decora tropheis *P.* 30. Aera *G. R. a.*, „Æra (*sic*) *Hb.*, „*v. c. habet* vera, *sed lego* versa" *P.*, „uera *v. c.* versa *P* (*sic*, *abrasa littera*, *quae sine dubio Pontanum significabat*)" *Perr.* 31. exequet *G.*, exequat *a.*, exaequat *D.* ligones *H. D. Hb. V. M.* 34. Vivat *D.* aspersas *P.* Iunxit et aspersas *Perr.* 35. sic] cum *r. D.*, non *P.* descensura *M.* 37. Testo *G.* colendos *A. R. Hb.* 38. tunsa *R. H. V. D.* iacet *H.* 39. stimullantem *r.*, stimulantem *Hb.* Achilli *V.* 40. proavus *G. R. a.*, proavos *Hb. D.*, proavo *H. V. M.* 41. mollisse] vidisse *D.* ulli *M.* 42. nostros *R. A.* 43. Confuit *V.* exuvii stantis *V.* damni *V.* 44. Quin et erat *r. a.*, eram *P. Perr.* 46. Dicimus *V.* insignem *V.* faces *H.*

Mi natura dedit leges a sanguine ductas,
Ne possem melior iudicis esse metu.
Quaelibet austeras de me ferat urna tabellas:
Turpior assessu non erit ulla meo,
Vel tu, quae tardam movisti fune Cybelen,
Claudia, turritae rara ministra deae,
Vel cui, commissos cum Vesta reposceret ignes,
Exhibuit vivos carbasus alba focos.
Nec te, dulce caput, mater Scribonia, laesi:
In me mutatum quid nisi fata velis?
Maternis laudor lacrimis urbisque querelis,
Defensa et gemitu Caesaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem
Increpat, et lacrimas vidimus ire Deo.
Et tamen emerui generosos vestis honores,
Nec mea de sterili facta rapina domo.
Tu, Lepide, et tu, Paulle, meum post fata levamen,
Condita sunt vestro lumina nostra sinu.
Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem,
Consule quo facto tempore rapta soror.
Filia, tu specimen censurae nata paternae,
Fac teneas unum nos imitata virum,
Et serie fulcite genus: mihi cymba volenti
Solvitur aucturis tot mea fata meis.
Haec est feminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum.

48. Nec *H. r.* possis *r. pr. m. Hb. H. D.*, possem *M.* 50. Tristior *f. P. Perr.* adscensu *pr. m. Hb.*, asscensu *s. m. Hb. G.*, ascensu *M.* 51. Ve tu *G.* cybellē *G.*, cybellem *P. A.*, cibellem *r.*, cibelem *Hb.* 53. Vel cuius iasos *Hb.*, Vel cuius rasos *V.* 55. strabonia *r. D. H. M.* 56. quod *r.* 58. Defleta *a.*, Defensa *D. H. V. M.* 59. Illa suam natam indigna vixisse sorore *v. c. Perr.* 60. esse *a.*, ire *H.*, ira *M.* 63. Te-te *Hb. R. A.* 64. numina *r. H. a.*, lumina *Perr. D. V. M.* vestra *G.* 65. curullem *R.* 66. rapta] rata *pr. m. Hb.* 67. speciem *r. a.*, specimen *Perr. D. H. V.* nacta *R. a.*, nata *D. H. V. M.* 70. „Solvit venturis *aliter* solvitur haud ullis stant mea fata malis" *Perr.* uncturis *Hb. V. M. r.*, iuncturis *H.*, in curis *D.* facta *H* malis *omnes.*

Nunc tibi commendo communia pignora natos:
Haec cura et cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater: illa meorum
Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula cum dederis tua flentibus, adiice matris:
Tota domus coepit nunc onus esse tuum.
Et si quid doliturus eris, sine testibus illis:
Cum venient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges,
Somniaque in faciem credita saepe meam.
Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
Ut responsurae singula verba iace.
Seu tamen adversum mutarit ianua lectum,
Sederit et nostro cauta noverca toro,
Coniugium, pueri, laudate et ferte paternum:
Capta dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis: collata priori
Vertet in offensas libera verba suas.
Seu memor ille mea contentus manserit umbra
Et tanti cineres duxerit esse meos,
Discite venturam iam nunc sentire senectam,
Caelibis ad curas nec vacet ulla via.
Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos:
Prole mea Paullum sic iuvet esse senem.
Et bene habet: numquam mater lugubria sumpsi:
Venit in exequias tota caterva meas.
Causa perorata est. flentes me surgite, testes,
Dum pretium vitae grata rependit humus.

77. adice *N. Hb. R.* mater *N. Hb. D. V. M.*, matrem *H.* 78. cepit *N.* 79. Et si quis *N. Hb. V. M.* erit *N. Hb. H. V. M.*, eras *D.* ullis *H.*, illa *r.* 81. sunt *r. G. A.* de me] daeme *N.* fatigas *V.* 84. tace *N. Hb. D. V. M.* 85. mutaris *H.* 90. Portet *r.* 92. dixerit *r. D. V.* 94. valet ulla vias *N.* 95. *pr. m. om. G.* 96. iuvat *a. R.*, iuvet *D. H. V. M.* 97. Si *G. Hb. m. s.* unquam *G.*, nunquam (*bis*) *r.* nunquam mater *om. H.* lubrigia *N. Hb.*, lubrica *r. V. M.* sumptum *N. Hb. D. H. V. M. r.* 98. meas] m *r.* 99. per orata *r.* 100. rependet *H.*